

Domus S.S. Adelhaidis et Caietani.

<36622360230018

PHILOSOPHIA METHODO SCIENTIIS PROPRIA EXPLANATA

A

P. BENEDICTO STATTLER, S. J.
IN ELECTORALI ACADEMIA INGOLSTADIENSI
THEOLOGIÆ PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO.

PARS V.
THEOLOGIA NATURALIS.

SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER ET FILIORUM.
M D C C L X X I.

PRÆFATIO.

Theologiæ Naturalis, id eſt, omnium, quæ de Deo naturali lumine cognoſcuntur, philoſophicas inſtitutiones accurata methodo traditurus, non modo arduum, ſed & inſolèns ſuſcipere inſtitutum tibi videbor, amice Lector! quisquis Eccleſiæ Catholicæ conjungeris: arduum quidem; quia rerum divinarum demonſtratione ex natura ipſa obiecti nihil ſublimius; inſolens verò, quia aut nullo, aut raro, Catholicos inter ſcriptores exemplo. Fortaſſis nec cenſura acrior deerit, quæ temeritatis atque exorbitantis ingenii notam mihi impingat; quod ſecuro tritoque tramite dimiſſo, quem erroris expers divinæ revelationis lumen in ſacratiore Theologia oſtendit, ad obſcuram non minus quam fallacem ſolius rationis naturalis lucem in lubrico ambulare, & incertæ viæ pericula nullo ducente veſtigio, ſtudioſe incautus, ſectari malim. Ego vero æquitatem tuam appello, lector amice! ut, priusquam ſeverior tua me feriat ſententia, propoſiti mei rationes attente percipias.

Vivimus, prô dolor! eà tempora, quibus furor nescio quis insanus omnem divinam revelationem & religionis ipsam substantiam convellere armis iis omnibus collaborat, quæcunque ministrare humanæ rationis, in ruinam suam plus nimio studiosæ, acumen par est. Quodque vel cogitatu longe omnium tristissimum est; hostes veritatis christianæ, ut Iesu Christi veluti hostile iugum longius a se arceant, vel ipsos remotos illius accessus congestis, quaqua possunt, inimicis propugnaculis communire satagunt. Ipsas Dei perfectiones, Providentiam, Sapientiam, Bonitatem, Iustitiam, Libertatem, sine quibus revelatio certa veritatis Deo auctore haud habere locum, minus conciliare reverentiam apud homines, potest, male exasciatis demonstrationibus & argutiis cumulatis subruere extrema industria connituntur. Ereptis porro sacrilego ausu Deo hisce veluti summi imperii in hunc mundum administris, alterius cuiusdam futuræ vitæ asseverationem, pœnas, & gaudia, ceu meticulosarum mentium insana terriculamenta, aut plus nimio piorum hominum miserabilia insomnia, derident, exultantes non solum de ea vitæ licentia, quam expers metus ac spei animus ipsis concedit, verum de raro quoque ac paucis communi acumine sibi blandientes, quo inter veritatem & præiudicia, utcunque per omne genus humanum in religionis præcipue argumento pervulgata, ipsi discernere animo in paucis excelso noverint.

Quid

Quid cum ſtultis adeo ſapientibus, & vere præ nimia ſcientia, aut opinione ſaltem ſcientiæ, inſanientibus, agendum putas? amice lector! Num propriæ inſaniæ veluti amentes depoſiti relinquendi videntur? Optimum fortaſſe cum deſperatæ alioquin ſalutis hominibus agendi conſilium: niſi quidam, vaniſſimus licet, ſapientiæ ipſorum fulgor imbecillioribus ingeniis in dies imponeret, quodque ſoliditatis in turmatim effuſis eorum ſcriptis vulgo deeſt, exquiſitus ſæpe ſtyli non ſplendor modo ſed & robur male affectatum ſuppleret. Profecto imbecillitatis deceptæ rationem aliquam habere in ſummo præſertim atque ultimo periculo rectus ordo & caritas perſuadet; cumque tot inanium demonſtrationum oſtentatione tenuioribus, cetera tamen innoxiis, ingeniis ipſe primus ad divinioris magiſterii ſcholam acceſſus obſtruatur, conſimilibus armis, queis improbi illi ad nocendum tam ſtrenue utuntur, ratione ſcilicet ac demonſtratione, quoad licet, poſteriorum infirmitas tuenda erit, & confirmanda; ne divinitus acceptæ religionis, ceu rectæ rationi aperte adverſantis, contemtus ſumme noxius latius graſſetur. Neque vero exiſtimandum, rationis a Deo ipſo conceſſæ ſummum beneficium natura ſua validius ad errorem pertinaciter tuendum, quam ad firmandam veritatem, inſtrumentum eſſe.

Sumſere ſibi quidem hunc Naturalis Theologiæ excolendæ difficillimum profecto laborem ex Proteſtantium, quos vocamus, numero

non nulli, atque hos inter ſine controverſia princeps omnium, ac ductor veluti docti agminis, Illuſtris Chriſtianus Wolfius; cuius Theologia Naturalis, iuſta duo volumina implens, neſcio an maioribus aliorum laudibus prædicetur, quam ſit aliis offendiculo. Ego quidem, qui doctis omnibus amicus, nulli infeſtus, & multo magis alienæ laudis æſtimator quam errorum cenſor, eſſe malim, tantum abſum, ut diligentiſſimo & de republica literaria magnopere bene merito ſcriptori quidquam detrahere de honore ſuo velim, ut profunditatem iudicii, rationis ſoliditatem, atque inprimis doctrinæ nexum perpetuum, quin & mentem ſupremi Numinis excellenti idea illuſtrem, in ſummo illo viro pro dignitate admirans, infortunio potius eiusdem ſerio condoleam, quo contigit, ut in primis quibusdam at maxime præcipuis dogmatis a vero tanto infelicius aberraret; quanto latius inde a primis ſtatim originibus error in perpetuo aſſertionum ex una erronea fluentium nexu fatali neceſſitate diffundere ſe debebat. Profecto, niſi tota me ratio deſtituat, evidentius nihil eſſe poteſt, quam unum erroneum de libertate conceptum, in Pſychologia iam male præformatum, Illuſtri Wolfio originem fuiſſe, ut per mediam minimum partem Theologiæ ſuæ Naturalis (quæ ceteroquin eximiæ ſapientiæ opus videri poſſet) non niſi catenam errorum perpetuam nexuerit. Et mirum ſane, quod fallere mentis oculos in viro acutiſſime tuente

potue-

potuerit fatalis illa ſequela fati generalis univerſas Dei iuxta ac creaturarum actiones ineluctabili virtute involventis, quæ ex ea libertatis indole ac notione, ſiquid eſt usquam evidens, apertiſſime profecto fluit, quam is Deo, velut modis omnibus demonſtratam, tribuit. Mundi exinde phyſica in ratione optimi aſſertio tanto molimine propugnata, cui præcipuarum divinarum perfectionum, ſapientiæ inprimis ac bonitatis, explicationem omnem, ceu fundamento neceſſario, ſuperſtruxit, quod eſt paullo exporrectius ingenium, quod illa non offendat, ſi cum malis componatur, quæ in dies nos obruunt, quin ſubſtracta per doctrinam præfati ſcriptoris germana libertate aut quidquam ex eis bene merendi nobis facultas relinquatur, aut ſpectato ſolo naturæ lumine alterius melioris vitæ ſpes ſufficiens affulgeat, in qua mitiores divinæ bonitatis effectus & digniora præmia virtutis arduæ conſtantiam ſint beatura. Quæ doctrinarum portenta concepta ſemel bella hæc de mundo phyſice optimo fabula in heteroclitis ingeniis poſtmodum genuerit, vel ex unius operis inſpectione licebit iudicare, quod gallice *de la Nature* inſcribitur.

His illud adde inſuper, quod errores, in Theologia Naturali ſemel pro dogmatis primariis ſtabiliti, deinceps in Philoſophia practica, & Iure Naturæ, ab eodem Illuſtr. Wolfio veluti principia inconcuſſa graviſſimarum aſſertio-

 num

num aſſumantur, de quibus vel dubitare in iſtis diſciplinis porro fas non ſit. Et vero ſunt plurima in Philoſophia Practica iuxta atque Morali, uti & in Iure Naturæ Wolfiano, quæ fruſtra, tametſi falſiſſima, impugnes, niſi ad erroris fontem regrediens, definitiones in Theologia Naturali præſtabilitas ad examen revoces, & emendatioribus ſubſtitutis errorem in principio ſuo ac veluti ſcaturigine emendes. Id quod præcipue ex dicendis de notionibus *iuris*, *obligationis*, *legis &c.* perſpicuum erit; ex quibus maxime notionibus præcipuæ quæque in omni Iuris diſciplina quæſtiones ſunt decidendæ.

Cœlum mihi teſtis eſt, non invidia a me iſta aut ullo ſequiore affectu adverſus Illuſtrem virum proferri, cuius vel ex erroribus plurimum veri me didiciſſe, palam volensque profiteor. Quorſum ergo iſtos præclari ſcriptoris nævos in ipſo huius meæ Theologiæ Naturalis limine veluti in lucem profero? An ut ipſe lucem veluti ex umbris alienis quæram? Minime omnium profecto: ſed ut prudens & iuſta conſilii mei ratio in eorum oculos incurrat, quibus operis mei inſtitutum male conſultum, aut certe minus neceſſarium, videri poſſit; quique res theologicas ad rationis naturalis normam expendere grande piaculum univerſe exiſtimant.

Duplex

Duplex nimirum præcipue Theologiæ Naturalis accurate iuxta atque diffuse conscribendæ, & utraque gravissima, nî fallor, ratio mihi fuit, peculiaris una ac propria huic disciplinæ, altera eidem cum tota Metaphysica communis. Priorem Theistarum non nullorum, ab Atheismo parum distantium, obstinatæ argutiæ mihi ministravere, qui vim omnem rationis, ut supra dixi, expromunt ad illas de supremo Numine veritates impugnandas, quæ ad omnem divinæ revelationis ostensionem auctoritatemque capitales sunt, & ante istam extra omne prudens dubium præstabiliri debent. Hos contra frustra telis ex sacratiore Theologia depromtis pugnes, veluti qui intra maiorum eiusmodi tormentorum iactum in tuto stent. Rationem alteram Metaphysicarum quam maxime accuratarum notionum generalis illa ac summa necessitas suggerebat (de qua necessitate iam in primo Philosophiæ meæ ingressu inieci mentionem) quæ ad omnes alias altiores disciplinas, nec modo Theologiæ sacratioris (quod gravissimo suffragio Suarius noster in ipso Metaphysicæ suæ procemio confirmat) sed omnium quoque omnino Iuris disciplinarum institutiones ita se extendit, ut non facile intricatior quædam in omnibus istis quæstio se offerat, cuius distinctior explicatio, nodique præcipui solutio, non a notionis cuiusdam Metaphysicæ completiore quadam evolutione primo quodam loco dependeat. Utriusque vero rationis istius

momentum ſummopere in animo meo ipſa Theologia Naturalis Wolſiana exaggerabat, quæ laxiorum Theiſtarum prædictorum pertinaciam, ſi non confirmat, certe nec emendat, in ceteras vero diſciplinas errorum ſemina pro auctoritate, quam ſibi Illuſtris ipſius ſcriptor in orbe literato comparavit, quam latiſſime diſpergit.

Quo minus vero in ſimilem errorum labyrinthum cum Ill. Wolfio & aliis inciderem, prudens cautela, ut ſpero, remedio mihi fuit, qua videlicet ſoli rationi propriæ atque mere naturali diffidens, omnes iſtius discurſus ac ratiocinia ad normam falli neſciam divinæ, mihi alioquin ex Catholicæ Eccleſiæ oraculis compertæ, revelationis expendebam. Atque ex id generis norma facile mihi erat rationis, ſubinde discurſibus ſuis a vero deviantis, errores, quin & errorum pericula, animadvertere. Animadverſio periculi novum rei atque altius examen imperabat; cuius ope non ſemel ipſa erroris origo facile detecta, atque ipſa veritatis iam ex Dei revelatione mihi notæ vera demonſtratio ex ſolidioribus magisque præciſis ratiocinationibus ea occaſione inſtitutis oborta fuit. Et vero adhibita conſtanter in difficillimis quibusque dogmatis discutiendis hac induſtria illud demum luce clarius intellexi, nihil admirabilius, nihil conſtantius eſſe illa harmonia, qua & ſenſus naturæ communis, & divinarum revelationum auctoritas, & ipſius rationis naturalis

ralis demonſtratio ſollerter iuxta ac feliciter evoluta, inter ſe perpetuo conſentiunt. At ſimul ultima cum evidentia id quoque didici, ſine divinæ revelationis auxilo nec ſenſum communem naturæ, nec quantumcunque ſolius naturalis rationis acumen ſufficere, ut ex nativis tenebris circa præcipua etiam religionis naturalis principia humanus animus aut ſatis ſe evolvat, aut ubi etiam iam evolutum ſe exiſtimat, ſat firmiter agnitæ ſemel utcunque veritati adhæreſcat. Cuius rei vel ſola meditatio, qua dogma intricatiſſimum de Dei libertate evolvi, exemplo eſſe poterit.

In ceteris porro, quæ ad chriſtianæ religionis dogmata tam prope non accedunt, ipſe familiaris omnium præcedentium Metaphyſicarum, iamque alias evolutarum, notionum uſus ac diſtincta notitia, tum vero methodus aliquantula exercitatione in habitum verſa, præcipuo fuit adminiculo: cui ſiquis minus aſſueverit, vel ſi Metaphyſicas notiones prævias nondum familiares habeat, ſæpe profecto ſibi ipſi tribuere obſcuritatis ac difficultatis cauſſam debebit, quam in Theologia hac Naturali deprehendere ſibi videbitur. Qua occaſione, ad quod Illuſtr. Wolfius non ſemel provocat, idem quoque iure meo poſtulare mihi videor, videlicet, ſicui doctrinæ quædam a me aſſertæ minus cum ſententia ſua congruere, quin refutatione dignæ, videantur, ut pari methodo & uni-

universis Dei attributis in unum systema, undique suis partibus probe cohærens, redactis efficere id studeat: tum quippe experientia, spero, docebit, quam certo nexu, e. g. libertas Dei genuina cum divinis scientiis a me assertis, divinæ bonitatis ratio a me explicata cum Dei eiusdem sapientia, sanctitate, & perfectionis totius infinitudine, cohæreat; quamque in tanta positionum serie raro aliqua occurrat, quæ aut superflua sit, aut e medio ceterarum sine ruina quadam sequentium avelli, veluti fulcro subtracto, possit. Quamquam ubique ita libere sententiam dixi, ut, quoad poteram, demonstrare satagerem, simul vero ab omni in aliter sentientes acerbitate, ceu a quadam infamia, abhorrerem, quæ, ne dicam in literatos, sed nec in mentem ullam ingenuam, cadere unquam deberet.

Denique quod tractationis istiusmodi utilitatem attinet, si satis quidem feliciter me in ista versatum fuisse certus essem, non dubitarem, quin ea quam amplissima redundatura in omnes esset, qui Naturali Theologiæ integre iuxta ac perspicue conscriptæ operam intenderent. Quid enim vel ad consolationem hominis germanam, vel ad mores rite informandos, vel ad veram ipsam comparandam sapientiam, potest esse suavius, quid efficacius, quid utilius perfectionum divinarum omnium distincta intellectione? maxime, quod humana omnis cogni-

cognitio universe tantum præcise virtutis & efficaciæ ad ipsum animum commovendum & ciendos voluntatis affectus habeat, quantum evidentiæ, distinctionis, & claritatis. Attamen illa haud dubie utilitas ceteris præstat omnibus, quod in tanta pessimarum doctrinarum libertate, quæ seculum nostrum inhonestat, nihil sit, quod aptius ad divinæ revelationis veritatem agnoscendam præparare, nihil, quod in eadem inconcusse retinenda validius animos obfirmare possit, quam divinarum perfectionum, quæ tale religionis ædificium construendi, totiusque œconomiæ illius, prima Deo ratio fuere; quam distinctissima, & per accuratas demonstrationes perfecte evoluta, intellectio.

Neque vero id genus Theologia Naturalis caute conscripta, veluti minus congruo loco Metaphysicæ apposita videri potest; tum quod ad hanc natura sua prorsus pertineat, tum eo quoque nomine, quod iis, qui a Philosophia ad profanas scientias omissa omni altiore Theologia transeunt, utilissimum profecto sit, necessaria Dei cognitione & naturalis saltem Theologiæ principiis probe imbutum semel animum habere.

Atque hæ sunt consilii mei rationes, quas tibi, amice Lector, accurate exponendas duxi, ut, quo animo suscipi a te laborem hunc meum optem, intelligeres. Ceterum cuncta, quæ

in

in hac licet pure Naturali Theologia continentur, Eccleſiæ Catholicæ, atque eorum, qui huic Dei ordinatione præſunt, iudicio ex aſſe ſubiecta volo. Abſit enim a me (& vero abeſſe ab omni moderato ingenio quam longiſſime deberet) ut plus demonſtrationibus meis confidam, quam divinis ipſis oraculis; quorum certæ exiſtentiæ agnoſcendæ ſolus communis naturæ ſenſus cum obviis factorum examinandorum criteriis abunde ſufficit; quæque factorum criteria non modo præ criteriis realium demonſtrationum magis ſunt obvia, ſed & multo ſecuriora: id quod accuratioris Logicæ peritis ignotum eſſe non poteſt.

Vale.

CONSPECTUS OPERIS.

ARTIC.

O. A. M. D. G.

META-

METAPHYSICÆ PARS IV. THEOLOGIA NATURALIS.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Theologia eſt certa cognitio eorum, quæ in Deo inſunt, & per hæc aut actu facta ſunt, aut fieri poſſunt. *Naturalis Theologia* dicitur, quæ rationalis naturæ viribus & rationis uſu eſt acquiſita; *ſupernaturalis & revelata Theologia* appellatur, quæ non rationalis naturæ viribus acquiſita, ſed Dei loquentis voce & revelatione nobis communicata eſt.

§. 2.

I. *Theologia naturalis vel cum ſcientia rationis ſufficientis eorum coniuncta eſſe poteſt, quæ in Deo inſunt,*

& per hæc facta sunt, ac fieri possunt, vel simplici & qualicunque certitudine aut cognitionis historicæ ex hominum sapientum communi attestatione, aut communis naturæ sensus, constare.

* *Scientiam Theologiæ naturalem* tradere in præsens consilium suscepi, atque istius possibilitatem ipso opere demonstrare. Attamen, & notitiam Dei eiusque attributorum certam omnisque dubii expertem solius ope communis naturæ sensus & consensionis hominum circa prima saltem & maxime necessaria principia vulgo dari in maxime etiam rudi hominum plebe, tum experientia constans docet, tum ipsa necessitas summa exigit: quippe citra quam, cum demonstrationum acumen pars longe maxima non assequatur, ne illius quidem instructionis capaces imperitum vulgus esset, quod a supernaturali & revelata Theologia accipere solet; ut mox ostendetur.

§. 3.

II. *Theologiæ revelatæ cognitio omnis tum fidei assensu constat, quo ob auctoritatem Dei revelantis ea credimus, quæ certo novimus ab eo esse revelata, tum conclusionibus, quæ ex istis certo ratiocinio deducuntur.*

§. 4.

II. *Itaque primorum saltem Theologiæ naturalis principiorum certa notitia quædam prævia ad Theologiam revelatam supponitur, sive cum scientia coniuncta illa sit, sive solo communi sensu naturæ & consensione hominum illius certitudo innitatur; puta, quod Deus existat, quod summe idem perfectus, bonus, sanctus, potens, omniscius, & verax in loquendo, id est, tam falli quam fallere nescius, sit &c.* Citra istorum enim confusam saltem, prorsus tamen certam, notitiam nec Divinæ revelationis existentia dignosci, nec agnosci eiusdem infallibilis auctoritas, neque adeo Theologia revelata ullum habere locum potest (§§. 1. 3.)

Qui

§. 5.

Qui Dei exiſtentiam negat, *Atheus* dicitur. Duplex autem Atheismi ſpecies cenſetur, *Materialismus* videlicet, qui omnia plane entia incorporea negat, & Epicuri diſcipulis tribuitur; & *Pantheismus*, qui Deum cum ipſo univerſo confundit; qui & *Spinozismus* ab auctore ſuo Benedicto Spinoza, vel etiam *Naturalismus* vocatur, eo quod naturam cum ſuo auctore confundat. *Sunt* autem *duæ omnis Atheismi ex parte intellectus, & una ex parte voluntatis, cauſſæ atque origines.* Ex parte *intellectus* quidem inevidentia criterii ſenſus communis naturæ, & evidentis demonſtrationis circa ipſa prima Naturalis Theologiæ principia difficultas abſtruſa, non niſi profundo intellectus, diſtinctæ Metaphyſicæ atque Logicæ principiis inſtructi, acumine ſuperanda. Ex parte *voluntatis* prava appetitus ſenſitivi in apparens bonum ſenſibile inclinatio, a Deo veri boni exactore iuſto ac mali vindice, abhorrens. Geminus ille defectus ex parte intellectus iſtius convictioni obeſt, qua neceſſitas illius aſſenſui circa Dei exiſtentiam & prima quævis Theologiæ naturalis & revelatæ, (§. præc.) principia inferretur: alter iſte ex parte voluntatis inſuper intellectum ita pervertit, ut ſoli confuſæ certitudini, ex naturæ communi ſenſu & conſenſione hominum affulgenti, non acquieſcat, ſed magis difficultatibus & ſophismatis liberam attentionis aciem intendat, quas in celebratioribus quibusque Theologorum demonſtrationibus detegere ſibi videtur.

§. 6.

Theologiæ naturalis ſcientia ultimum Atheismi remedium eſt. Cum enim ſcientiæ proprium ſit omnia ſecundum exactæ Logicæ & Metaphyſicæ prin-

cipia demonſtrare, ipſiusque demonſtrationis evidentia aſſenſſus neceſſitatem intellectui utut renitenti imponere: hoc ipſo quod ſolius evidentiæ defectus Atheismo locum faciat (§. præc.); vera & accurata methodo tradita Theologiæ naturalis ſcientia certum Atheismi remedium erit. Erit vero idem remedium ultimum; tum quod communis naturæ ſenſus certitudo per ſe utique ſufficere deberet; tum quod hac contemta, præter diſtinctam demonſtrationem rationis in ente inviſibili, quale Deus eſt, oſtendendo, aliud criterium non ſuppetat (§. 30. Log, & §. 4. hic.)

§. 7.

Viciſſim in concluſionibus Theologiæ naturalis cognoſcendis, quæ a primis principiis ſunt remotiores; Dei tam ex iſtis primis principiis ſatis perſpecta revelatio aptiſſimum idemque neceſſarium erit adiumentum tam pro iis, qui demonſtrationum Theologiæ naturalis capaces non ſunt, quam qui iſtis maxime animum intendunt. Cum enim, qui demonſtrationum ſunt incapaces, ſenſu communi naturæ unice ducantur; ubi iſte aut deficit, aut nimium eſt obſcurus, omni porro duce in Theologiæ notitia ulteriore acquirenda deſtituentur; niſi Dei revelatio, ex primis Theologiæ naturalis principiis iam ſatis perſpecta & agnita, ſe ducem præbeat. Jam vero ſenſus naturæ communis, etſi circa prima principia exiſtentiæ & præcipuarum perfectionum Dei ſat clarus vulgo ſit, teſte tamen vel ſola experientia circa concluſiones ab eis remotiores ita a prima illa ſua claritate deficit, ut demum prorſus evaneſcat. Nimirum ſicuti ſolum confuſa quædam cognita ratio, vulgo origo ſenſus communis naturæ, circa prima omnis moralitatis principia eſt (§. 285. Log.); ita ex tam confuſa ratione principiorum exigua lux in

in derivatas inde conclusiones tralucet, quæ claritatem & certitudinem hoc ipso multo minorem circa conclusiones quam circa principia, adeoque non eundem naturæ sensum circa hæc atque illas, parit. Itaque his, qui ipsarum demonstrationum capaces non sunt, circa remotiores a primis naturalis Theologiæ principiis conclusiones cognoscendas iam ex illis principiis satis perspecta divina revelatio (§. 4.) non modo aptissimum, sed etiam plane necessarium adiumentum est.

2. Sed & iis, qui ipsis maxime accuratis demonstrationibus id genus remotiorum a principiis conclusionum animum intendunt, iam ex solis Theologiæ naturalis facilioribus ac rite demonstratis principiis certo cognita divina revelatio id genus conclusiones ex sola Dei attestatione cum certitudine summa (§. 298. Log.) perspectas facit. Enimvero qui & in veritatibus inveniendis, & in iam inventis demonstrandis versati fuere, ultro confitentur, facilius esse veritates iam inventas demonstrare, quam nondum inventas, nec certo cognitas invenire, imo demonstrari posse inventas, quas invenire non poteramus, etiamsi inveniendi arte polleamus; propterea quod de iis cogitandi ansa suppeditabatur, errorum contrariorum præiudicia tollebantur, attentio omnis in præsentem scopum conferebatur. Apparet itaque in remotioribus Theologiæ naturalis conclusionibus cognoscendis iam perspectam satis aliunde Dei revelationem universe aptissimum, atque etiam necessarium adiumentum esse.

* Enimvero experientia sane perquam iniucunda ac vere tristis docet, eos, qui maxime demonstrationibus in argumentis religionis ac morum unice inhiabant, quoties solam ducem rationem sequebantur, serius, aut citius, in propioribus aut remotioribus conclusionibus ex prin-

cipiis alioquin evidentibus derivandis, ob nova quædam principia præmiſſarum inſtar pro arbitratu adſcita, in graviſſimos errores fere nunquam non incidiſſe. Exempla in Theologia naturali, Philoſophia morali, & Jure Naturæ, non pauca occurrunt.

§. 8.

Theologiæ naturalis ſcientia etiam vice verſa veræ divinitati revelationis evincendæ inſervit. Hæc enim ſcientia ſi ea ipſa cum evidentia demonſtret, quæ revelatio pro divina habita iam tum homines, ſolo communi naturæ ſenſu de Theologiæ naturalis principiis edoctos, de remotioribus ab his concluſionibus docebat, cum nulla vulgo demonſtratio adhuc usque earumdem concluſionum extabat: enimvero id novum argumentum eſt, revelationem eiusmodi vere divinam & eſſe poſſe & actu eſſe; cum ceteroquin evidens omnino ſit, Deum nihil rationi naturali evidenti adverſum poſſe revelare.

* Adde, ex nulla alia re, quam ex ipſius ſcientiæ iſtius ſtudio & tractatione, clarius elucere tum demonſtrationum id genus difficultatem, tum exinde longe maximæ partis hominum ad iſtas penetrandas inhabilitatem, atque hoc ipſo ſummam divinæ revelationis neceſſitatem etiam circa dogmata religionis naturalis ratione naturali abſolute demonſtrabilia, ſaltem quæ a primis principiis remotiora magisque involuta ſunt.

§. 9.

In Theologiæ naturalis ſcientia demonſtranda primo omnium Dei exiſtentia, tum eius eſſentia, attributa, & operationes, quæ per ea poſſibiles eſſe intelliguntur. Cum enim Deum in ſe ipſo nullo immediato intuitu exiſtere ſentiamus; profecto ſcientia eorum, quæ actu in Deo inſunt, nulla eſſe poteſt; niſi prius exiſtere idem iudicio mediato, ſeu ratiocinio quo-

dam

damevidente, demonſtretur. *Demum* cum in omni ente primum, quod ineſt in eo, ſit eſſentia eiusdem, in qua attributa rationem ſufficientem, cur una inſint, habere ſolent; ex illa autem una cum attributis ratio poſſibilitatis aliorum, quæ porro ineſſe poſſunt, intelligatur (§§. 55. 49. 52. V. Ont.) ſcientia rationis ſufficientis eorum, quæ in Deo inſunt, & per iſta fieri poſſe intelliguntur, i. e. ſcientia Theologiæ naturalis (§. 2.) demonſtrare debet, quænam ſit Dei eſſentia, quæ attributa, & quæ ex his poſſibiles Dei operationes.

§. 10.

In Theologiæ naturalis ſcientia ſupponenda eſt aliqua definitio Dei nominalis, communi naturæ ſenſui conformis. In ea enim demonſtranda eſt exiſtentia Dei (§. præc.). Enimvero ſi demonſtrare volueris, Deum exiſtere, neceſſe eſt, ut ſupponas ante, quidnam hoc vocabulo indigitare velis: ſiquidem demonſtrans exiſtentiam Dei, oſtendis, exiſtere iſtiusmodi ens, quale Deum vocas. Jam vero cum ſumimus, quidnam per Dei vocabulum intelligi velimus, quin per ea, quæ ſumimus, mox appareat definitum eiusmodi poſſibile eſſe, definitionem nominalem condimus (§. 145. Log.) Quam ob rem exiſtentiam Dei demonſtraturus in Theologia naturali definitionem quamdam Dei nominalem ſupponere debes. *Porro* Theologiæ naturalis ſcientia haud dubie idipſum diſtincte demonſtrare debet, quod demonſtrationum ſubtilium incapaces communis naturæ ſenſus, confuſa ſolum eorundem principiorum cognitione nixus (§. 285. Log.) de Dei eiusdem exiſtentia & natura docet. Itaque eandem ſupponere Dei notionem nominalem ſcientia illa debet, quam homines ſolo naturæ communi ſenſu ducti vulgo ſupponere eidem ſolent.

* *Adde*, Theologiæ naturalis ſcientiam, ut Theologiæ revelatæ confirmandæ ſerviat (§. 8.) haud dubie communi cum illa Dei notione uti oportere. Jam vero Theologia revelata non aliam quam ſenſu communi naturæ ortam Dei notionem ſupponit; quippe quæ maxime illorum neceſſitati auxilio venit, qui cur ſubtiles demonſtrationes aſſequi non poſſint, ſenſu communi naturæ in omni religionis naturalis argumento fere unice ducuntur, & hoc ſolo duce ad excipiendum revelationis divinæ lumen circa remotiores a principiis concluſiones ſibi viam ſternunt. Expedit vero quamplurimum, conſenſum demonſtrationis, communis ſenſus naturæ, ac revelationis divinæ, circa argumentum tam grave plena in luce collocare.

§. 11.

Definitione Dei quadam certa nominali ſemel aſſumta ad eiusdem exiſtentiam demonſtrandam, deinceps ex eadem Dei attributa, ac, quæ per iſta porro poſſibilia ſunt, deducenda ſunt. Quodſi enim ex alia Dei notione cetera demonſtres, quin oſtendas novam notionem aut cum priore illa eandem, aut ex illa derivatam eſſe; quantumcunque ex tali ſubſtituta nova notione de Deo attributis, aliisque per hæc poſſibilibus, demonſtres; nondum conſtabit, an illi Deo hæc conveniant, cuius exiſtentiam ante demonſtraſti. Ex eadem ergo definitione Dei nominali, qua ad Dei exiſtentiam demonſtrandam uſus es, tanquam Dei eſſentiales determinationes complectente (§. 50. IV. Ont.) cetera quoque omnia attributa, & quæ porro per hæc poſſe Deo ineſſe intelliguntur, demonſtranda ſunt.

* Pone, Dei nominalem definitionem tanquam *entis neceſſarii* a te ad illius exiſtentiam demonſtrandam initio aſſumtam eſſe, attributa vero ex notione Dei iſta, quod ſit *ens infinite perfectum*, fuiſſe derivata: enimvero, niſi demon-

demonſtres: ens neceſſarium idem, quod ceu Deum, exiſtere demonſtraſti, infinite quoque perfectum eſſe; attributa, quæ enti infinite perfecto convenire demonſtraveris, Deo, cuius exiſtentiam eviciſti, item convenire nunquam conſtabit.

** In Theologia revelata res aliter ſe habet ex parte. Non opus in iſthac eſt, ut ex Dei aſſumta notione nominali cetera attributa demonſtratione inferas; ſed ſufficit conſtare, a Deo eodem, quem vel demonſtratione, vel ſolo naturæ communi ſenſu, exiſtere iam noſti, certo revelatum eſſe, quod hæc vel illa attributa quoque præter aſſumtam initio notionem, & illatam ex hac exiſtentiam, ſibi conveniant. Nihilominus conſtare debet, & eundem Deum, & de eodem, revelaſſe talia, quem & qualem exiſtere ex primitus aſſumta notione conſtitueras. Sic enim iam credere illius infallibili auctoritate ac certa revelatione nixus de eo poteris, quæ de ſe ipſe teſtatus fuerit; etſi, cur eidem talia vi primæ definitionis nominalis conveniant, non intelligas.

§. 12.

Theologiæ naturalis ſcientia demonſtrandi principia ex Ontologia, Cosmologia, & Pſychologia petit, atque accurate inſuper Logicæ inſtitutionibus opus habet, atque adeo his poſtponenda eſt. Res iſta ex ipſo decurſu operis ſane certiſſime patebit. Nimirum Deum ſub ratione entis a ſe, & entis infiniti, ceu ſub definitione nominali gemina, initio conceptum, tum a poſteriori, tum etiam a priori ordinata demonſtratione exiſtere oſtendemus, tum vero ex definitione alterutra iſta nominali cetera Dei omnia derivabimus. Atqui notiones iſtæ omnes in Ontologia, methodus vero & regulæ demonſtrationum a priori ac poſteriori, uſus quoque & poteſtas definitionum nominalium, in Logica evolvuntur. Pſychologia demum & Cosmologia demon-

ſtrationibus noſtris plura ſuppeditabunt principia ex animæ humanæ, & mundi finitudine, iſtius ordine, illius ſpiritualitate, de Dei neceſſitate, infinitudine, intellectu, & voluntate, concludendi &c. Igitur & principia ex iſtis diſciplinis petenda, & eisdem Theologia naturalis poſtponenda.

§. 13.

Notio Dei, qualem exiſtere cunctis hominibus communis naturæ ſenſus, confuſa etſi luce, dictat, ſequens eſt: DEUS EST ENS A SE IPSO EXISTENS, NECESSARIUM, ÆTERNUM, INFINITE IN OMNI GENERE PERFECTUM, QUOD IPSA SUA INFINITA VIRTUTE, BONITATE, SAPIENTIA ET POTENTIA, AUCTOR EST TUM OMNIUM HOMINUM, TUM MUNDI ISTIUS ADSPECTABILIS UNIVERSI.

* Petitum hoc præmitto, a nemine, qui communi naturæ ſenſu nobiscum hominibus pollet, ut opinor, abnegandum: cuius proin, ceu facti ſenſatione intima comperti, non probatio, ſed experientia in ipſo ſinu mentis intimo requirenda eſt. Athei quidem ſenſum communem naturæ e criteriorum veritatis numero expungentes, huic communi naturæ ſenſui de Deo eiusmodi exiſtente nihil deferendum putant: hinc eisdem evidenti ratiocinio talis Dei exiſtentia demonſtranda eſt. Quod ſi rite atque integre fiat, hoc ipſo veritas iſtius criterii ſimul, atque eius origo, ex confuſa videlicet eiusdem ratiocinii luce, naturaliter iam & absque artificio cunctis affulgente, (§. 285. Log.) oſtendetur. Serviet vero conſenſus iſtius clara repræſentatio ad Dei ipſius providentiam ab omni ſcommate impiorum abſolvendam, quaſi is ſufficientem certamque ſui cognitionem non perinde omnibus, rudibus æque & acutis, cum ipſo naturali rationis lumine indidiſſet.

CAPUT

CAPUT I.
DE EXISTENTIA DEI.

§. 14.

Omnis, uti cognitio noſtra (§. 349. Log.) ſic & demonſtratio, a priori, vel a poſteriori, exoritur (§. 320. Log.) Itaque *non niſi duæ univerſe ſuppetunt viæ demonſtrandi exiſtentiam Dei, nimirum a poſteriori una, altera a priori.*

* *Demonſtrationem a priori* univerſe in Logica l. cit. diximus, cuius nullum principium eſt mere per experientiam notum. Itaque *demonſtratio a priori phyſico*, quam vocant, qua ex cauſſa phyſica effectus infertur, *nulla poſſibilis eſt.* Siquidem cauſſæ talis exiſtentia, quæ principii inſtar ingredi id genus demonſtrationem omnino deberet, aliunde quam ab experientia innoteſcere non poteſt.

ARTICULUS I.
DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ DEI A POSTERIORI.

§. 15.

Exiſtit evidenter ens aliquod a ſe. Exiſtit enim evidenter anima humana (§§. 13. 14. 172. Pſych. & §. 312. I. Log.) Jam hæc vel eſt ens a ſe; & hoc ipſo exiſtet evidenter aliquod ens a ſe: vel eſt ens ab alio (§. 35. II. Ont.); & neceſſe eſt, exiſtere aliquam illius rationem ultimam, ſeu ſufficientisſimam (§§. 9. 11. 13. not. Ont.) Atqui hæc, quæcunque eſt, ratio animæ humanæ ultima hoc ipſo erit ratio ſufficiens ſui ipſius (§§. 10. 12. Ontol.) hoc eſt, ens a ſe (§. 35. III. Ont.) Evidenter ergo exiſtit aliquod ens a ſe.

* Non-

* Nondum hic constituitur, quodnam sit hoc ens a se; an idem cum anima nostrum cuiusque, an ab hac diversum. Inter omnes tamen cuiuscunque sectæ Philosophos parem evidentiæ vim isthæc demonstratio habet; cum nullus, ne Materialista quidem, evidentiam existentiæ animæ suæ neget, aut in dubium vocari posse admittat. Universalis itaque eadem demonstratio est, & non obstante cetera hypothesium diversitate assensum ab omnibus extorquet, ne Egocista quidem excepto.

** Adversus simplicissimam demonstrationem hanc aliud Atheo vel obstinatissimo effugium non superest, quam ut seriem rationum mediatarum, id est, caussarum efficientium, numero infinitarum statuat. Quod effugium, etsi stupidissimum revera sit, & omni ex parte chimæras congerat, tamen, ne quid in tam gravi argumento neglexisse videamur, omnino eripiendum illis est.

§. 16.

Series rationum mediatarum (§. 9. Ont.) seu caussarum efficientum, sibi in determinanda existentia singillatim subordinatarum, earumque numero infinitarum, omnis tamen expers rationis ultimæ, quæ esset ratio sufficiens sui ipsius, & ens a se, vulgo *progressus*, aut *regressus in infinitum* dici solet, isque *circularis*, si absoluta semper periodo redeatur eo, unde cœptum est; vel *rectilineus*, si nunquam eo reditur, sed semper pergitur ad nova atque alia.

* Progressum circularem admitteret, qui interrogatus, unde gallina orta sit, responderet: ex ovo, atque iterum rogatus, unde sit ovum; reponeret: ex gallina; atque ita porro sine fine. Si vero homines ab hominibus semper generatos, aut animam unam ab alio ente productam, istudque rursus ab alio remotiore, sicque deinceps, concipias, sine ratione ultima ac prima, quæ sui ipsius

ipsius ratio sufficiens, i. e. ens a se, sit; progressum in infinitum rectilineum statuis.

§. 17.

Regressus rationum mediatarum, seu caussarum efficientium, numero infinitarum rectilineus qualiscunque intrinseca impossibilitate repugnat (§. 36. Ont.) Repugnat enim in ipso conceptu numerus entium infinitus (§. 151. I. Ont.)

§. 18.

Etsi ponas, talem regressum non carere intrinseca possibilitate; tamen si tollas ab eo existentiam rationis ultimæ existentiæ illius, sive entis a se, existere is actu & absolute non intelligitnr Singulæ enim rationes mediatæ non nisi sub conditione hac existere intelliguntur, si existat ratio seu caussa efficiens remotior (§. 9. Ont.) idque perinde prorsus verum est, sive mille, sive milliones, sive infinitum rationum mediatarum numerum censeas. Nulla itaque ratio nec proxima, nec ratio rationis, unquam absolute existere incipiet, aut existere absolute intelligetur, adeoque nec rationatum, sive effectus ullus. Etsi ergo ponas &c.

* Demonstratio hæc luculenter ostendit, posita, vel transmissa etiam intrinseca possibilitate regressus caussarum infiniti, tamen alterutrum ex duobus falso ab Atheo assumi, scilicet vel quod actu existat, vel quod existat absque ratione ultima, quæ sit ens a se. Ut vim omnem eius percipias, revolve, quæ in Logica de indole demonstrationis Apologicæ §. 312. sunt tradita.

** *Reponit* Atheus. Argumentatio præfatæ demonstrationis procedit a sensu distributivo (ut loquuntur veteres) ad collectivum, i. e. a singulis ad totam collectionem hoc e. g. modo: *singulæ rationes mediatæ, seu caussæ subordinatæ, ad sui existentiam absolutam supponunt aliam*

remo-

remotiorem ante se existere: ergo tota collectio aliam rationem suæ existentiæ ante se existere supponit, ut ipsa existat absolute. Atqui talis argumentatio non valet. *Respondeo dist. min.* non valet semper, *conc.* nunquam valet, aut non valet eo modo instituta, quo in præfata demonstratione; *nego. Argumentatio a singulis collectionis partibus ad totam collectionem* affirmativa & negativa esse potest. *Si affirmativa est, tunc valet,* si prædicatum conveniat singulis individuis subiecti secundum se spectatis, & non præcise ut seiunctis ab individuis ceteris eiusdem collectionis; ut si dicam: singuli homines sunt mortales: ergo omnes homines mortales sunt. *Eadem vero non valet*, si tantum singulis conveniat prædicatum seiunctim & ut excludentibus individua alia eiusdem collectionis; ut si dicam: singuli lapides ab uno homine portari possunt: ergo totus simul acervus lapidum portari potest ab uno homine. Pariter argumentatio prædicta, *si est negativa, tum valet,* quando prædicatum ita negatur de singulis nullo plane excepto, ut ne inadæquata eius ratio & partialis in singulis contineatur; ut si dicam: in nullo elemento corporeo inest intellectus: ergo nec in universo eorum cumulo. At *eadem non valet*, cum prædicatum, quod de singulis negatur. in iisdem contineatur saltem secundum aliquam sui rationem inadæquatam ac partialem; ut si dicam: singula elementa mundi non sunt materia; ergo nec mundi elementa omnia materiam conficiunt. Jam vero seu affirmando, seu negando enunties argumentationem præmissæ demonstrationis nostræ; videbis semper eiusmodi illam esse, ut non possit non validissime concludi. Affirmando sic audiet: *singulæ caussæ ad sui existentiam absolutam requirunt aliam ante se: ergo tota collectio, etsi infinitam numero possibilem intrinsecus supponas, ut absolute existat, aliam caussam ante se supponit.* Ubi vides, antecedentem propositionem ita de singulis veram esse, quia unum seiungi exigat ab altero, ut vere istud de ipso affirmetur.

metur. Negando sic eadem enuntiari poterit: *in nulla caussa antecedente ex infinitis numero positis, & sibi invicem subordinatis, inest ratio absolute sufficiens existentiae, sive sui ipsius, sive alicujus consequentis, ne inadaequata quidem: ergo nec in tota earum collectione.*

*** *Reponit* porro Atheus. Entia numero infinita, quae talem progressum constituunt, collective sumi, aut perfecte enumerari non possunt: ergo nec a singulis ad omnes proferri argumentatio potest. *Repono* ego *dist. antec.* & hoc ideo, quia revera nec numerus infinitus caussarum sibi succedentium intrinsecus possibilis est, nec successione unquam ad infinitudinem perveniri potest; *conc.* si ponatur ab Atheo per hypothesin arbitrariam esse possibilem talem numerum, non debet admitti ab eodem necessario, verum esse de singulis in eo numero contentis, non inesse illis ullam rationem existentiae absolutae; *nego.* Secus certe hypothesin suam ipse evertit, nec eius veritatem assumit.

**** *Urget idem* contra dicta §. praec. Quippeni possibilis sit numerus entium sibi succedentium infinitus? cum necessario, posita animorum nostrorum immortalitate, admitti debeat successio cognitionum & volitionum, i. e. actionum vitalium, per omnem aeternitatem continuandarum sine fine. *Respond. negando paritatem.* Nego, ad immortalitatem animorum requiri alias identidem atque alias inter se diversas cognitiones ac volitiones; cum repeti & continuari easdem sufficiat, imo ob status beati immutabilitatem ne verisimile quidem sit, eas perpetuo mutandas. Jam vero *numerus* unitatum quidem similium (§. 150. Ont.) at non earundem (§§. 131. 132. Ont.) multitudo est. Nunquam ergo numerus realis orietur infinitus; quia nunquam existent unitates realiter distinctae sine fine aliae, etsi totam aeternitatem sumas collectim. At contra in Athei hypothesi collectio caussarum actu iam praeteritarum numerum unitatum realiter distinctarum actu

infini-

infinitum complecti deberet. Ad infinitudinem enim numeri id genus caussarum veluti ad asylum tenebrarum & confusionis cogitationum is se præcise recipit, ut in earum cumulo, veluti deperdito omni clariore intellectus lumine, entis a se, seu rationis ultimæ sibimet ipsi in existendo sufficientis, necessitas, huiusque clarior intuitus, evanescat. Quodsi porro *ingeras*, posse saltem a Deo omnipotente creari sine fine substantias diversas. *Repono* 1mo. Ergo admittis Deum. Secus enim negabo tibi, tot substantias esse possibiles. *Repono* 2do. nisi ostendas, substantias numero infinitas secundum se intrinsecus esse possibiles, etsi ponas mecum Deum existere, & omnipotentem esse, nihil cogit admittere, Deum numerum substantiarum creatione semper sine fine augere posse. Si enim impossibilia Deus non possit, non idcirco minus omnipotens erit, modo possibilibus omnibus efficiendis idem sufficiat. Atqui numerum rerum infinitum quemcunque impossibilem esse, nimis quam evidens est vide §§. 37. not. 151. I. Ont.

***** *Urget* porro. Demonstratio §. 15. posita ex entis ab alio existentia infert existentiam entis a se. Atqui id genus illatio tam præpostera est, quam si ex entis a se existentia quis inferret existentiam entis ab alio. *Deinde*, ut recte ex ente ab alio inferretur ens a se, in ente ab alio cognoscibilitas, i. e. ratio sufficiens, entis a se contineri deberet; quod absurdum est. *Repono ad primum*. Ostensum iam in Ontologia §. 102, ens necessarium, quale est omne ens a se (ibid. §. 99. III.) non posse esse entis ab alio, si hoc contingens sit, rationem existentiæ absolute necessariam: unde ex ente a se ens ab alio inferri non potest, nisi hoc illius necessarius item esse effectus aliunde ostendatur. At ens ab alio, seu necessarium (§. 99. III. Ont.) seu contingens sit, semper tamen rationem sui ultimam, adeoque ens a se (§. 35. III. Ont.) requirit, atque adeo istud ex illo recte infertur,

Ad

Ad alterum respondeo dist. antec. debet in ente ab alio contineri cognoscibilitas rationati, *conc.* rationis sufficientis ipsius entis a se cognoscibilitas, *subdist.* si demonstratio fieret a priori; *conc.* si fiat (uti reipsa fit) solum a posteriori, qua scilicet ex rationato infertur ratio sufficiens; *nego.*

§. 19.

Regressus quoque caussarum numero finitarum, vel infinitarum, circularis, nec possibilis est, nec absolute existere potest (§. 16.) Evidens enim est, quod nihil possit esse ratio determinans absoluta existentiæ rei alterius, antequam absolute determinata, sit existentia ipsiusmet (§. 223. Ont.) Atqui caussa a & caussa z in regressu quocunque circulari non sunt determinatæ ad absolutam existentiam, antequam determinent absolute existentiam una alterius: caussa a enim ut determinet absolute existentiam caussæ b &c. & denique ceu caussa remota in circulo existentiam caussæ z, expectat sui absolutam determinationem a caussa z in regressu circulari, & vicissim caussa z, ut suo officio fungatur, expectat remotam & proximam absolutam existentiæ suæ determinationem a caussa a. Cum ergo utraque caussa, antequam determinet alteram ad existendum, expectet ab eadem sui præviam determinationem, nec tamen simul obtinere queat, antequam ipsa det alteri, evidens est, defectum determinationis absolute sufficientis fore æternum.

* Nimirum in utroque regressu res quoad rationem existentiæ cuiusque caussæ absolutam se habet perinde, atque si solutio debiti cuiusquam remittatur ab uno debitore (qui simul omnes & ipsi creditores totidem aliorum sint) ad debitorem alium, quorum tamen singuli præsente pecunia, i. e. facultate proxima & absoluta solvendi, destituuntur. Hujusmodi debitorum & creditorum

five feriem rectilineam infinitam fingas, feu circularem finitam, aut item infinitam; debitum folvi abfolute femper manebit impoffibile. Debeat Caius Titio, Titius Sempronio, Sempronius Marco, & fic in infinitum rectilinee, aut viciffim debeat Marcus Caio, redeundo in circulum, fic, ut quivis fit antecedentis creditor, & debitor fequentis. Nihil evidentius, quam folutionem fore impoffibilem in omnibus æque ac fingulis, fi nullus illorum propriam fufficientem pecuniam habeat abfolute, nec aliunde a quodam extra iftam pauperum debitorum feriem accipiat. Simile exemplum vulgo in catena rectilinea, vel circulari, dari folet, quorum quivis annulus trahet alterum, fi ipfe trahatur; quin motus fequi abfolute poffit, nifi ab ente alieno, motum abfolutum habente in poteftate, motus abfolutus uni faltem annulo immediate communicetur. Hæc ita funt evidentia, ut veluti infanientes ridendi, aut magis miferendi fint, qui diffentiunt.

** Oftenfum hactenus, *exiftere ens a fe*, eo quod exiftat anima noftra; i. e. eo quod aliquod ens exiftat. Antequam vero oftendamus, id ipfum Deum effe, qualem communis notio, naturæ ipfius fenfu nobis omnibus indita (§. 13.) exprimit; evincendum nobis eft, ens a fe non effe animam noftram, nec effe mundum hunc materialem, fiquidem is reipfa exiftat: quem quidem exiftere, Idealiftis exceptis, ceteri omnes admittunt. Etenim quamprimum conftabit, ens a fe, cuius exiftentiam iam evicimus, effe & ab anima noftra & a mundo materiali diverfum, alio non erit opus, quam ut eidem vi naturæ fuæ ac propriæ notionis cetera competere oftendamus, quæ in communi illa ac recepta Dei notione infunt præterea, ut Dei exiftentia a pofteriori pleniffime fit demonftrata.

§. 20.

Ens a fe poffibile eft. Exiftit enim evidenter (§. 15.): omne autem quod exiftit, poffibile eft, nec,

nec, quod est impossibile, existere potest unquam (§§. 32. III. 33. I. Ont.)

§. 21.

Ens a se per essentiam suam adeoque necessario existit. Eius enim ratio existendi in ipsa illius possibilitate inest, atque adeo ex eo, quod possibile esse cognoscatur, etiam existere cognoscitur (§. 35. Ont.). Iam vero quælibet res per essentiam suam possibilis est (§. 16. Ont.), i. e. ex intellecta essentia rei possibilitas intelligitur. Ergo ens a se hoc ipso etiam ex intellecta sui essentia existere intelligitur; quod idem est ac necessario per essentiam existere (§. 98. Ont.)

§. 22.

Ens a se nec oriri, nec interire, i. e. *nec existendi initium, nec finem, habere potest*, vel, quod idem quoque est, *ab æterno existit.* Pone enim initium existendi habuisse; necesse erit, ut antea non extiterit: mutatam ergo eius essentiam fuisse oportet; cum modo vi istius solius existat, nec antea eiusdem vi extiterit. Idem sequitur, si finem habere existendi ponas. Æternum ergo, sine initio & fine, existit (§. 186. not.).

§. 23.

Ens a se in modo existendi, quem per essentiam suam habet, immutabile est. Ratio enim huius sufficiens, i. e. essentia & ipsa possibilitas (§. 56. Ont.) entis a se, immutabilis est: ergo & rationatum (§. 95. III. Ont.)

* Dixi, *in modo existendi sibi essentiali esse immutabile.* Nam utrum mutationum ab extrinseco recipiendarum capax sit, nec ne, altioris indaginis esse, ex dicendis infra §. 45. not. 5. patebit.

§. 24.

Anima humana non est ipsa ens illud a se, quod huc usque ex ipsius existentia demonstravimus existere (§. 15.)

Eſt enim illa mutabilis ſecundum omnem modum exiſtendi, quemcunque illi competere nobis experientia intima evidenter conſtat. Etenim exiſtere illam non alio nobis modo conſtat, quam quatenus cogitare illam & velle ſenſu intimo advertimus (§§. 13. 14. Pſychol.). Itaque nullum ex omnibus exiſtendi modis, quos ſucceſſive ipſi competere conſtat, per propriam eſſentiam, tanquam a ratione ultima ſufficiente, determinatum habet, ſed omnes ab ente alio, tanquam ratione ultima, determinantur. Cum ergo præciſe ex iſtis animæ noſtræ exiſtendi modis, quos ſenſu intimo in nobis ipſi a poſteriori experimur, tum animæ noſtræ, tum ipſius entis a ſe exiſtentiam intulerimus; ens a ſe, quod §. 15. exiſtere demonſtravimus, evidenter non eſt anima humana.

* Nihil in iſta demonſtratione usquam occurrit, quod non ſumma evidentia ſit evidens. Quod enim mutabile eſt in ente, ceu entis modus evidenter in entis eſſentia vel ſola poſſibilitate rationem ſufficientem ultimam habere non poteſt (§. 51. III. Ont. item §. 54.) Fruſtra in modorum ſucceſſione rurſus ad regreſſum in infinitum recurreres, unius modi rationem ex alio antecedente petendo (§. 16. ſeqq.). Nam nec iſthic illum habere locum poſſe, ex §. 17., nec inde explicari ullius modi abſolutam exiſtentiam, ex §. 18. cum omni evidentia patet.

** *Obiicias* forte. Mens humana, licet æternum & a ſe exiſtens, pro libertate qua pollet, libere & mero arbitrio potuit in tempore incipere ſui mutationes: ergo ex illius mutatione inferri non poteſt, eam non eſſe ens a ſe. Nimirum actus liber nec in ſola eſſentia, nec in ullo actu prævio, rationem ſui ſufficientem ultimam adæquatam, ſed partialem ſaltem in ſe ipſo habet. Ruit ergo tota vis illationis. *Reſpondeo.* Evidens eſt, libertatem in mente non niſi ex pugna appetituum mutua exoriri (§. 307. Pſych.); hæc autem pugna tum non niſi prævia cognitionum,

tionum, sensitivæ primum, dein intellectualis, mutatione nascitur (§. 285. Psych.), & varietatem attentionis ad diversa motiva requirit. Omne ergo libertatis in anima exercitium non liberam cognitionis mutationem supponit. Iam vero de hac mutatione cogitationum animæ evidens est, totam vi integra valère demonstrationem nostram. Nimirum libertas in nobis non nisi post prævias innumeras cognitionis nostræ vicissitudines, & tardos a confusa ad distinctam cogitandi rationem progressus, proximam sese exerendi facultatem nanciscitur. Et licet actus liber partialis sit sui ipsius ratio ultima, non tamen est adæquata.

§. 25.

Anima cuiusque nostrum secundum omnem existendi modum, quem ei competere sensu intimo certi sumus, ab ente a se, quod §. 15. existere, & §. præc. distingui ab eadem ostensum est, tanquam a ratione existendi ultima dependet. Ens a se enim existere ex illis modis existendi animæ nostræ, experientia intima compertis, non alio nomine demonstratum est, quam quod secus illorum ratio ultima deficeret, nisi in ente a se actu existente eadem reperiretur. Cum ergo anima non sit ipsa hoc ens a se, nec ratio illa ultima modorum existentiæ suæ, tanquam mutationum sui (§. præc.); in ente a se, tanquam a se distincto, necessario rationem ultimam omnis illius existentiæ habet, quæ ei competere sensu intimo noscitur, atque adeoque secundum omnem existentiam istam suam ab eo dependet (§. 197. Ont.).

* Wolfius thesin istam, *quod anima nostra non sit ens a se* (§. 59. Theol. Nat. P. I. Wolf.) præcise ex eo probat, quod anima, cui vis repræsentandi hunc mundum essentialis sit, sine hoc mundo existere non possit: porro mundum ceu compositum posse non existere (ibid. §§. 47. & 50): ergo & animam posse non existere. An pro demonstratione de mundo sufficiat hæc data ratio, cur non

ſit ens a ſe, poſt videbimus. De anima quidem nimis leviter rem agi a Wolfio, inde patet, quod præciſe in favorem harmoniæ ſuæ præſtabilitæ (quam ipſe meram eſſe hypotheſin fatetur, nos autem ne iſtud quidem veriſimilis hypotheſis nomen mereri in Pſychologia a §. 386. oſtendimus) ſine probatione aſſumat, *vim repræſentandi mundum iſtum animæ eſſentialem eſſe.* Vide §.80. Pſych.

§. 26.

Mundus iſte adſpectabilis non eſt ens a ſe. Ut enim eſſet ens a ſe, cum ſit ens compoſitum, tam ipſa elementa componentia ſimplicia deberent eſſe entia totidem a ſe ipſis exiſtentia, quam totius compoſitionis ratio ultima vel in elementorum eſſentia, vel in ſe ipſa, rationem ultimam ſufficientem exiſtentiæ ſuæ habere deberet. Nihil enim in ente compoſito ineſt, præter ſimplicia & modum compoſitionis eorundem, ad eſſentiam compoſiti pertinens (§. 291. Ont.). *Quodſi in ſola compoſitione* ineſt *ratio ultima exiſtentiæ ipſius compoſitionis*, hæc mutabilis eſſe non poteſt : nihil enim, quod per ipſam poſſibilitatem ſuam eſt ratio ultima ſufficiens exiſtentiæ, h. e. ens a ſe, mutari ſecundum eam exiſtendi rationem poteſt (§. 23.). Atqui mundi compoſitio tam eſſentiali quam accidentali mutatione illius partium actu mutatur ; prout eiſdem ſenſibus externis experimur, quibus exiſtentiam illius ſimpliciter cognoſcimus. Neque enim ſolum motu continuo ſalva eadem compoſitione, i. e. reſpectivo ſitu partium (§. 290. III. Ont.), agitatur, quæ eſt mutatio accidentalis, ſicut in horologio motus indicis (§. 301. III. Ont.); ſed etiam partium ipſarum compoſitio (i. e. ſitus reſpectivus minorum partium maiores componentium) perpetuas mutationes, adeoque eſſentiales (§. cit. IV.), ſubit; uti ex naſcentibus & intereuntibus perpetuo in tellure noſtra corporibus innumeris patet. Quid quod multa etiam

in

in corporum compositione & motu etiam ad liberum animæ nostræ arbitrium præcise determinentur. Sed *neque in ipsa elementorum simplicium essentia inest ratio ultima existentiæ huius* mundi, i. e. *compositionis elementorum.* Quodsi enim ita esset, sicut elementorum essentia, ita & mundi compositio, in ea rationem existentiæ suæ ultimam sufficientissimam habens (§. 13. not. Ont.), prorsus immutabilis & semper eadem perdurare necessario deberet. Neque rursus ad infinitam compositionum sibi succedentium seriem recurri potest, quarum una alteri caussarum instar totidem immediatarum subordinata esset, ob iam demonstrata §§. 17. 18. Denique *nec elementa ipsa simplicia singillatim suæ ipsorum existentiæ rationem sufficientem in essentia sua continere possunt.* Cum enim nullum compositionis modum determinatum vi essentiæ suæ exigerent; vel haberent determinatum nihilominus compositionis modum ab æterno, ceu entia totidem a se (§. 22), vel non haberent? Si primum: illius ratio ultima ab eis distincta, & æque æterna, adeoque ens a se ab eis distinctum, requiretur, a quo ipsa more animæ nostræ (§. præc.) secundum omnem coexistentiæ suæ modum dependebunt: aut certe sine omni ratione sufficiente, & mero casu, aliquis determinatus coexistendi modus illis conveniet. Si alterum: ergo existent ab æterno modo coexistendi nullo, vel indeterminato; quod evidenter absurdum; siquidem nihil in ullo contradictionis genere indeterminatum existere usquam in rebus potest (§§. 21. 22. Ont.). Quoniam ergo nec sine omni determinato coexistendi modo, nec cum determinato aliquo, sed rationis sufficientis experte, coexistere omnino mundi huius elementa simplicia ipsum componentia possunt, neque demum ipsa ullam determinati id genus modi coexistendi rationem suffi-

cientem continent: evidens eſt, ne ſingillatim quidem ſumtis exiſtendi ſimpliciter rationem aliquam ſufficientem ineſſe poſſe; eo quod exiſtentia omnium ſimultanea, quoad coexiſtendi modum indeterminata, cum evidenti principio pugnet; quod docet, nihil uſquam exiſtere poſſe in ullo contradictionis genere plane indeterminatum (§§. 21. 22. Ont.). Elementa porro, quæ exiſtendi ſimpliciter rationem ſufficientem in ſua poſſibilitate non continent, entia a ſe evidenter eſſe non poſſunt. Nulla ergo ratio entis a ſe mundo ineſt.

* *Obiicias* 1. Materiæ primigeniæ, ex quibus omnia telluris noſtræ, ac veriſimiliter etiam Planetarum ceterorum, omniaque mundi alia corpora, conſtant, prorſus reſolvi ulla virtute nequeunt (§§. 180. 181. Coſmol.). Itaque compoſitionis earum modus per ipſa elementa ſimplicia horumque eſſentias eſt determinatus. Iam vero hæc ſola compoſitio ad eſſentiam mundi, ceu quæ ſola immutabilis, referenda eſt. *Reſpondeo.* In Coſmol. cit. §§. 255. 258. 259. iam quidem oſtendi, in elementis rationem compoſitionis partium minimarum materiæ cuiusque primigeniæ neutiquam ineſſe. Sed evertere obiectionis vim applicatione ipſius demonſtrationis modo datæ multo evidentius iuvat. Fateàris ergo ſaltem neceſſe eſt, mutationum mundi accidentalium, quas tu ſaltem admittis, rationem ſufficientem ultimam evidenter nec in ſola eſſentia partium minimarum primigeniarum, nec in earundem ipſis mutationibus ſingulis præviis, nec in utrisque ſimul contineri. Quod igitur de elementis ſimplicibus iſthic demonſtravi, de partibus minimis, vel atomis, primigeniis valebit ſaltem cum omni ſua evidentia, nimirum partes iſtas minimas primigenias nullam coexiſtendi inter ſe modi determinati, adeoque nec exiſtendi ſimpliciter, rationem ſufficientem ſingillatim continere, nec adeo totidem eſſe entia a ſe. Iam vero audi porro, quomodo demonſtra-

strationis evidentiam, quamque facile, ab atomis quibusque materiæ ad elementa simplicia promoveam. Atomi istæ ergo nullam suæ existentiæ rationem ultimam sufficientem singulæ continent, nec adeo universæ rationem determinatæ coexistentiæ. Ergo cum atomi istæ, ceu ens compositum ex elementis simplicibus, universe tum elementis ipsis, tum modo compositionis istorum vi essentiæ suæ constent (§. 291. Ont.); aut modus compositionis elementorum simplicium in eisdem, aut ipsa elementa simplicia, existentiæ rationem sufficientem ultimam cum essentia atomi identificatam desiderabunt. Quodsi alterum est; habemus, quod volumus, nec elementa mundi, nec adeo mundus totus erit ens a se. Sin vero primum: compositionis ergo elementorum in illis atomis nulla ratio ultima sufficiens elementis inerit, nec ullius determinati coexistendi modi, nec adeo existendi simpliciter, neque entis a se: quæ est ipsa emphasis & energia demonstrationis datæ.

** *Obiicias* 2. Elementa vel atomi materiæ, motu fortuito coire in compositionem huic mundo propriam potuere; postquam semel extitere a se ipsis. *Deinde*: ens a se quodcunque existens, licet ipsum æternum sit, tamen in tempore & cum initio produxit mundum hunc, vel nobismet fatentibus. Ergo & elementa mundi, ceu totidem entia a se ab æterno existentia in tempore coire in mundi istius præsentis compositionem potuere. *Respondeo. Quod ad primum*; de primo, quem elementa ante omnem motum fortuitum necessario habuere (ob numeri mutationum impossibilem regressum infinitum §§. 17. 18.), compositionis modo omnis hic nobis sermo ac quæstio est; quem aut indeterminatum, aut rationis sufficientis expertem futurum ostendimus, nisi admittatur ens a se ceu eiusdem ratio ultima a mundo universo distincta. Itaque, sive elementis semel cum quovis inordinato compositionis modo productis solius ope fortuiti eorum motus ordo præsens exoriri potuerit, sive non; vis integra demon-

ſtrationis noſtræ circa ipſorum elementorum dependentiam in exiſtendo ab ente alio ab ipſis omnibus diſtincto ſalva prorſus eſt. Porro an fortuitus motus tanto ordini producendo ſufficere abſolute potuerit, iſtud quoque ex propoſito infra §. 37. ventilabimus; quin ab ea quæſtione præſens demonſtratio pendeat ullatenus. *Quod ad alterum,* quæro: vel elementa, antequam hunc coexiſtendi modum, quem huic mundo primum proprium ponis, libere determinarent, habuere alium determinatum coexiſtendi modum, cuius mutatione iſtum libere aſſumpſere, nec ne? Sin minus: impoſſibile eſt, ut extiterint ante iſtum (§. 21. Ont.). Si habuere: vel habuere vi eſſentiæ tanquam rationis ſufficientis ultimæ, an non? Si primum: mutari nullo libertatis exercitio, nec alia quavis ratione, potuit, ob eſſentiæ rationem immutabilem. Si alterum: ergo habuere aut ſine ratione ſufficiente, aut ab ente diſtincto. Quorum enim ratio, cur inſint enti, in eſſentia non ineſt, ea non attributi, ſed modi tantum habere indolem poſſunt: modus vero omnis rationem ultimam ſaltem partialem in ente extraneo habet. Vide §. 54. Ont., qui omne demonſtrationis noſtræ fundamentum unus continet.

*** Adverte porro, demonſtrationem propoſitam prorſus eandem eſſe cum geminis illis, a D. Thoma Aquinate 1. q. 2, a. 3. primo loco propoſitis: ſiquidem omnem mutationum in mundo per motum fieri, unumque motum alterius motus ſeu mutationis cauſam efficientem (ſiqua vere efficiens cauſſandi ratio ineſt) eſſe ex §. 301. IV. Ont. item ex §§. 30. 46. ſeqq. Coſmol. conſtat. Tertium D. Thomæ argumentum ibidem propoſitum revera ex contingentia iſtius mundi repetitur; quod pluribus vulgo arriſit. Sed quoniam Leibnitiani omnes neceſſitatem in mundi hujus exiſtentiam (ceu optimi) ex ipſius infinitæ perfectionis voluntati divinæ propriæ virtute invexere; cuius falſitas non niſi prius demonſtrata divinæ libertatis indole, demonſtrari poteſt; contra methodum peccare argumentum

mentum ex ignota adhuc, aut certe nondum vere demonstrata, mundi contingentia petitum videtur. Quoniam ergo paucioribus ex principiis evidens est, *omne* quidem *ens contingens esse ens ab alio*, quam *omne ens ab alio esse ens contingens* (§. 99. IV. Ont.) ; quin isthic demonstrare opus sit contingentiam mundi, sufficiebat prorsus demonstrare ex mundi mutabilitate, eiusdem existentiam ab ente alio dependere; quæ ipsa demonstratio multo simplicior est, supposita saltem Leibnitianæ illius sententiæ vexa. De cetero vero, si illam Leibnitii sententiam tollas, tota quoque demonstratio nostra ipsius contingentiæ mundi demonstratio est, atque hoc ipso evincit rursum, ens a se, cuius existentiam §. 15. evicimus, a mundo penitus distingui.

**** Ill. Wolfius §. 47. suæ Theol. Nat. P. I. ens a se compositum esse posse, quale mundus reipsa est, negat præcise ex eo, quod omne compositum oriri ac interire possit; cuius asserti demonstrationem ex §. 542. Ontolog. suæ allegat. At hoc ipso paragr. cit. aliud revera non probat, quam compositum omne, si eius partes iam ante compositionis determinatum modum tali composito proprium alio quodam compositionis modo coexistant, quem vi essentiæ suæ non exigunt, posse ex eis oriri sola nova compositione in eas introducta, ac rursum quoque interire. Contra posse huius mundi elementa sine compositionis modo huic mundo proprio coexistere, nec ullius determinatæ compositionis rationem sufficientem continere in se ipsis, adeo non probat Wolfius, ut potius (in gratiam videlicet Harmoniæ præstabilitæ) §. 570. Cosmologiæ suæ, & rursus §. 52. Theol. Nat. P. I., prorsus affirmet, isthæc, quæ mundum hunc componunt elementa, alterius compositionis capacia quam præsentis huic mundo propriæ nequaquam esse. Inde enim ex inseparabilitate elementorum inter se nexum istorum, & ex inseparabilitate eorundem a compositione ista repræsentationibus animæ nostræ consentanea nexum eorum cum nostra anima,

anima, vi legis harmoniæ §. 388. seq. Psych. explicatæ, repetit. Cum ergo secundum Wolfium mundi huius compositio per elementorum essentiam determinetur ita, ut alius quam iste ex eis oriri mundus non possit; cumque adeo elementis semel existentibus compositio sit ab ipsis elementis: nisi Wolfius demonstret, elementa singula totidem entia a se haud esse posse; etsi mundus sit compositus, non sequetur, illum ex meris entibus a se componi haud posse. Iam vero, elementa non esse entia a se, Wolfius cit. §. 52. Theol. Nat. P. I. præcise ex eo probat, quod mundus iste ceu ens compositum possit non existere, nec sit ens necessarium, adeoque possibile sit, etiam elementa hæc, ceu a præsente mundo inseparabilia, non existere; demum quod id, quod potest non existere, ens a se esse haud queat. Atqui ostendemus infra §. 237. not. hunc mundum fore ens necessarium, si & optimus ille sit, & Deus non nisi optimum creare potuerit. Imo admittit Wolfius, tum vi solius principii rationis sufficientis huius mundi existentiam determinari, tum absolute necessarium in eodem genere esse, quod vi principii contradictionis solius iam in aliquo genere est determinatum. Atqui iam §. 34. Ont. ostendi, quidquid per principium contradictionis determinatur, ut possibile sit, vel non sit, idem etiam determinari eodem modo per rationis sufficientis principium. Si ergo vi istius non potest alius existere mundus, nec idem per principium contradictionis fieri potest. Erit ergo mundus iste, licet compositus, ens absolute necessarium, atque adeo hiulca, ac nequaquam solida, tota Wolfiii demonstratio est; cum asserta licet reipsa existentiæ mundi eiusque elementorum necessitate, Wolfius tamen nusquam probet, aut elementa saltem esse entia ab alio, aut eorundem compositionis modum primum saltem necessario ab ente alio, eoque diverso ab iisdem omnibus elementis, determinari debuisse.

§. 27.

§. 27.

Mens humana, ceu substantia simplex vi repulsiva prædita, participat vires elementorum corporeorum (§. 397. II. Psych.), adeoque nexu communi physico homogeneo cum elementis sui corporis, & his mediantibus cum toto mundo hoc, connectitur. Præterea modus coexistendi certus cum elementis istius mundi, ceu in uno composito eatenus homogeneo (§. 287. Ont.), in eadem anima natura prior est, ceu ratio possibilitatis (§.242.Ont.), modis omnibus existendi animæ ceu substantiæ intellectuali propriis, in cognitione aut volitione consistentibus. Siquidem omnis volitio cognitionem, omnis cognitio ideas pro dispositione prævia, seu ratione possibilitatis suæ, supponit (§. 334. Psych.): ideæ vero sensuales, quæ ceterarum omnium sunt principia, secundum corporis structuræ modum, & istius situm in mundo isthoc respectivum, limitantur (§. 192. Psych.). Iam vero mens humana, perinde atque elementa istius mundi, coexistendi modum cum istis perpetuo mutat, tam prout hæc mundum universe, quam prout eadem corpus nostrum cuiusque proprium conficiunt. Omnis ergo, quæ de singulis mundi elementis §. 26. proposita est demonstratio etiam de substantia simplice animæ nostræ valet. Nimirum vel modi compositionis, sive coexistentiæ eiusdem cum omnibus ceteris mundi huius elementis (qui itidem primus aliquis esse debuit per eundem §. cit.) ratio ultima sufficiens in ipsa essentia animæ inest, vel non? Si primum: erit ille immutabilis; quod est eidem experientiæ contrarium, qua existere mundum hunc corporeum nobis constat. Si alterum: ergo, nisi ab ente alio is coexistendi modus determinatus fuerit, aut rationis sufficientis expers, aut prorsus indeterminatus fuerit, necesse est; quorum utrum-

vis

vis æque abſurdum eſt. Anima ergo nullius determinati modi coexiſtendi cum mundo hoc rationem ſufficientem ultimam in ſe ipſa continet; & cum per dicta ſine tali cum mundo coexiſtendi determinato modo nullus alius exiſtendi modus, animæ præterea compoſſibilis, exiſtere actu queat, ſive quoad cognitiones, ſive quoad volitiones; anima humana perinde atque elementa mundi corporei nullam ſimpliciter exiſtendi rationem ſufficientem ultimam in ſe continet (§. 26. in fine.). Unde *ſi mundus corporeus revera exiſtat; vi demonſtrationis, qua iſte ens a ſe haud eſſe poſſe intelligitur, hoc ipſo etiam velut ex novo argumento evidens eſt, animam humanam nullo pacto eſſe ens a ſe.*

* Supra §. 24. demonſtravimus ſolum, ex modis exiſtendi animæ, quos illi actu competere conſtat, nullum eſſe, qui rationem ultimam in anima ipſa completam habeat. Hic oſtenditur, ſuppoſita mundi exiſtentia, ſuppoſitaque ſimul in anima noſtra mutabilitate modi coexiſtendi cum elementis eiusdem, animam eandem ſimpliciter nullum exiſtendi modum a ſe ipſa habere omnino poſſe; quia is vel neceſſario quoad coexiſtendi modum cum elementis mundi indeterminatus, vel certe rationis expers ſufficientis, futurus eſſet; eoquod coexiſtentiæ iſtius modus nullus vi eſſentiæ ipſius animæ, aut elementorum mundi, rationem ſufficientem habere poſſit, ob inſitam videlicet ſibi perpetuam mutabilitatem. Vides ergo demonſtratam cum omni metaphyſica evidentia theſin hanc: *animam non eſſe ens a ſe*, ſive admittas exiſtentiam realem mundi, ſive non admittas cum Idealiſtis; efficacius tamen ſi cum ſanis hominibus omnibus potius admittas.

§. 28.

I. *Non omne ens ſimplex eſt ens a ſe.* Patet exemplo animæ & elementorum mundi ſecundum hactenus demonſtrata.

II. *Tam*

II. *Tam anima nostra, quam mundus iste, si existit, eiusque elementa singula, sunt entia ab alio* (§. 35. II. Ont.).

III. *Existit ens a se, quod sit tam ab anima nostra, quam a toto mundo isto adspectabili, si is reapse existat, diversum atque distinctum.*

§. 29.

IV. *Etiamsi elementa mundi iuxta, atque anima nostra illis coexistens, eorumque virium particeps, per hypothesin possibilem, vel impossibilem, ponantur esse entia totidem a se ipsis existentia; nihilominus admitti deberet ens a se existens ab illis omnibus distinctum, a quo ipsa penderent in modo coexistendi inter se.* Cum enim, etsi existerent simpliciter, tamen modi istius coexistendi nullam in se ipsis rationem ultimam sufficientem continerent, ab ente distincto, eoque tali habere eam deberent, quod simul esset ratio sui ultima, i. e. ens a se (§. 12. 35. Ont.); a quo proin in modo coexistendi determinato dependerent (§. 197. Ont.).

§. 30.

V. *Etiamsi anima nostra sola sine mundo corporeo reali existere, & esse ens a se ponatur per hypothesin possibilem, vel impossibilem; nihilominus admitti deberet ens a se existens, quod ab illa distinctum, & a quo anima in modo existendi perpetuo dependeret.* Patet ex §. praec. eo quod tum æque parum mutationum suarum rationem ultimam in se contineret.

§. 31.

Enti a se, a quo mundus iste, si existat, dependere tanquam ens ab alio (§. 26.) *simpliciter, & speciali nomine quoad modum compositionis suæ ostensus est* (§. 29.), *talia tribuenda sunt prædicata, seu notæ* (§. 5. Ont.), *qualia ad hoc requiruntur, ut intelligatur ex illis (tanquam ratione sufficiente existentiæ huius mundi in specie) cur iste*

mundus

mundus cum hac perfectione & ordine sibi proprio existat. Cum enim ex elementis ipsis & modo compositionis, tanquam ex ratione possibilitatis mera, sola possibilitas, non item existentia, huius mundi in specie cum perfectione & ordine praesente intelligatur (§§. citt.); ratio vero existentiae a solo ente a se repetenda sit; huic tanquam caussae efficienti (§. 204. Ont.) talia praedicata, i. e. notae reales (§. 7. II. Ont.); ipsius perfectionem conficientes (§. 86. Ont.), tribuendae sunt, ex quibus istius mundi existentia cum hac perfectione atque ordine intelligatur: siquidem quidquid realitatis effectui inest, in eiusdem caussa efficiente huiusque vi completa inesse debet (§§. 222. 224. 225. IV. Ont.).

§. 32.

I. Itaque *ex mundi perfectione perfectio entis a se, quod est istius auctor, cognosci a posteriori potest ac debet.*

II. *Perfectio ergo mundi tam absoluta, quam respectiva* (§§. 85. 86. Ont.) *distincte prius cognoscatur, & adaequate, oportet ut tam distincte, quantum absolute possibile est, a posteriori ex isto mundo entis a se, quod illius est auctor, perfectio cognoscatur.*

§. 33.

Quoniam ens a se, quod mundi auctor est, tam existentiae elementorum, quam modi compositionis primi, a quo omnis mutationum sequentium series pendet (§. 258. seqq. Cosmol.) caussa efficiens ultima est; ex multitudine elementorum componentium, ceu perfectione extensiva mundi compositi, & ex modo compositionis, per quem rationes nexus & inde exorientium in singulis elementis modificationum, i. e. intensiva mundi compositi perfectio determinatur (§§. 279. 295. Ont.), tanquam ex effectu, caussae efficientis, seu entis illius a se, perfectio metienda est. Et quoniam multi-

tudo

tudo omnium elementorum mundi magnitudinem istius conficit; quatenus ex elementis atomi & moleculeæ materiarum primigeniarum (§§. 179. 180. Cosm.), & ex his singula corpora, ex corporibus denique totus mundus coalescit: quoniam item modus compositionis primus, quatenus is ratio sufficiens est omnium modificationum & mutationum sequentium tam in singulis elementis quam in corporibus integris, ab ordine mundi primo, ceu entis compositi simultanei (§§. 240. I. 265. Cosm.), non differt (§. 313. Ont.): *ex magnitudine atque primo ordine mundi, tanquam proprio entis a se effectu, ipsius entis a se ceu efficientis caussæ ultimæ perfectio æstimanda est.*

§. 34.

Quoniam in partibus componentibus & modo compositionis (i. e. in elementis mundi eorumque primo ordine simultaneo) ceu in essentia compositi, ratio sufficiens proxima, vel remota, inest omnium illarum mutationum, quæ vi ipsius naturæ & essentiæ compositi (§. 283. Cosm. §. 291. Ont.) in composito evenire possunt: *perfectio primi ordinis mundi, ceu compositi simultanei, ab ente a se producti, ex universa serie mutationum & ordine istarum successivo in omnibus mundi corporibus eveniente, huiusque duratione, æstimanda est.*

§. 35.

Mundi magnitudinem, & leges seu regulas ordinis successivi mutationum in corporibus mundi totalibus, Astronomia Neutoniana demonstrat; quæ universim docet ad statas leges Arithmeticas & Geometricas omnes corporum illorum motus exigi. Solo autem motu omnes entis compositi mutationes absolvi ex §. 301. IV. Ont. constat. De corporibus mundi istius partialibus Cosmologia ostendit, phœnomena omnibus communia, i. e. im-

penetrabilitatem, motum, gravitatem, cohæſionem (§. 12. Coſm.) itidem ſecundum omnes rationes ſuas ſpecificas ex numero elementorum in ſe agentium, molecularum figuris, i. e. dimenſione, diſtantiis, denſitate ſeu pondere ſub eodem volumine, hoc eſt, univerſe ſecundum leges ſeu regulas item Arithmeticas & Geometricas determinari ita, ut vi iſtarum conſequens quivis ordo ſimultaneus ex antecedente, incipiendo a maximæ molis corporibus & progrediendo usque ad moleculas primigenias, ſecundum eſſentiam nunquam mutari aut reſolvi ſolitas (§§. 180. 181. Coſm.), tanquam ex ratione ſufficiente proxima conſequatur. Id ipſum denique Phyſica tota docet tum de omnium corporum ſpecie, puta de ipſis materiis primigeniis, de omni foſſilium, plantarum, & corporum animalium genere, verbo, inde a maximis corporibus deſcendendo usque ad minimorum inſectorum, non niſi acutiſſimis microſcopiis ſenſibilium, corpuſcula; quorum omnem ſtructuram, etſi elementis innumeris conſtet, ad circinum & normam ita præciſe exactam oſtendit, ut vi Mechanicæ perfectiſſimæ omnes id genus corporum & corpuſculorum tam mutationes, quam novæ generationes, eveniant: tum de omnibus omnium corporum qualitatibus, puta, de elaſticitate, calore, frigore, luce, ſono, odore, guſtu &c. quas omnes ex certis rationibus ac proportionibus numeri elementorum, figuræ, motus, magnitudinis molecularum, ſecundum ſpeciem & intenſionem ſuam determinari eadem oſtendit. *Omnis* ergo *ordo ſucceſſivus mutationum in toto mundo hoc evenientium ad leges mathematicas easque generales*, i. e. pluribus ſimilibus genere aut ſpecie mutationibus communes, *perpetuo exigitur*.

* Excellentia iſtius ordinis ſucceſſivi haud dubie ex intima diſciplinarum illarum omnium notitia [doctorum

quam

quam indoctorum oculis immensum prope illustrior affulget; ad quam lucem comparata omnis Ciceronis eloquentia (vide Cicer. Lib. II. de Nat. Deorum) non tam exornare admirabilem illum mundi ordinem, quam obfuscare merito videatur. Sed ex hoc ipso patet, quam gravia momenta sint, cur Theologiae Naturali, non solum Cosmologia (quod iam moris est) sed etiam Physica, cui ex consuetudine etiam Astronomiae saltem superficialis quaedam notitia iam misceri solet, praemittenda. Profecto, qui vel obiter mundi Astronomici magnitudinem, corporum motorum molem iuxta, ac pernicitatem motus, regulas istorum motuum geometricas tam status, naturam omnium qualitatum corporearum, structuram corporis animalis vel minutissimis insectis communem, quia vel solius oculi, auris &c. texturam plantarum, generationes omnium fossilium, origines fluminum & fontium &c. &c. perspectas habuerit, is longe aliter de mundi istius perfectione, quam alius istorum omnium imperitus, sentiet, multoque etiam facilius ea de ente illo summo inferet, quae nos porro in decursu istius Theologiae Naturalis de eodem illaturi sumus.

§. 36.

Quoniam itaque in primo mundi ordine simultaneo, ab ente a se mundi auctore determinato, ceu in modo compositionis, ratio sufficiens omnis sequentis deinceps ordinis successivi, i. e. omnium sequentium mutationum mundi istius, iam determinata est (§. 264. Cosm.); *ratio* quoque *sufficiens effectus omnium illarum legum mathematicarum, ad quas ordo mundi istius mutationum omnium successivus inde ab initio usque huc constanter secundum omnes mundi partes, incipiendo a maximis ad minimas, exigitur* (§. praec.), *iam in primo illo mundi compositionis modo ac ordine simultaneo determinata ad existendum, & ab ente illo a se, mundi auctore, constituta est.*

* Iam in Cosmologia ostensum est; etsi leges naturæ corporeæ, quæ a sola elementorum essentia & natura determinantur, absolute necessariæ sint (§. 295. Cosm.), nihilominus earundem effectus, quoad a compositione elementorum præcise quoad certas sui modificationes pendent, respectu totius mundi naturæ contingentes esse (§§. 259. 265. Cosm. & §. cit.), atque adeo in ente alio, quod per §. 26. non nisi ens a se esse posse constat, tanquam a ratione ultima fuisse determinatas, ac constitutas. Nihilominus, quoniam ex mundi ordine speciali argumentum petitur demonstrandi existentiam *entis a se intelligentis*; ostendendum est porro, elementa huius mundi, quæ ob mutabilitatem modi sui coexistendi evidenter ultimam existendi rationem in ente a se habent, quod ab omnibus ipsis est distinctum, non potuisse aliunde quam ab eodem ente a se accepisse determinationem illius ordinis primi simultanei tam admirabilis, de quo §. præc. Fuere nimirum, qui, cum satis adverterent ex ipsa mundi mutabilitate, nullum coexistendi modum corporibus ac elementis eundem componentibus vi essentiæ suæ convenire, ne tamen illius explicandi caussa confugere ad ens a se, ceu caussam ipsius efficientem, cogerentur, maluerunt eius ordinis, tam stupendi licet, originem a motu seu elementorum, seu atomorum materiæ, mere fortuito sic cum Democrito & Epicuro repetere, ut post infinitas agitationes & natas inde plurimas compositiones denique compositio illa ordinatissima mero casu exorta fuerit, ex qua deinceps omnis ille ordo successivus mutationum & phænomenorum mundi est consecutus.

** Notandum porro, a stolidis id genus somniatoribus ne isto quidem hypothesis impossibilis asserto demonstrationem supra positam de entis a se vera existentia, ex mutabilitate mundi eiusque elementorum quoad omnem existendi modum petitam, ullo pacto subterfugi; prout ex dictis §§. 29. 30. apertum omnino est. Adhuc enim primus aliquis coexistendi modus, seu cum mera confusione,

seu

seu cum ordine aliquo apto (§§. 313. 314. Ont.), existere aliquando proprius illis debuit: qui cum neque nullam, neque ex eorum essentia aptam aliquam, habere rationem ultimam potuerit, habere eandem ab ente a se prorsus debuit. Iam vero illud insuper agimus, ut his omnibus omissis, transmisso etiam (non concesso), quod elementa a se extiterint, & confuso quodam omnisque ordinis experte compositionis modo a seipsis coextiterint ab æterno, ostendamus porro, ens a se ceu auctorem istius præsentis ordinis, eumque summo intellectu præditum, vi unius principii istius admitti debere, quod nec elementa mnndi, neque atomi aut moleculæ primigeniæ, vi essentiæ suæ determinare mox inde ab initio, vel inde omnino ab æterno, tam ordinatum, qui nunc est, coexistendi modum potuerint: quod solum principium ex demonstratione §. 26. nobis integrum concedi postulamus. Verbo: petit Atheus, instar hypothesis saltem assumere sibi liceat, extitisse iam inde ab æterno elementa, summe quidem confusa inter se, & nullo ordine disposita, tum vero fortuitis motibus continuo fuisse agitata. Hac seu possibili, seu impossibili, hypothesi assumta, vult possibile fuisse, ut post innumeras ex omnibus, quæ absolute secundum se possibiles sunt, combinationibus ortis, ac sibi succedentibus, denique præsens ista exorta fuerit, quin alia illius ratio extranea sufficiens intervenerit.

§. 37.

Evidens prorsus est, summum ordinem ex confusione mera sine alia ratione sufficiente existentiæ eius prorsus extranea nasci haud posse. Confusio enim locatorum talis dispositio eorundem est, vi cuius proxima eorundem aptitudo ceu mediorum ad communem aliquem terminum, qui finis instar est, efficiendum minime determinatur (§§. 324. 321. Ont.); quæ ipsa aptitudo vel in ratione possibilitatis, vel in ratione sufficiente existentiæ, finis eius-

dem consistit (§. 267. Ont.). Quodsi ergo ex confusione mera sine alia ratione sufficiente extranea summus ordo eorundem locatorum oriretur, necessario finis nullo præsente medio, effectus sine caussa & sine omni sufficiente ratione, oriri deberet; quod est absurdum evidenter. Quodsi vero in ipsa confusione locatorum nihilominus inesse rationem sufficientem existentiæ iuxta ac possibilitatis pro summo illo ordine existimas, in summa licet confusione ita locata esse elementa ponere debes, ut vi istius locationis illorum proxima & completa aptitudo determinata sit, ad summum istum ordinem efficiendum. Atqui si illorum dispositio, seu locatio, huic aptitudini conformata iam ante ponatur, ante ordinem iam ordo, & non confusio, existet (§§. 313. 324. Ont.): quod hypothesin evertit. Quodcunque ergo ponas, evidens prorsus est &c.

* Nimirum ex sola notione utriusque evidens est, ordinem ac confusionem sibi mutuo opponi (§§. cit.). Qui fieri ergo possit, ut illorum unum ex altero tanquam ex sua ratione sufficiente oriatur? Potius sicut ex non ente non nisi non ens, sic ex confusione non nisi confusio, neutiquam vero ordo, nasci potest.

** *Obtrudunt* vulgo sophisma illud. Inter omnes possibiles elementorum combinationes etiam præsens hæc continetur: sed æternis agitationibus elementorum factis omnes possibiles combinationes successu temporis exoriri debent: ergo & præsens, utut ordinatissima. *At* evidenter falsa minor est. Neque enim sine ratione sufficiente existentiæ combinatio ulla, utcunque secundum se possibilis, ex non existente existens fieri potest. Atqui in confusione elementorum, etsi ratio possibilitatis respectu cuiuscunque ordinis eorundem in ipsis iam elementis insit, ratio tamen existentiæ sufficiens inesse non potest; secus non confusio, sed iam ordo ante ordinem omnem inesset.

** Ceterum nescio, an ii satis felices fuisse in demon-

monstrando æstimari debeant, qui cum D. Samule Hollmann in Demonstrat. Prop. de Deo & Script. C. I. Sect. III. §. 4. p. 106. seq. calculo demonstrare conati sunt, ortum huius mundi eiusque ordinis ex mero casu aut motu fortuito elementorum ita certo falsum esse, ut non nisi una infinitesima parte a plena evidentia istius falsitatis certitudo absit. Sic illi quidem argumentabantur. Casus ordinis ex motu fortuito exorientis in comparatione combinationum aliarum æque secundum se possibilium & ordinis expertium, quæ pœne infinitæ numero in tanta elementorum multitudine sunt, non nisi uti una infinitesima pars quædam in numero pœne infinito se habet, atque adeo infinities probabilius est, ipsum non ita evenisse, quam evenisse. Et quoniam hoc de omni combinatione ordinata, in iisdem mundi elementis possibili, ex æquo verum est; infinities verisimilius est, non eventurum fuisse ordinem ex motu confuso, quam fuisse eventurum. Enimvero argumentum hoc summam verisimilitudinem probat, si mutatione & iactu veluti elementorum unico evenisse ordinem hunc ab Atheo assereretur. At cum ille iuxta ponat agitationes numero pæne infinitas, nescio an vis sua eidem revera constet. At denique calculatorio, ut vocant, argumento opus non est, ubi ipsæ notiones distinctæ ordinis & confusionis veram demonstrationis simplicissimæ evidentiam nobis offerunt.

§. 38.

Ens a se, quod est ratio ultima ordinis illius primi simultanei elementorum mundi huius, ex quo ordo ille omnis successivus tam admirabilis & constans omnium sequentium eventuum in hoc mundo corporeo deinceps consecutus est, evidenter summo intellectu præditum esse debet. Ex ratione enim ultima istius ordinis intelligi posse debet, cur elementa mundi, secundum se singillatim indifferentia ad quamvis aliam dispositionem localem, omnis ordinis expertem, & quidem

dem numero pæne infinita, omnia initio præcise iis locis respectivis inter se disposita sint, quos regulæ istius ordinis (§. 302. Ont.) enuntiabant aptitudini eorundem consentaneos, ut ex ipsis tanquam mediis & caussis efficientibus communis ille ordinis illius primi terminus (§. 321. Ont.), seu finis nobilissimus, mundi nimirum istius perfectio & ordo successivus omnium eius sequentium mutationum, idemque summe compositus, & secundum omnes ac minutissimas quasque sui partes ad leges mathematicas perpetuo exactus, ac per tot secula semper sibi constans, consequeretur. Atqui istud evidenter intelligi non potest sufficientissime ex ratione sufficiente aliqua, seu caussa, quæ ipsa cæca & intellectus omnium regularum istius ordinis atque aptitudinis elementorum localis expers sit. Etenim in elementis ipsis nihil inerat, cuius caussa hæc isto ordine disponi exigerent: & si intellectum ab ordinante separes, aut fortuito casu ens istud ordinans incidisse in præsentem hunc ordinem tam admirabilem dicere oportebit, quod absurdum esse iam demonstratum est §. præc.; aut cæca necessitate essentiæ suæ fuisse determinatum, ut hunc ordinem in elementa de se ad omnem ordinem indifferentia induceret. Atqui nec ista quidem necessitas qua ratione sortiri effectum suum in elementis tam ad omnem ordinem indifferentibus poterit, in ente omnis intellectus aptitudinis ipsorum experte intelligibilis omnino est. Etenim si ens a se necessitate essentiæ suæ determinavit hunc ordinem, prout ipsum existit ab æterno (§. 22.), sic & ordinem hunc determinaverit ab æterno necesse est. Itaque ordinem hunc immutabilem esse oportebit, aut si mutabilis est, sicut initium habere eius mutatio debet (§§. 17. 18.): ita nec æternus esse potest. Nihil ergo superest, nisi ut ordo iste contingen-

tingenter ab ente a se determinatus sit. Quodsi ita est, aut ope intellectus libere determinari, aut casu incidi in eum debuit. Quod ultimum cum sit impossibile, evidens est, ens a se, quod &c. &c.

* Ut attentionis vivacitas ad omnem huius demonstrationis vim intelligendam excitetur, *duo exempla* apprime servire possunt. Primum sufficiunt artificia naturalia quorundam brutorum animalium, de quibus §§. 439. 442. Psych.; quorum exactio accurata ad leges vere geometricas: uti in apibus, in araneis &c. & ad manifestas providentiæ alicuius futuri regulas, ut in formicis &c. quo magis in oculos incurrit, hoc apertius cuique vel ex sola illarum confusa observatione perspicuum est, non posse ea artefacta animantium sine talium regularum atque legum aliqua innata notitia omnino perfici. Unde si primum iudicandi impetum præceps sequatur, rationem ipsam forte id genus animantibus iusto liberalior attribuet. Ubi vero legerit, quæ §§. citt. in Psych. dicta sunt, satis intelliget, rationis quidem nullam veram speciem brutis eiusmodi inesse, attamen alium haud dubie requiri instinctus eiuscemodi in brutis auctorem, cui leges illæ, quas instinctus iste sequitur, exactissime fuerint perspectæ. Iam vero quod in brutis instinctus, hoc in caussis ceteris omnino inanimis est cæca illa & omnis cogitationis expers agendi facultas, leges tamen non minus geometricas accurate sequens. *Alterum exemplum* esto homo rudis, qui sola axis cuiusdam peritrochii rotatione in organo quodam musicam exacte harmonicam adornet; cuius rei observatione impossibile est, quin ad inferendam existentiam cuiusdam artificis adducaris, qui totius machinæ structuram huiusque regulas intellectu prius assecutus fuerit, quam illam construeret.

** Quæ vulgo opponere huic demonstrationi soleant §. 323. not. 1. & 2. in Ontolog. iam soluta abunde sunt. Nimirum rationem sufficientem non qualemcunque proxi-

mam, ſed ultimam & ſufficientiſſimam iſtius ordinis, de ſe contingentis, huic mundo proprii hic inquirimus, quam ſine intellectu concipi diſtincte poſſe abſolute negamus. Ceterum Ill. Newtonus hanc Dei ex mundi iſtius ordine demonſtrationem præ ceteris probabat, ac iure ſuo quodam profecto. Ipſe enim præ ceteris omnibus fuit, qui ordinis iſtius admirabilem maieſtatem atque ſapientiam patefactis & inventis eiusdem generalibus regulis, & legibus ex eſſe geometricis, ſumma in luce collocavit. Nihilominus ad plenam demonſtrationis iſtius evidentiam illud Newtoni ætate adhuc deſiderabatur, tum ut ordinis iſtius, quantum eſt ex parte elementorum ipſius mundi, contingentia clare demonſtraretur (§§. 280. 281. Coſm.); tum ut eidem demonſtrationi clarior quædam lux ex diſtinctius traditis ac completis notionibus *ordinis*, *regulæ*, *medii*, *finis*, *cauſſæ idealis* &c. affunderetur: quas porro notiones in Ontologia traditas habere familiares iuvat, ut vis integra demonſtrationis iſtius ſeſe exerat.

*** Sequitur, ut Idealiſtis quoque, qui mundi iſtius realem exiſtentiam negant, ſatisfacturi, filum demonſtrationis noſtræ alterum, ex animæ ſolius humanæ conſideratione deductum, eo usque pertexamus, donec idem cum altero in ente infinito utrinque rite demonſtrato connexum deinceps communi opera producatur.

§. 39.

Idearum ſenſibilium, quæ mundum ſenſibilem ceu actu exiſtentem nobis repræſentant, ratio ſufficiens exiſtentiæ nullo pacto in anima noſtra ineſt. Oſtenſa iam alias theſi iſta, tum in Logica §. 126. tum in Pſychologia §. 40. Apud Idealiſtam ſequentia præcipue rem propoſitam evincent. 1. Nulla experientia intima de actione animæ, ideas iſtas in ſe ipſa producentis, usquam ſe in nobis prodit: atqui prodere ſe deberet, ſi immanens illa actio eſſet, ſicut de aliis ſimilibus actionibus omnibus immanenti-

nentibus se reipsa prodit, e. g. de conscientia, de appetitione &c. &c. 2. Ideae istae ab aliorum hominum (sive animarum saltem humanarum, quas etiam Idealista existere admittit) libero arbitrio vere tali quoad existentiam pendent. Ergo nulla necessitate interna, nec vi solius essentiae mentis, nec quaelibet per aliam antecedentem, sed necessario aliena & extranea virtute, determinari earum existentiam oportet. 3. Quod vero ex paulo ante dictis praecipuum hic est; inest ideis illis omnis admirabilis ille ordo repraesentatus, qui existendo inesset ipsi mundo, si illis realis veritas competeret. Iam vero quam parum in ipso mundo, si is revera existat, tam parum quoque in anima nostra ratio sufficiens ultima repraesentati istius ordinis inesse potest; quippe quae sine perfecto omnium regularum mathematicarum, ordinem illum determinantium, intellectu concipi haud omnino potest (§. praec.). Atqui anima nostra per se, & nisi immensis studiis & reflexionibus in illius iam ante repraesentati cognitionem demum veniat, intellectu istius ordinis eiusque regularum nequaquam praedita est, sed ipsa, unde sibi ideae istae adveniant, & quis revera illis ordo insit, oppido ignorat. Ergo ipsa anima nostra idearum illarum summum ordinem repraesentantium ratio ultima, seu sufficientissima, esse evidenter non potest (§. praec.).

§. 40.

I. *Enti a se, quod est ratio ultima existentiae animae nostrae* (§. 25.), *tribuenda sunt talia praedicata, seu notae; qualia ad hoc requiruntur, ut ex illis tanquam ex ratione sufficiente ultima intelligatur, cur anima nostra, his determinatis viribus & facultatibus praedita, existat* (§. 31.).

§. 41.

§. 41.

II. *Ens a se, ceu caussa efficiens ultima animæ nostræ* (§. 204. Ont.) *eaque sufficientissima, continere debet omnes perfectiones, quæ animæ nostræ, tanquam eius actionis termino seu proximo, seu mediato, insunt: atque adeo ex animæ nostræ perfectione, perfectio illius entis a se a posteriori intelligi potest* (§. 222. Ont.)

§. 42.

III. *Ens a se, quod animæ nostræ ratio ultima existentiæ est, intellectu & voluntate, itemque facultate concipiendi* (*seu actione, seu passione*) *easdem prorsus mundi istius sensibilis ideas, quas anima nostra habet, præditum esse debet:* constat enim ex omni Psychologia, omnes istas & vires, & facultates istas, ipsasque ideas illas (§. 118. Log.) reale quid esse, atque adeo ad perfectionem animæ nostræ pertinere (§. 86. Ont. & §. præc.).

§. 43.

IV. *Idearum sensibilium, queis anima nostra pollet, uti & omnis ordinis, quem repræsentant, ratio ultima in ente aliquo a se, eoque itidem intelligente, seu summo intellectu illius ordinis prædito, inesse debet; sive iam idem sit istud ens a se cum illo, quod ipsius animæ quoad substantiam acceptæ ratio ultima est, sive aliud quoddam ab hoc distinctum.* Est enim ratio illa ultima idearum extra animam; inest necessario in ente a se; cum omnis ratio ultima sit ens a se (§. 35. III. Ont.); & sine intellectu concipi non potest (§. 38. & §. 39.).

* Nondum supponimus, unicum tantum possibile esse ens a se, quod infra primum ostensuri sumus, nec ostendi posse cum evidentia & distinctione putamus, nisi ex notione entis infiniti. Proin prius ostendendum, ens a se necessario infinitum esse.

§. 44.

§. 44.

V. *Non tamen mox tribuendi sunt defectus & limites animæ nostræ etiam enti a se, quod est ratio ultima ipsius, nec limites idearum enti a se, quod istarum ratio ultima est; antequam constet, an eiusmodi ens sit caussa animæ, & illius idearum, necessaria, an libera.* Quodsi enim libera præcise caussa esset, non quantum in ipso inesset, sed quantum vellet, perfectionis effectui tribueret (§. 225. IV. Ont.).

§. 45.

VI. *Etiamsi ratio proxima idearum sensibilium animæ nostræ esset ipse mundus iste adspectabilis, adhuc ratio ultima illarum esset ens a se summo intellectu præditum.* Ipse enim mundus ille, si revera existat, in tali ente a se rationem ultimam habet (§. 38.).

* Habemus ergo eadem demonstrata de ente a se, tam quod animæ nostræ, quam quod mundi istius (si existat vere) ratio ultima est; sic, ut nec Idealistæ, nec Materialistæ, nec Monistæ, nec Dualistæ, dubitare de existentia atque summo intellectu entis a se porro liceat. Solum quærat adhuc Dualista, *an unum idemque sit ens a se, quod tam mundi istius* (quem is existere supponit) *quam animæ nostræ ratio ultima est.* Idealista quoque inquiret præterea, *an* ex eo, quod ens a se summo intellectu præditum ordinis idearum nostrarum auctor sit, *consequatur necessario,* eas veras esse, *mundumque* per eas repræsentatum *reipsa existere.* Quo ipsi demonstrato, redibit penes eum eadem quæstio de identitate, aut distinctione auctoris mundi atque animæ. Idealistæ responderi cum evidentia non poterit, antequam notæ ceteræ, enti a se propriæ, ulterius ex eius notione evolvantur, e. g. quod idem falli nescium ac fallere, atque adeo, cum auctor sit & idearum & instinctus illius naturæ, quo eædem ad assensum de existentia mundi inclinant, istæ falsæ esse non possint. Fiet autem hoc inferius, suo scilicet proprio loco. Soli ergo Dualistæ

Dualiſtæ promotiòne ulteriore demonſtrationum noſtrarum a poſteriori porro hic reſpondeamus.

** Enimvero Wolfius argumento mere negativo §. 66. Theol. Nat. P. I. ab iſthac quæſtione ſe nimis leviter expedit, dicens: ſi in uno ente a ſe ratio utriusque, mundi & animæ, reperiri queat, non niſi unum pro utroque ſtatuendum eſſe. Tum vero Wolfius continuo viam ſibi ſternit ad demonſtrandum, ens a ſe, quod mundi iſtius eſt ratio ultima, intellectu infinito præditum eſſe; cumque intellectus ad ipſius eſſentiam pertineat, idem ens ſecundum eſſentiam infinitum eſſe. Porro de ente infinito facile demonſtratur, id ipſum non niſi unicum eſſe. Neſcio vero, utrum Wolfius multis perſuadeat, demonſtraſſe ſe ea omnia, quæ §§. 117. 119. 120. 121. Theol. Nat. P. I. aſſerit: cum tamen ſolo §. 121. nitatur omnis demonſtratio conſequens, qua a cap. II. & §. 141. idem enti a ſe, mundi iſtius auctori, intellectum infinitum aſſerere nititur.

*** Alii malunt paſſim viam breviorem capeſſere, oſtendendo; *omne ens a ſe infinitum eſſe, atque* adeo *hoc ipſo unicum.* Demonſtrata vero ſic a poſteriori exiſtentia *entis infiniti* concurrunt ambæ demonſtrationes a priori & poſteriori, atque deinceps ex notione entis infiniti ceteræ notæ eſſentiales & attributa Dei facili brachio evolvuntur. At nempe omnes, iuxta atque Wolfius, in iſtius gradus promotione impediri ſe, ac demonſtrationis æquam lucem evidentiamque deſiderari, fateri debent, cum concludunt: *ens a ſe eſt ratio ultima ſui ipſius, & exiſtentiæ animæ noſtræ, ac mundi adſpectabilis: ergo infinitum eſt.* Et quoniam Sceptici hodierni, quorum facile princeps eſt D. Hume Anglus (vide eius Eſſais XI. ſur la Providence particuliere & ſur l'Etat a venir), acerrime ſequelam hanc impugnant, ſingularis induſtria in eadem evincenda a nobis merito requiritur.

**** Wolfius vult (§§. 117. 120. Theol. Nat. P. I.), ex parte ipſorum mundorum poſſibilium dari rationem obie-

obiectivam debere, quæ determinet & modum coexistendi, si plures simul producerentur, & unius præ altero quovis possibili mundo productionem, si tantum existat unus. Ex quo infert, omnium mundorum possibilium universa discrimina ab ente a se intelligi debere, ut ex ratione sufficiente obiectiva, i. e. ex motivo maius bonum proponente, mundum hunc præ aliis omnibus libere producere potuerit. Sed multa in ista concludendi methodo præcipitari videntur. Quidsi ens a se, quod mundi huius auctor est, finitum sit, nec nisi huius mundi, aut paucorum aliorum, per eadem hæc elementa possibilium (ope alterius scilicet compositionis atque ordinis) intellectu præditum sit: nonne aut necessitate trahi ad unum illum producendum poterit? aut si libertate tamen polleat; nonne vel pro libero & nullius rei per se indigente dominio hunc solum a se cognitum creare, vel non creare, aut etiam ex omnibus cognitis unum eligere præ altero potuit? Etiamsi ex parte eorum mundorum, quorum duntaxat intellectu finito ens a se polleret, ratio obiectiva requireretur, a qua istud tanquam a motivo determinaretur absolute ad unum ex illis producendum præ alio: quippeni, qui illorum optimus esse intelligeretur, ex hoc ipso motivo produci posset? Cur omnium possibilium intellectus requiritur? Inanis ergo Wolfii demonstratio est, qua a posteriori demonstrare infinitudinem entis a se, quod mundi auctor est, adnititur.

***** Alii itaque cum Domino Reimaro (Differt. IV. de Deo & finibus creationis mundi) *enti a se immutabilitatem*, & exinde infinitatem, atque unitatem, universe *asserunt*. Si mutabile esset ens a se in modo existendi, *inquiunt*, idem existentiæ suæ rationem ultimam necessariam in propria essentia, seu possibilitate, non contineret. *Quodsi immutabile est, infinitum sit oportet.* Quod enim finibus, i. e. defectibus, arctatum est, in eo ultra quid reale possibile est, eique inesse potest, idemque hoc ipso mutabile est. Cum ergo ens a se mutabile non sit, nec finitum,

sed

ſed infinitum eſt. At *repono ego.* Etſi in eſſentia rationem exiſtendi neceſſariam contineat ens a ſe; cur, finitum ſi ſit, ab ente alio mutationem limitum contingentium pati non poſſit, ſalvo ſemper eſſentiali modo exiſtendi neceſſario? Nonne entia finita, etſi quoad eſſentiæ ſuæ exiſtentiam rationem ultimam habeant in ente infinito (ut tu ipſe vis), tamen mutationes contingentes ſubire, ab aliis entibus finitis in ſe determinatas, poſſunt? Quippenî ſimiliter unum ens a ſe mutari ab ente a ſe alio poſſit, ſuppoſito, quod illorum plura finita exiſtant? Cuius oppoſitum nondum, cum in iſta quæſtione verſamur, demonſtratum ſupponi poteſt, *Rurſus.* Quod finibus arctatum eſt, in eo ultra quid reale poſſibile eſt? ſi ipſum ens infinitum poſſibile ſit, concedam: ſecus enimvero negabo abſolute. Quodſi enim ſemper realitas deficiens, quæ finis ſeu limitis rationem conficit, compoſſibilis ſit, eademque non ſolum compoſſibilitate intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, ſeu ratione ſufficiente exiſtentiæ aliqua polleat, quamdiu ens finitum eſt: neceſſe eſt, & realitates omnes qua tales compoſſibiles eſſe, & rationem ſufficientem exiſtentiæ habere. Enimvero compoſſibilitas omnium realitatum qua talium infiniti poſſibilitas, exiſtentiæ earundem ratio exiſtentiæ infiniti eſt. Itaque, ut vis huic demonſtrationi propoſitæ de infinitate entis a ſe inſit, iam ſupponi vera ac realis evidentia demonſtrationis a priori de poſſibilitate & exiſtentia entis infiniti debet, ut recte inferatur, *omne ens a ſe item infinitum eſſe.*

****** Catholici Theologi, recentiores maxime, vulgo infinitatem entis a ſe probant hoc ratiocinio. Quidquid eſt limitatum, ideo limitatum eſt, quia cauſſæ, cuius effectus eſt, virtus non niſi limitata erat. Atqui ens a ſe cauſſam ſui nullam habet, ceu ratio ſui ipſius ultima. Ergo limitatum, ſeu finitum non eſt. *Verum*: & hic reponere licebit. Quippenî ratio ultima exiſtendi eſſentialis, quæ enti a ſe ineſt, ipſa limitata æque eſſe poſſit, atque virtus cauſſæ extraneæ? Certe res omnis individua finita

per

per essentiam suam quoque limitata sic est, ut ipsa produci sine limite ne ab ente quidem infinito absolute possit. Sicuti ergo res quævis alia finita est ob limitatam virtutem caussæ efficientis extraneæ, quæ rem aliam specie perfectionem producere non valebat: ita nec ens a se infinitum esse evidens erit, nisi ratio existentiam determinans in ea infiniti entis existentiæ determinandæ sufficere aliunde demonstretur. Cum enim ratio ista ultima existentiæ ad essentiam entis a se pertineat, hæc nisi infinita demonstretur, etiam ipsum per essentiam finitum erit.

******* Ceterum non malæ mentis consilio tribui debet, quod demonstrationum quarumdam, quæ vulgo hac in re usui esse solent, nondum absoluta perfectio candore ingenuo exponatur. Dissimulatio istiusmodi adversus Scepticorum hodiernorum acumen adeo non proficit quidquam, ut potius, cum demonstrationum non nullarum nimis præcipiti consilio ostentatum robur quandoque inane esse ostendant, se inde ceteris omnibus acutiores æstiment, atque eos, qui facilius iusto imperfectis demonstrationibus acquiescunt, veluti nimis hebetes iudicio, ac parum profundos, præ se despiciant. Juvat itaque novam in præsente argumento inire viam, &, utrum ultimæ præsertim Catholicorum auctorum demonstrationi maior lux affundi queat, experiri. Conabor *primo* ostendere, unum idemque ens a se & mundi istius & animæ nostræ rationem esse ultimam: *deinde*, universe omne ens a se infinitum, atque hoc ipso unicum esse. Carere quidem priore isthac demonstrationis parte possemus, si modo altera omnibus absoluta numeris expediatur. Attamen multo & gravi usui adversus Atheum esse poterit, qui alterius partis penitus in animum admittendæ incapax forsan esset. Etenim ad illum entis a se dominio & legibus subiiciendum sufficiet opinor, si intelligat, se iuxta ac totum mundum, in quo degit, & cuius unice captus amore est, eiusdem entis a se potentiæ subiectum prorsus esse.

Idem unumque est ens a se, quod mundi istius adspectabilis, siquidem is revera existat, & quod animæ nostræ, ratio ultima & sufficientissima est. Eædem enim sunt regulæ ac leges, secundum quas mundus iste adspectabilis omnisque illius ordo simultaneus & successivus in existendo determinatur, atque illæ, ad quas ordo prorsus homogeneus idearum nostrarum sensibilium in mente, tam simultaneus, quam successivus, exigitur in repræsentando. Nullum hic prorsus discrimen intervenit. Nihil in mundo ordinis existentis inest, nulla lex intervenit, quod non item insit, & interveniat in ideis nostris repræsentantibus, si modo intendere in eas attentionem & reflexionem animi velimus. Neque enim a conscientia nostra ordinis idearum perfectio metienda est, sed ab eo, quod in illis discernere pro arbitrio liceret, si reflexione super eis uti lubeat. Itaque idem intellectus est, qui regulas ordinis idearum nostrarum ceu ratio ultima concipit, atque qui ut ratio similiter ultima concipit regulas ordinis huic mundo proprii: eadem quoque virtus seu vis efficiens executionem ipsam regularum utriusque ordinis ceu ratio sufficiens ultima determinat (§§.38. 43.). Ens ergo idem a se, quod vi sui intellectus & dominii ratio ultima est huius mundi eiusque ordinis, etiam vi eiusdem intellectus ac dominii sui ratio ultima est ordinis omnis idearum animæ nostræ.

* Nimirum sicuti, quæcunque leges & regulæ in ordine istius mundi interveniunt, non aliunde nobis quam per ideas nostras sensibiles nobis innotescunt: ita exprimi easdem in ideis nostris plane necessarium est. Hoc solum discrimen est, quod ordinis perfectio in mundo ab ente illo summo vi solius actionis propriæ, quo primus ordo simultaneus constitutus est, determinetur: contra, ut omnis ille ordo etiam in ideis nostris magis minusve distin-

ste exprimatur, simul ab arbitrio nostro indirecte pendeat; quatenus nimirum subinde ad clariorem magisque integram expressionem eiusdem ordinis opus est, ut sensuum nostrorum ministerio ad contemplandam accuratius mundi istius fabricam & prodigia utamur.

** Ceterum maior longe demonstrationis istius lux est ex supposito systemate influxus mutui animæ nostræ in corpus, & corporis in animam. Hoc enim in systemate anima quoad sensationes externas instar elementi corporei se prorsus habet, easdemque motus, actionis, & reactionis, leges cum elemento quovis corporeo observat. Sed etiamsi a systemate isto abstrahas, non tamen idcirco minus verum est, animam similes motuum mutationes vi sensationum externarum cum quovis elemento mundi corporeo subire, quæ communibus istorum legibus determinentur. Atque isthac quidem adiecta observatione omnem competere datæ huic demonstrationi evidentiam existimo.

§. 47.

Ens a se, quod mundi istius ratio ultima est, est quoque ratio ultima omnium hominum. Omnes enim homines corpore & anima constant. Corpus cuiusque mundi corporei pars est; & quod de unius anima §. præc. demonstratum est, de omnium animabus ex æquo valet. Ergo &c.

§. 48.

Nisi idem ens a se, quod animæ nostræ atque mundi istius adspectabilis, universique ordinis utriusque huc usque memorati, ratio ultima est, infinitum sit; nec sui, nec mundi atque animæ nostræ, ratio sufficientissima esse potest: quod, cum absurdum evidenter sit, æque evidens est, illud reipsa non finitum, sed infinitum esse debere. Quodsi enim finitum sit, illius existentia defectibus quarumdam realitatum ideo laborat, quia ratio ultima existentiæ talium realitatum in eo deficit;

etſi non deficiat in eo ratio ultima exiſtentiæ realitatum aliarum. Jam vero ſi vel ullius realitatis ratio exiſtentiæ ultima item finita (i. e. cum defectu rationis ultimæ exiſtentiæ aliarum realitatum coniuncta) eſſe poteſt, mox de ipſa hac ratione exiſtentiæ finita finitarum realitatum redit inſoluta adhuc & nunquam ſolvenda quæſtio: cur ratio iſta exiſtentiæ ultima hoc modo finita & determinata eſt, & non alio? cur non perfectior, vel imperfectior? Evidens enim eſt, quod quavis, uti eſſentia finita, ſic & ratione exiſtentiæ finita, alia magis, aut certe minus perfecta poſſibilis ſit. Namque evidens eſt, ſi defectui ſola realitas oppoſita ſubſtituatur, & perfectiorem rationem exiſtendi ultimam orituram, & eandem poſſibilem futuram; cum ſola defectus commutatione cum realitate oppoſita contradictio, quæ utriusque coniunctio eſt, oriri non poſſit. Itaque ut, cur ſic determinata ſui æque, ac mundi, animæque noſtræ, ultima exiſtentiæ ratio ſit in ente a ſe, intelligibile ſit, alio ente & ratione ulteriore opus adhuc abſolute erit, atque adeo idem ipſum ens a ſe nec ſui, nec mundi, atque animarum noſtrarum, ratio ultima ac ſufficientiſſima erit. Porro de hoc ulteriore ente ſemper eadem redibit quæſtio, niſi id ipſum denique ſtatuatur eſſe infinitum, i. e. tale, quod omnis cognoſcibilitatis rationem omnem tam exiſtentiæ quam poſſibilitatis ſufficientiſſimam ſine ullius defectu complectatur. Quoniam ergo alioquin ad ſolvendam quæſtionem præfatam ens infinitum admitti opus omnino eſt; ſimul vero per ſe abſurdum eſt, ens a ſe non eſſe rationem ſui ultimam ſufficientiſſimam; eo quod hoc ipſo ens a ſe eſſe nequeat: idcirco evidens eſt, ens a ſe, quod animæ noſtræ atque mundi ratio ultima eſt, eſſe infinitum.

* Demonstratio hæc non nisi complementum quoddam reipsa est illius, quæ ceu communis Catholicorum recentiorum §. 45. not. 6. a me est recensita. Nimirum sicut, cur quid limitatum simpliciter, & hoc potius quam alio modo, sit, ex ratione sufficiente eius existentiæ intelligitur: ita, si ratio existendi ipsa limitata est, & hoc potius quam alio modo limitata, istius ipsius ratio sufficientissima porro in alio quærenda est, eademque hoc ipso nec sui, nec alterius, ratio ultima ac sufficientissima esse potest. Atque istud ipsum est, quod & demonstrationi illi vulgari, atque etiam illis, quæ a me §. 113. & §. 114. Ont. dicta sunt, addendum necessario existimo.

** Frustra ergo D. David Hume (Essais Onzieme sur la Providence particuliere &c.) contra demonstrationem entis infiniti, a posteriori ex mundi istius nobili petitam artefacto, illud obiicit: *ex effectu non maiorem caussæ perfectionem inferri posse, quam quæ effectus perfectioni sufficiat, nec probari inductione, quod effectui finito non nisi caussa infinita respondeat.* Errat iste luminibus suis nimium confidens Philosophus, neque advertit, aliud longe esse *caussas* solum *proximas* requirere, & requirere eorundem *caussam ultimam* ac prorsus *sufficientissimam.* Enimvero ut caussam proximam effectus finiti verisimilem assignes, sufficiet utcunque effectui perfectione parem atque similem assignare: at ut ultimam eamque sufficientissimam prorsus designes, demonstratio hoc paragrapho proposita ostendit, etiam respectu cuiusque effectus finiti aliam haud esse posse quam infinite perfectam. Ceterum convenit data demonstratio cum illa, quam modico discrimine infra §. 73. daturi de simili thesi sumus.

§. 49.

I. *Ubi finitum aliquid existit, etiam infinitum existere debet.*

II. *Omnimoda determinatio entis finiti in statu reali non nisi ab ente infinito tanquam a sua ratione ultima est.*

eſt. Ex ſolo enim ente infinito tanquam ex ratione ſufficientiſſima intelligi poteſt, cur hoc modo & non alio determinatum ens finitum exiſtat (§. præc.).

III. *Omne ens a ſe hoc ipſo ens infinitum eſt:* ſecus ratio ſufficientiſſima nec ſui, nec alterius, eſſe poſſet.

§. 50.

IV. *Ens infinitum, idemque ens a ſe, intellectu puro* (§. 155. Pſych.) *i. e. perfectiſſimo præditum, quodque mundi, & omnium hominum ratio ultima exiſtentiæ ſit, actu exiſtere a poſteriori evidens eſt.* Hoc ipſum enim ſecundum omnes partes ex animæ noſtræ & mundi huius exiſtentia, per experientiam intimam & extremam nota, atque adeo a poſteriori, §§. 15. 25. 26. 42. ſeqq. demonſtratum eſt, tum vero ex ipſa infiniti notione, quæ defectus omnes excludit, ex parte evidens eſt (§. 110. VII. Ont.).

§. 51.

Deum exiſtere omni evidentia a poſteriori evidens eſt. Dei enim nomine ex notione communiter recepta (§. 13.) intelligitur ens infinite perfectum, exiſtens a ſe ipſo, neceſſarium & æternum, quod infinita ſua vi mundum iſtum atque omnes homines produxit. Atqui tale ens actu exiſtere omni evidentia a poſteriori evidens eſt (§. præc. item §§. 21. 22.). Ergo Deum exiſtere &c. &c.

* Deo *liberum mundi iſtius atque animarum noſtrarum dominium* competere, item in communi notione Dei, quam naturæ ſenſus omnibus ſuggerit, affirmatur (§. 13.). Sed quoniam iſtud non niſi ex ipſa notione *infiniti* unice probari, non ſine maiore molimine quodam, poteſt; huius notæ demonſtrationem ſequenti alteri cuidam loco reſervo. In infinitudine enim Dei ambæ demonſtrationes, veluti ex duobus fontibus deductæ, ceu in communi alveo,

con-

concurrunt, uno deinceps cursu continuandæ in ceteris Dei attributis evolvendis.

§. 52.

Deus non nisi unus possibilis est. Infinitus enim est (§. 13. & præc.). Atqui infinitum ens non nisi unicum possibile est (§. 119. Ont.). Et vero pone, duo existere infinita: absolute & sine omni discrimine ea similia erunt inter se; ceu ambo realitates omnes sine ullo defectu complectentia (§.109.Ont.) Itaque per indiscernibilium principium (§§. 62. 131. not.) hoc ipso unum idemque erunt contra hypothesin. 2. Rursus: si duo esse posse possueris, tria quoque erunt possibilia: si tria, etiam quatuor & sic deinceps; hoc est, aut numero indeterminato, aut infinito: quod utrumque ex æquo absurdum est (§§. 21. 151. Ont.). 3. Demum si duo, aut plura ponas entia infinita; singula liberum ac supremum mundi atque hominum dominium proprium habebunt. Ergo unum creare istos, alterum velle eosdem relinquere in nihilo suo, poterit: quæ pugna utriusque supremum & omnis expers defectus dominium, i. e. infinitudinem evertit. Demonstrabo vero infra, Deo vere liberum mundi dominium competere.

* Stante notione libertatis Leibnitiana & Wolfiana tertia demonstratio data locum non haberet; quippe secundum quam utrumque ens infinitum perpetuo consensu eligere, quod optimum cognosceret, necessario deberet, atque adeo utrumque eiusdem mundi optimi existentiam determinare.

ARTICULUS II.

DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ DEI A PRIORI.

§. 53.

A priori Dei existentiam demonstraturi, *Dei* nominalem definitionem in notione entis infinite perfecti constituimus.

§. 54.

I. *Hæc ergo propositio*, *ENS INFINITE PERFECTUM EXISTIT*, *realem veritatem habere cum evidentia ostendenda est*, i. e. omnes rationes sufficientes veritatis realis sub mentis intuitum ponendæ sunt (§§. 177. 303. Log.).

II. *Igitur demonstranda primum possibilitas entis infinite perfecti, seu veritas ideæ subiecti* (§. 177. I. Log.).

III. *Deinde ostendenda convenientia ideæ subiecti & ideæ prædicati, seu, quod ratio ultima existentiæ propriæ contineatur in notione, seu possibilitate ipsa, entis infinite perfecti* (§. 306. Log.).

IV. Quoniam vero de ente infinite perfecto ut possibili, ceu unice subiecti rationem habente, in dicta propositione existentia affirmatur, non autem de subiecto existente aliqua nota seu determinatio quæcunque; sive, quoniam omnis illa propositio circa ipsam possibilitatem subiecti versatur, cui prædicatum existentiæ tribuitur; idcirco *prædicati notio distinctior non requiritur, quam quoad opus est, ut eius cum idea subiecti convenientia claro sensus intimi intuitu dignoscatur* (§§. 306. I. 177. Log.).

* Enimvero intelligenti ea, quæ in Logica de dignoscenda reali veritate iudiciorum a mere ideali dicta a me sunt inde a §. 168. usque ad §. 179., non evidens esse non potest, ad demonstrationis realem evidentiam his recensitis amplius non requiri: maxime si addantur ea, quæ de usu definitionum nominalium in eadem Logica §. 147. tradidimus. Nec vero inde a S. Anselmo, qui primus demonstrationem istiusmodi ex ipsa notione *entis optimi*, seu *infinite perfecti*, tradidisse noscitur, ullus eorum, qui realem eius evidentiam infitiabatur, quid aliud in eadem desiderabat, quam quod subiecti possibilitas, i. e. notionis istius, *ens infinite perfectum*, veritas haud demonstrata esset;

ſet; cum tamen ob infinitarum notarum complexum facile in notione confuſa idea quædam deceptrix, i. e. rem deſignans impoſſibilem, latere poſſet: quo caſu omnis evidentia non niſi idealis eſſet (§. 306. III. IV. Log.).

** Ceterum illud Coroll. IV. hic adnotatum probe advertendum, videlicet, non de exiſtente ſubiecto aliquod prædicatum affirmari; quo caſu per §§. 176. 177. II. Log. completa insuper ac diſtincta notione prædicati opus eſſet, quod in præſente caſu obtentu impoſſibile foret; ſed affirmari ſolum de re poſſibili ipſam actualem exiſtentiam; quod longe diverſiſſimum quid eſt, quoque caſu ſolum opus eſt tam clara prædicati notione, quanta opus eſt ad evidenti intuitu dignoſcendam illius in ſubiecti notione, ſeu poſſibilitate ipſa, continentiam. Nimirum cuiusque *rationis ultimæ exiſtendi* notio completa intellectus noſtri anguſtias hoc ipſo effugit, quod non niſi in ente infinito ineſſe poſſit (§. 48.). Unde ſi iſta ad plenam demonſtrationis noſtræ realem evidentiam abſolute opus foret, næ deſperandum prorſus de hac foret continuo. Sed neque tam completa eius notione opus eſt, ut cum omni evidentia ſenſus interni eam, ceu prædicatum ſubiecto, enti infinite perfecto integram ineſſe dignoſcere poſſimus. Ubi enim hæc duo ſolum demonſtraverimus, 1. *enti infinite perfecto ineſſe omnes omnino realitates puras ſine defectu* (§. 25. Ont.); 2. *rationem ultimam exiſtentiæ quamlibet ſecundum ſe in mera realitate pura, (una, vel pluribus,) conſiſtere;* evidens erit, *enti infinite perfecto rationem ultimam ſuæ exiſtentiæ propriæ ineſſe.*

§. 55.

Ens infinite perfectum, i. e. infinitum, evidenter poſſibile eſt. Omnes enim realitates puras ſine defectu ullo complectitur in ſua notione, atque adeo contradictionis, quæ realitate & ſimul eiusdem realitatis defectu conſtat, plane incapax, ſeu poſſibile eſt. Vide dicta in Ontol. §. 110. II.

§. 56.

Omnis entis exiſtentiæ ratio (ſeu cognoſcibilitas) realitas, id eſt, entis ratio quædam eſt, non autem nihil, negationis, aut non entis (§§. 5. 6. Ont.). Perinde enim nihilum exiſtentiæ, atque nihilum rei, ſeu entis, ſe habet ad ſui oppoſitum, cui contradicit. Sicut ergo nihilum rei, ſeu entis, propria cognoſcibilitate, i. e. ratione rei, ſive entis, caret, nec niſi in ſuo oppoſito per modum cognoſcendi negative tendentem (§. 19. not. Log.) cognoſcibile eſt; ita & nihilum exiſtentiæ. Ratio ergo omnis exiſtentiæ entis item entis rationem, i. e. veram cognoſcibilitatem, habere debet.

Adde. Nihili exiſtentia non entis rationem (§. 6. Ont.) evidenter habet: ſecus nihilum exiſtens hoc ipſo entis rationem obtineret. Ergo entis exiſtentia omnis, quæ nihili exiſtentiæ contradicit, hoc ipſo rationem entis habet.

* Evidens hæc exiſtentiæ notio, etſi diſtinctione ulteriore careat, ſufficit abunde ad evidentem ſenſationis internæ intuitum, quo iſtius propoſitionis, *ens infinite perfectum exiſtit*, i. e. *eſt ſui ipſius ratio exiſtentiæ ſufficientiſſima*, prædicatum contineri in eiusdem ſubiecto videamus, ut mox patebit.

§. 57.

Ens infinite perfectum, quod evidenter eſt poſſibile, etiam evidenter ſui ipſius ratio exiſtendi ſufficientiſſima eſt vi ipſius poſſibilitatis ſuæ, i. e. evidenter exiſtit. Continet enim in ſua poſſibilitate omnes realitates ſine ullius defectu. Atqui omnis entis exiſtentiæ ratio mera realitas eſt, atque adeo etiam omnis ratio eiusdem ſufficientiſſima (§. præc.). Itaque & hæc in poſſibilitate entis infinite perfecti reſpectu exiſtentiæ propriæ continetur. Ipſa ergo poſſibilitas infiniti eiusdem exiſtentia eſt, i. e. hoc ipſo, quod poſſibile ſit, evidenter etiam exiſtit.

Adde.

Adde. Pone, ens infinite perfectum non existere, & tamen possibile esse. In possibilitate ergo eius ratio sufficientissima existentiae sui ipsius non inest, adeoque realitas huic respondens (§. praec.) in illa desideratur. Defectus ergo inerit infinito; quod est impossibile, & notioni eius, sive possibilitati (§. 55.), contradicit.

* Vides ergo paucissimis ac simplicissimis notionibus conclusam & plenissime absolutam realis veritatis de propositione ista demonstrationem: *ens infinite perfectum existit.*

§. 58.

I. *Evidens ergo a priori est Deum existere, & quidem, ceu ens a se, necessario existere* (§. 21.).

II. *Evidens quoque a priori est Deum non nisi unum existere posse.* Unitas enim Dei ex infinitudine consequitur (§. 52.).

III. *Deus existendi nec initium nec finem habet, & aeternus est vi possibilitatis, i. e. essentiae, suae* (§. 22. & §. 56. Ont.).

IV. *Idem immutabilis prorsus est etiam circa modum existendi.* Mutatione enim realitas quaedam vel demi, vel addi deberet, quod salva infinitudine impossibile.

* *Dices.* Demonstratio illa a priori non est, quae experientiam supponit. Atqui talis est illa, quam de Dei existentia ex notione entis infinite perfecti dedimus: supponit enim illa notiones entis, nihili, existentiae, realitatum purarum, compossibilitatis istarum, item principium rationis sufficientis, contradictionis, & indiscernibilium &c. atqui omnes istae notiones non nisi ex rerum singularium ideis, experientia comparatis, abstractae, & formatae a nobis sunt in Ontologia, nec vero per §. 108. Log. seqq. aliter obtineri poterant. *Resp. neg. min.* Aliud est, notiones, ex quibus demonstratio adornatur, ope experientiae praevia

viæ acquiſitas eſſe, aliud experientiam ipſam pro demonſtrationis principio aſſumi. Illud ſi obeſſet, nulla demonſtratio a priori poſſibilis eſſet. Nimirum, cum demonſtrationem a priori ex notionibus generalibus & abſtractis adornari dicimus, ab ipſa notionum origine abſtrahimus.

§. 59.

Deus eſt ens ſimplex, & omnis expers compoſitionis, vi eſſentiæ ſeu poſſibilitatis ſuæ. Eſt enim vi definitionis ſuæ ens infinitum, in quo nulla negatio, aut contradictio, atque adeo nulla realis diſtinctio (§. 62. Ont.) locum habet. Jam vero omne compoſitum ex ſubſtantiis realiter diſtinctis conſtat (§. 287. Ont.). Deus ergo ſimplex ens eſt (§. 286. Ont.), & omnis expers compoſitionis vi definitionis ſuæ, eſſentiam ac poſſibilitatem illius exprimentis (§§. 144. 145. Log.).

§. 60.

I. *Itaque Deo tribui nequeunt attributa compoſiti qua talis.*

II. *Deus non eſt extenſus, nec materialis, nec corporeus.*

III. *Deus eſt indiviſibilis, caret figura, magnitudine extenſiva* &c. (§§. 147. 167. Ont.).

IV. *Deus ſua exiſtentia nec ſpatium conficit* (§. 161. Ont.), quia ſimplex & infinitus, *nec tempus;* quia immutabilis, atque adeo ſucceſſionis omnimodis expers eſt (§. 182. Ont.).

V. *In Deo neque locus, neque motus localis, poſſibilis eſt.* Locus enim, ceu diſcrimen plurium coexiſtentium in modo coexiſtendi, plura coexiſtentia realiter diſtincta ſupponit (§. 158. Ont.); motus vero omnis mutatione locorum inter plura coexiſtentia abſolvitur (§§. 175. 177. Ont.): Deus autem ſimplex, & immutabilis eſt.

§. 61.

§. 61.

VI. *Neque mundus iste adspectabilis est Deus,* quia compositus & mutabilis; *neque ulla anima, aut homo aliquis,* quia mutabilis & finitus; *neque elementa materialia* ulla, quia itidem finita sunt.

§. 62.

Realitates, quas animæ nostræ humanæ inesse novimus ex sensu intimo, defæcatæ tamen ab omni defectu, Deo quoque tribuendæ sunt. Cum ente enim simplice, quale Deus est (§. 59.), hoc ipso compossibiles sunt; quia in anima ceu ente item simplice insunt (§. 403. Psych.); & cum realitas mera qua talis realitati non contradicat, si eædem ab omni præcise limite seu defectu, cui in anima humana, ceu ente finito, commixtæ sunt, separentur, evidens est, realitates qua tales adhuc mansuras, easdemque enti infinito, quale est Deus, quodque meris realitatibus sine omni defectu constat, secundum id, quod mere reale in earundem conceptu est, itidem fore compossibiles. Quoniam ergo enti infinito omnes realitates a defectibus expurgatæ vi definitionis & possibilitatis essentiæ eiusdem conveniunt; etiam realitates animæ nostræ propriæ, sed defœcatæ ab omni defectu itidem huic proprio, eidem enti infinito erunt tribuendæ.

* Negat hanc thesin absolute D. Robinet Auctor operis de la Nature, & in P. V. Cap. 10. & seqq. acriter contendit, perfectiones, facultates, & actiones spirituum finitorum & creatorum quascunque, male attribui enti infinito, indeque concludit, Deo neque intellectum, nec voluntatem, nec sapientiam, nec bonitatem competere; quippe quæ non nisi entium finitorum notas in ideis nostris exprimant, quas his vocibus subiicimus. *Argumenta* eius præcipua hæc sunt. 1. Cum Deo tribuuntur cogitatio, volitio, intellectus, voluntas &c. an ei tribui-

tur

tur e. g. cogitatio in individuo quædam. an cogitatio in genere & in abstracto sumta ? Non primum: quia hæc in individuo sumta a Deo distinguitur realiter. Non alterum: nam quid demum cogitatio in abstracto sumta nisi merum nihilum & chimæra ? Quis cogitat unquam in genere & in abstracto ? Cogitatio in genere non magis quid reale est quam motus in genere, qui omnis determinatæ celeritatis & directionis expers est. *Resp.* Neque cogitatio in individuo, neque in genere, neque in abstracto sumta, qualis humana est, Deo tribuitur. Quælibet enim ex his vi sui conceptus formalis limitata est, & defectu laborans. Sed quod in cogitatione tam individuali, quam abstracta & generica, reale inest, illud non quidem in individuo, sed vere in simili, Deo inest, ab omni limite separatum, ceu enti infinite, quod realitates omnes puras complectitur. Porro aliud est cogitatio in abstracto, aliud cogitatio in genere, *cogitatio in abstracto* est quælibet cogitatio individualis e. g. Petri, per attentionem mentis seorsim ab aliis omnibus Petri notis intrinsecis considerata; quod fieri potest, quin ea advertatur esse communis omnibus aliis hominibus (§. 57. Log.). *Cogitatio in genere* sunt illæ determinationes, quæ cuilibet cogitationi sive eiusdem hominis, e. g. Petri, sive omnium aliorum hominum, communes sunt, ac similitudinem efficiunt (§§. 41. 42. 43. Log.). Uude Species & genus dantur a parte rei perinde, sicuti similitudo datur a parte rei. Contra abstractio ipsa non nisi intellectus operatio est, & cogitatio in abstracto præter cogitationem vel in genere, vel in individuo sumtam, insuper actum mentis importat. Jam vero nullam ex his tribus simpliciter Deo tribuimus, cum & cogitatio quævis a parte rei, tam individualis quælibet, quam id quod omnibus individualibus a parte rei existentibus per similitudinem commune est, adhuc limites in suo conceptu formali involvat. Solum ergo Deo tribuimus id, quod reale quid præcise, atque ut aliquid mere reale omnibus cogitationibus hominum individualibus

commu-

commune est; & quemadmodum etiam hoc ipsum reale non ut unum idemque numero, sed ut multiplicatum ac distinctum, pluribus cogitationibus sive eiusdem sive diversorum individuorum hominum commune est; ita etiam Deo; at e. g. Petro commune esse dicimus non per identitatem, sed per similitudinem. Vides ergo, totum argumentum auctoris præfati non nisi sophismate constare, cuius falsitas confusione quarumdam notionum Metaphysicarum veluti nebula involvitur. Quodsi is opponat, cogitationem humanam ab omni limite separatam nihil esse, aut meram chimæram; evidenter fallitur. Aut enim nihil reale illa erit sed mere quid negativum; aut, si realitatibus simul & limitibus seu negationibus, uti revera est, componitur, realitates etiam ut separatæ a limitibus realitates meræ contradictionis expertes manebunt, & per similitudinem (non identitatem) Deo inesse poterunt. Atque hoc quidem sophismate omnia cetera præfati auctoris argumenta laborant, eidemque reliquum sane mirabile doctrinæ ædificium imponitur, quo in reliquo operis decursu Deo libertatem abiudicat &c. &c. de quo sermo alias uberior recurret. Sic P. V. Cap. 19. e. g. de ente in genere arguit: ens in genere est ens abstracte spectatum ab omni differentia substantiali & modali: ergo est ens excludens omnia entia possibilia & existentia, quod ipsissimum est nihilum. Belle profecto! Quin imo secundum saniorem Logicam & Metaphysicam ens in genere est similitudo omnium possibilium & existentium in eo, quod cognoscibilitatem habeant. Atqui nihilum cognoscibilitate propria prorsus caret: ergo ens in genere præcise soli nihilo opponitur, rebus autem omnibus, non identate numerica, sed formali, i. e. similitudine inest. Talia oggerere & totis voluminibus diducere cum grandi dictionis apparatu, præclari quidem ingenii, sed notiones Ontologicas præcipiti cursu transvolantis, iudicium esse potest.

** *Argumentum* 2. Cap. 26. P. V. idem auctor sic post plura alia a priore quoad rem non dissentanea, instaurat. Facultates repræsentatæ per has ideas simplices, bonitas, sapientia, iustitia, intellectus, voluntas &c. non sunt secundum se capaces infinitatis; simulque convenire enti infinito nequeunt, nisi eleventur ad gradum perfectionis infinitum: ergo easdem tribuere non licet enti infinito, etsi enti finito conveniant; imo hoc ipso, quod in conceptu suo sint finitæ. infinito communes esse non possunt cum ente finito. *Primam propositionem* porro ita *probat*, Cum facultates istas conamur elevare ad gradum perfectionis infinitæ, consideramus eas abstractas ab omnibus suis limitibus; etsi isti illis necessario & per essentiam insint. Atqui si separentur ab istis omnibus, nihil in eis restat reale; quia per essentiam facultates limitatæ sunt. Certe verba hæc, intellectus, voluntas, bonitas, non nisi res limitatas exprimunt: ergo nisi significatus eorum mutetur, res per eadem significatæ attribui enti infinito non possunt. *Resp.* Fateri quemlibet ultro, istiusmodi voces facultates per essentiam suam limitatas vulgo in usu loquendi exprimere, nec adeo secundum huiuscemodi significatum vulgarem, i. e. secundum conceptum formalem, Deo tribui posse, quamdiu istum conceptum formalem ex natura sua finitum conservant. At negamus absolute, separatis omnibus defectibus & limitibus nihil in eis reale superesse; quippe ex quo per §. præc. evidenter sequeretur, has facultates esse mere negativas, nec quidquam reale in se complecti. Hoc verum est, istud mere reale, quod illis inest, ac restat ex eis, etiam postquam omnes limites abstractione ab eis separati sunt, non bene ut tale, & ut separatum a limitibus, exprimi per istas voces *intellectus, voluntas* &c. quippe quæ ex vulgari significatu facultates ut limitatas exprimunt. Ast nec dicimus, totum id tribui Deo posse, quod voces istæ exprimunt, sed solas realitates, quæ facultatibus illis una cum limitibus insunt, quas illæ significant. Neque negamus, muta-

ri hoc ipso conceptum vocis *intellectus*, *voluntas* &c. cum Deo convenire intellectum & voluntatem dicimus. Unde vulgo *Deus id genus facultates continere in se eminenter*, *non formaliter*, ab antiquis dicebatur (§. 116. Log.); eoquod non secundum conceptum formalem, essentiales limites exprimentem, sed secundum solas rationes boni reales, quas idem complectitur, facultates illæ Deo conveniant. Unde ad universas argutias istius auctoris iam pridem §. cit. Log. a me responsum est; quemadmodum & illæ explosæ iam a me sunt §. 120. queis P. V. cap. 27. negare contendit, Deo ideam *perfectionis* vulgarem tribui & applicari posse, item nullam perfectionem in certo aliquo genere qua talem, i. e. in conceptu suo formali, sed omnes tantum eminenter, seu perfectionem puram (§§. 86. 88. Log.). Similiter errat, cum Cap. 25. & aliis sæpius propugnat, ideas nostras de ente *infinito*, *perfectione pura* seu *absoluta*, esse mere negativas, ac non nisi negare omnes facultates & perfectiones finitas. Cum enim dicimus, ens infinitum esse, quod continet omnes finitorum realitates sine ullo eorum limite; primo realitates finitorum affirmamus de ente infinito: deinde negamus eorundem finitorum omnes defectus, negationes, seu limites, de eodem ente infinito. Jam vero tam affirmatio realitatum, quam negatio negationum, positivus conceptus est. Illud verum, nos propterea completum infiniti entis conceptum non habere; quia tam realitates ipsas finitorum sine suis limitibus seorsum quam realitates limitibus eorundem oppositas vix sub alio conceptu quam realitatum, atque adeo non nisi obscurissime, concipere valemus. Attamen non inde sequitur, mere negativam esse infiniti ideam nostram, sed solum maxime obscuram.

*** Porro ex præsentis paragraphi 1. positione perinde quoque inferas, Deo tribuendas esse realitates puras, quæ elementis corporum singillatim, atque animæ brutorum, insunt. At quoniam illæ omnes realitates iam gradu mul-

to perfectiore insunt in anima humana, nec de ullo ente perfectiore simplice usquam ex naturali ratione atque experientia nobis constat; optime omnium ex nostræ animæ natura perfectiones Dei, ceu entis infinite perfecti, noscere licebit. In qua meditatione quidem modus cognoscendi a posteriori eatenus se miscebit rursum, quatenus, quid animæ nostræ perfectionis competat, ab experientia simul & ratione discimus, indeque intellectus, voluntatis, libertatis &c. notiones generales abstrahimus: attamen id genus notiones, a suis limitibus purgatas, Deo convenire, nihilominus continuo ex sola entis infinite perfecti notione, adeoque reipsa a priori, perpetuo demonstrabimus.

§. 63.

I. *Deo, ceu enti infinite perfecto, non competit passio* (§. 211. Ont.) seu facultas recipiendi instar subiecti effectum caussæ extraneæ (§. 206. Ont.): quia hæc absolute aliquem defectum in subiecto importat.

II. *Deus ergo sensu externo, qualis in anima nostra est* (§§. 40. seqq. Psych.) *non est præditus*; quippe facultate is mere passiva constat.

III. *Deus tamen idea non modo adæquata istius mundi, & eius omnium elementorum singillatim, totiusque ordinis illorum simultanei ac successivi, sed etiam omnium aliorum mundorum, seu per eadem ipsa elementa aliter composita, seu per quæcunque alia possibilium, pollet.* Animæ enim humanæ competunt ideæ sensuales hunc mundum repræsentantes, quæ hoc ipso, quod vere cognoscibiles, realitates simpliciter sunt: adeoque separatæ a suis limitibus Deo tribuendæ sunt. Porro limitibus subtractis evidens est orituram in Deo ideam, qualem hoc corollario expressam vides.

IV. *Datur quoque in Deo idea omnium animarum possibilium adæquata.*

V. *Idea Dei est caussa idealis omnis perfectionis possibilis in quovis mundo aut quavis anima a Deo efficiendæ:* cum enim possibilia omnia complectatur, nihil perfectionis effici nisi ad illius exemplar in rebus quibuscunque creatis potest a Deo ipso.

§. 64.

Deo, ceu enti a se, eidemque infinite perfecto, convenit vis & actio immanens infinite perfecta. Agere enim est esse rationem existentiæ realitatis diversæ (§. 205. Ont.). Jam vero Deus, ceu ens a se infinite perfectum est ratio existendi sui ipsius sufficientissima. Porro hæc ratio existendi in Deo vel est una aliqua specialis realitas, vel plures a ceteris formaliter distinctæ; vel identificatur cum ipsa realitatum infinitudine, ita, ut singulis insit inadæquate seu partialis. Si primum: realitas illa ratio est existentiæ omnium ab ea diversarum realitatum, quæ Deo præter ipsam insunt, atque adeo actione Deus existit, cuius terminus est infinitus. Si alterum: quælibet realitas in Deo erit partialis ratio, cur omnes ceteræ existant; atque adeo rursus actione realitatum infinitarum Deus ceu terminus adæquatus itidem infinitus existit. Porro utroque casu terminus inest ipsi agenti, seu eadem cum isto res est infinita, atque adeo actio in Deo est immanens & infinita (§. 208. Ont.). Denique ubi actio, ibi vis (§. 217. Ont.).

§. 65.

I. *Idea omnium possibilium* (§. III. & IV.) *in Deo actione ipsius Dei existit, adeoque conscientiæ coniuncta est infinitæ;* siquidem conscientia non nisi per hoc differt ab idea in homine, quod illa sit repræsentatio eiusdem obiecti actione ipsius animæ expressa, hæc vero non item.

§. 66.

II. *Datur in Deo etiam conſcientia ſui ipſius, ſeu reflexa, eademque infinita :* cum enim eadem in anima humana inſit, eademque actione animæ immanente conſtet, evidens eſt, illam qua talem pura realitate conſtare, atque adeo etiam Deo, ceu enti infinito, competere, hoc ſolo diſcrimine; quod in iſto in obiectum reflectatur omnis expers limitis, atque adeo & ipſa ſit prorſus infinita : cum viciſſim in anima humana, ceu tendens in obiectum finitum, item non niſi finita ſit.

III. *Conſcientia hæc reflexa, ſive ſecunda* (§. 4. Pſych.), *æque neceſſario exiſtit in Deo atque prima;* ſiquidem ad infinitudinem ipſam actionis divinæ immanentis pertinet (hic II. & §. præc.) : iam vero totum ens infinite perfectum neceſſario exiſtit (§. 58. I.).

IV. *Conſcientia prima omnium poſſibilium in Deo natura prior eſt conſcientia ſecunda ſui ipſius.* Eſt enim illa evidenter ſaltem ratio poſſibilitatis reſpectu iſtius, ceu obiectum eiusdem, imo in eadem ipſa vi (§, 64.), qua conſcientiæ primæ actus determinatur, ceu infinita, iam quoque ineſt ratio exiſtentiæ conſcientiæ ſecundæ, quæ actionis infinitudine continetur (hic II.). Ergo conſcientia prima a priori connexa eſt cum conſcientia ſecunda ceu iſtius principium materiale, aut omnino efficiens (§. 204. Ont.), atque adeo illa hac natura ſeu origine prior eſt (§. 242. Ont.).

* Nemo non advertit, in iſtis Corollariis ſummi illius Myſterii Chriſtiani de SS. Trinitate ſemina quædam contineri circa ſecundam Perſonam. At nemo ex his facile ſolo lumine naturali cetera, quæ Myſterio illo continentur, inferret. Prodeſt tamen Theiſtis talia de Deo demonſtrare, quæ ad illud proxime accedant; etſi Myſterium totum demonſtrari non poſſit.

§. 67.

In Deo datur intellectus purus infiniteque perfectus, qui tamen merus est actus, non facultas. Datur enim in homine intellectus, i. e. universalium distincta cognitio, quae in nobis nascitur, cum animum advertimus ad determinationes singularium communes, earumque nobis, quatenus ita communes pluribus sunt, conscii sumus. Jam vero inest in Deo conscientia omnium possibilium adaequata & illimitata (§§. 63. 65.), atque adeo omnium determinationum, quae singularibus omnibus possibilibus communes sunt ac propriae: & cum attentio & reflexio omnis, ceu actio, realitas sit; in ente infinite perfecto reflexio quoque datur illimitata, atque adeo & conscientia determinationum omnium, quae & quatenus aut pluribus individuis possibilibus communes sunt, aut propriae ac differentiales. Datur ergo etiam in Deo intellectus, i. e. universalium qua talium distincta cognitio. Et quoniam, quaecunque in mente humana finitae insunt realitates, eaedem in Deo ceu ente infinito insunt purae & ab omni limite defaecatae: idcirco intellectus ille, seu universalium cognitio, omnis confusionis expers, adeoque purus in Deo est (§. 155. Psych.), quin & simultanea cognitione universalia omnia complectitur, i. e. infinite perfectus est, atque hoc ipso non in mera facultate seu vi agendi incompleta (§. 217. Ont.) sed in vi completa agendi seu intelligendi consistit, quae cum actione semper coniuncta est (§. 219. Ont.).

§. 68.

Inest Deo voluptas infinita, tam primae, quam secundae conscientiae, respondens (§. 65. 66. II.). Utraque enim conscientia illa in Deo est intuitus perfectionis infinitae: siquidem prima in ideam omnis

perfectionis possibilis exemplarem, eamque infinitam, fertur ceu in obiectum suum; secunda vero in ipsum hunc intuitum perfectionis infinitæ infinite perfectum reflectitur. Quoniam ergo voluptas non nisi perfectionis intuitus est (§. 204. Psych.), gemino intuitui infinitæ perfectionis gemina voluptas infinita in Deo necessario respondet.

§. 69.

Inest ergo etiam in Deo Amor complacentiæ & gaudii geminus directus, & reflexus, isque infinitus; adeoque & voluntas in Deo, ut merus actus, eatenus quidem necessarius, reperitur. Amor enim gaudii & complacentiæ non est nisi conatus continuandi intuitum præsentem perfectionis cum voluptate coniunctum, cuius motivum præsens distincta boni seu perfectionis cognitio est (§§. 242. 244. Psych.). Quoniam ergo in Deo inest cognitio directa & reflexa propriæ perfectionis infinitæ infinite perfecta (§§. 65. 66. II.); sicut ex intellectu finitæ perfectionis facultas volendi & amandi finita tanquam attributum necessarium ex ratione sua sufficiente consequitur (§. 400. Psych.); ita ex actu gemino distinctæ intellectionis infinite perfecto, quo Deus suam infinitam perfectionem cum infinita voluptate (§. præc.) intuetur, actus geminus voluntatis, isque non alius, quam amor gaudii infinitus, ceu ex infiniti boni præsente intuitu infinito (§§. 242. 244. Psych.), directus nempe & reflexus, seu utrique conscientiæ respondens (§§. 65. 66. II.), consequatur necesse est. Cum enim nulla ratio mali in illo utroque divino conscientiæ intuitu, sed contra infinita boni ratio reluceat; nullus actus odii displicentiæ possibilis, & ex adversa infinita ratio possibilitatis & existentiæ amoris complacentiæ de bono præsente, i. e. vis completa gaudendi infinita

(§. 217.

(§. 217. Ont.), ſuppetit, quæ cum actu ipſo gaudii infiniti, directi & reflexi, neceſſario ac perpetuo conjuncta eſt (§. 219. Ont.).

* Repetit hic auctor operis de la Nature argutias ſuas, ut probet, Deo voluntatem tribui haud poſſe. P. V. Cap. 79. ita *diſcurrit.* Velle in ente cogitante idem eſt ac præferre inter diverſos modos exiſtendi illum, quem iudicat meliorem; ſive agatur de eo, ut ſe determinet inter duo bona ad bonum maius, ſive de eo, ut eligat minus inter duo mala. 2. Voluntas neceſſario obiectum quoddam habet, nec vult ſine ratione ſufficiente, cur velit. Obiectum voluntatis non eſt niſi ſtatus melior futurus præſente, ratioque volendi eſt motivum boni melioris. Atqui ens per neceſſitatem naturæ ſuæ fixum in immobili optimo ſtatu, quod non ſolum non videt ſtatum ſuo meliorem, ſed certum eſt, ne meliorem quidem poſſibilem eſſe, non poteſt eligere inter plures ſtatus & exiſtendi modos; & ſi poſſet, id fieri deberet ſine motivo, ſine ratione ſufficiente, & ſine obiecto. *Verum* hallucinatur auctor ille pro more ſuo, & ſophismatum inaniſſimorum ſpuria luce ſibi & minus attentis lectoribus illudit. *Inprimis* falſum prorſus, velle non eſſe niſi electionem inter exiſtendi modos plures ac diverſos. Sequeretur enim, illum, qui poſt electionem factam in amore boni cum gaudio perſeveraret deinceps, non amplius velle, ſed volitionem cum electione primum facta mox fuiſſe abſolutam. Nempe non omnis volitio electio eſt inter duo, ſed bono quocunque menti oblato, in quo nullum malum apparet, mens ex intuitu ipſius voluptatem puram percipiens (§. 204. Pſych.) ſine diſtractione ad aliud bonum diverſum poteſt hærere in conatu continuandi iam præſentem iſtius boni intuitum. Unde §. 229. Pſych. appetitum in genere definientes, neutiquam illum reſtrinximus ad conatum boni *prævifi* intuitum efficiendi, ſed etiam conatum continuandi iam *præſentem* boni intuitum eidem tribuimus;

 expe-

experientia intima hanc eius naturam esse docente. Itaque etiam ens infinitum in præsente sui ipsius intuitu, cum voluptate infinita coniuncto, ita acquiescere potest, ut præcise actum istius intuitus continuare pergat perpetuo & immutabili conatu. Neque vox *conatus* offendere debet, quæ difficultatem qualemcunque in actu exprimere videtur, Deo minime competentem. Per se enim non nisi continuationem actionis significat, qua intuitus ipse boni absolvitur: id quod Deo etiam convenit omnino. *Deinde* quod voluntatis electionem attinet, etiam hæc Deo, non quidem quoad status interni, seu boni absoluti (§. 85. Ont.), unius præ alio electionem, convenire potest, sed saltem quoad creationem entium finitorum quorumdam præ aliis, qua Deus hoc potius præ alio bono eisdem amore benevolentiæ velit, aut his potius quam aliis creaturis rationalibus bene velit. In qua electione Deus, etsi in immobili statu optimo interno ita sit fixus, ut melior alius respectu ipsius omnino non sit possibilis, nihilominus sine incremento aut detrimento felicitatis propriæ potest velle creare hunc vel alium mundum, seu velle felicitatem hanc præ alia eisdem aut diversis creaturis rationalibus. Id quod Cap. seq. a §. 235. uberius explicabitur.

§. 70.

Amor complacentiæ & gaudii reflexus in Deo natura posterior est utraque conscientia, i. e. tam directa, quam reflexa, atque etiam amore directo, & ex istis tanquam principio suo adæquato existit. Neque enim is possibilis est nisi per motivum suum (§§. 230. 23. Psych.), quod est conscientia reflexa. Itaque hac posterior natura est (§. 242. Ont.), atque adeo & conscientia prima, quæ natura prior est respectu secundæ (§. 66. IV.). Quoniam denique ex ipsa vi completa conscientiæ, seu intellectionis utriusque, ceu cum ipso actu semper necessario coniuncta (§. praec.), principiati instar (§. 197. Ont.) consequitur

quitur, non nisi in eadem existentiæ æque ac possibilitatis suæ rationem adæquatam habet, adeoque ex utraque tanquam ex uno adæquato principio existit (§§. 197. 204. Ont.).

* Ecce tibi obscuram illius quoque summi Mysterii de tertia SS. Trinitatis Persona lucem ex ipso solius rationis naturalis lumine derivatam; quæ tamen ipsa fortasse nunquam nisi altiore fidei iam prælucente face discreta, nec solius reflexionis mere naturalis industria detecta fuisset.

§. 71.

Finita entia intrinsece possibilia sunt. Finita enim entia sunt, quæ præter certum realitatum ratione diversarum (§. 77. Ont.) numerum limites, i. e. defectus aliarum realitatum, coniunctos habent (§. 109. Ont.). Jam vero evidens est, contradictionem non nisi realitatis ut eiusdem realitatis negatione seu defectu simul iunctis constare, nec adeo finitis entibus ratione finitudinis inesse; quippe quæ non earundem, quæ enti finito insunt, realitatum, sed aliarum ratione diversarum solumodo, defectus supponit. Cum ergo possibilitas intrinseca in sola immunitate determinationum eiusdem entis a contradictione consistat (§. 36. Ont.); evidens est entia finita possibilitate intrinseca non destitui.

* Spinoza finitorum entium neque possibilitatem, nec existentiam admisit, sed omnia cum Deo seu ente infinito confudit.

§. 72.

Finita entia intrinsecus possibilia etiam existere possunt, i. e. ratio sufficiens existentiæ eorundem item aliqua possibilis est. Ratio enim ista existentiæ illorum sufficiens necessario vel mera realitas, vel

merus defectus est, vel realitate & defectu simul constat. Si mera realitas est; saltem enti infinito inesse debet vel ipsamet, vel eius producendae facultas; secus realitatis defectus in ipso inesset. Merus porro defectus existentiae realis ratio sufficiens esse nequit. Quodsi demum rationem istam sufficientem existentiae entis infiniti in realitate simul & defectu constituas, defectus non nisi finitudinis qua talis, i. e. limitum finiti, ratio existendi esse potest, non item realitatum eiusdem (§.7.II.Ont.); harum contra existendi ratio realitas erit. Porro cum realitates & defectus entis finiti possibilitatem constituentes contradictionem non involvant, neque realitas, quae ratio existendi realitatum illius est, & defectus, qui ratio existentiae defectuum eiusdem, sibi mutuo contradicent, ut patet. Quodsi ergo ratio sufficiens existentiae entis finiti realitate & defectu simul constet, eadem tamen contradictione non laborat. Itaque quoad realitas est, rursus vel ipsi finito, vel saltem enti infinito inesse poterit; quoad vero defectu eadem constet, saltem enti finito inerit. Possibilis ergo est ratio sufficiens existentiae cuiuslibet entis finiti, adeoque finita entia existere possunt, quae intrinsecus possibilia sunt.

§. 73.

Nullum ens finitum potest esse ratio existentiae sui ipsius ultima & sufficientissima. Entis enim finiti cuiuscunque possibilitas intrinseca praecise ex compossibilitate aliquarum realitatum cum defectibus aliarum realitatum diversarum nascitur. Jam vero non sunt realitates ullae per se ipsas potius compossibiles cum his quam cum aliis realitatibus aut defectibus earundem: unde ratio sufficiens existentiae cuiuscunque entis finiti determinare debet, cur ex omnibus compossibilibus realitatibus & de-

fecti-

fectibus hæ potius quam aliæ in quovis ente finito actu idem (§. 60. Ont.) per existentiam evadant. Jam vero evidens est rationem sufficientem existentiæ, quæ indeterminationem illam compossibilitatis omnium realitatum entis finiti tollat, possibilitati ipsius entis finiti inesse non posse, hoc ipso, quod omnis eius possibilitas indeterminationem illam compossibilitatis involvat. Extra ens quodque finitum igitur quæri necesse est rationem sufficientem ultimam determinationis illius; atque adeo cum nihil indeterminatum existere a parte rei possit, ratio ultima ac sufficientissima existentiæ cujusque entis finiti in ipso ente finito existente inesse nequaquam potest.

Adde vero, quod, si ipsi possibilitati entis finiti inesse rationem ultimam existentiæ eiusdem ponas, necessario talis ratio existentiæ entis finiti limitata esse & ipsa debeat. Igitur & ipsa secundum realitates sibi proprias loco limitum præsentium aliter limitari posset, i. e. aliis realitatibus ac defectibus compossibilis est. Redit ergo de ipsa quæstio nondum soluta, nec unquam solvenda, cur ipsamet, cum aliter secundum suam possibilitatem determinabilis sit, hoc potius quam alio modo determinata est? Atque adeo cognoscibilitas adæquata, existentiæ actualis, seu omnimodæ determinationis, i. e. ratio sufficientissima, ei nequaquam competit.

§. 74.

I. *Solum ergo ens infinitum, sive solus Deus, est ens a se, nec præter ipsum possibile est ens a se finitum.*

II. *Solum ens infinitum, i. e. solus Deus, est ratio existentiæ ultima ac sufficientissima omnium entium finitorum, nec nisi per Deum existere actu entia finita possunt:* neque enim inter finitum & infinitum datur ens

me-

medium; neque regressus entium finitorum numero infinitorum adstrui potest (§§. 17. 18.).

III. *Deus prorsus independens est ab omni ente finito:* ipse enim & sibi ipse sufficientissimus in existendo, & necessarius est, simulque tanquam ratio ultima prior existentia omnis entis finiti (§. 197. Ont.).

* Possibilitate tam intrinseca, quam extrinseca, entium finitorum a priori quoque sic demonstrata, superest, ut examinemus, *utrum* etiam *existentia aliquorum vel omnium entium finitorum a priori,* i.e. ex solis notionibus abstractis entis infiniti & finiti, demonstrari possit. Quodsi hoc fieri queat, nihil est evidentius, quam finitorum quoque entium existentiam fore necessariam; quin ab ista necessitate eximatur eo nomine, quod existentiae istius suae rationem adaequatam in se ipso aut notione propria non contineant. Modo enim necessitatis istius existendi quaedam adaequata ratio aut in sola notione entis infiniti, aut in utraque finiti & infiniti entis notione saltem simul sumta, contineatur; cum notiones istae non nisi possibilitatem entis utriusque per se exprimant, existentia aeque entis finiti quam infiniti tam invariabilis erit quam rerum possibilitas, adeoque absolute necessaria (§. 96. Ont.). Unde miranda sane Wolfii ratiocinia sunt in Theolog. Nat. P. II. §. 329. & seqq. ubi elementorum mundi, & mundi ipsius, atque omnium animarum, contingentiam demonstrare intendit; quae huic soli argumento omnia unice insistunt, quod entia ista finita omnia rationem suae existentiae (activam scilicet & efficientem) in sua possibilitate seu essentia non contineant: quasi vero non item id necessarium in existendo esset, cuius existentiae adaequata ratio in entis alterius necessarii ipsa possibilitate contineretur. Quis dicat, finitorum entium existentiam per solum principium rationis sufficientis determinari, & non per ipsum principium contradictionis; siquidem ratio sufficiens

ficiens adæquata existentiæ illius in ipsa possibilitate entis infiniti contineatur? Reflecte, quæso, animum super distincta *rationis sufficientis* notione, & memento, eam non esse nisi ipsam cognoscibilitatem aut possibilitatis, aut existentiæ entis, aut utriusque simul (§. 21. Log. & §§. 5. 6. Ont.). Quodsi ergo ratio ipsa possibilitatis entis infiniti & finiti complectatur rationem sufficientem existentiæ entis finiti; an non eadem existentia per solam rerum possibilitatem, i. e. vi principii contradictionis, determinabitur? Sed nempe facile est Wolfio effugium, cum *ens contingens* hoc ipso nomine definit esse omne id, quod rationem sufficientem existentiæ suæ in essentia seu possibilitate sua (propria videlicet) non habet (Ont. Wolf. §. 310.). At, at! si ratio illa existentiæ talis entis, licet ab eo distincta, secundum se ipsam tamen absolute necessaria, & in ipsa alterius entis necessarii possibilitate & essentia contenta sit; an adhuc contingens erit ens eiusmodi? Profecto nemo unus id assentietur, ut puto; si modo hoc ipsum possibile esse agnoscat, ut alicuius entis ratio existentiæ sufficiens in entis alterius distincti ipsa possibilitate contineatur. Atqui Wolfius agnoscit istud prorsus possibile esse respectu existentiæ mundi optimi. Etenim revera pro huius existentiæ demonstratione non nisi duas rationes reipsa affert, primam *obiectivam* (Wolf. Theol. Nat. P. I. §§. 118. 325. 608.) nimirum ipsam perfectionem summam istius mundi ex omnibus possibilibus maximam, ceu medium secundum se ex omnibus possibilibus aptissimum, imo unice aptum, ad finem creationis, qui est manifestatio perfectionis propriæ ipsius Dei absolute summæ (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 608.); alteram *subiectivam* (Wolfius Theol. Nat. P. I. §§. 336. 333.), nimirum omniscientiam Dei, qua is solus omnem omnium possibilium perfectionem notitia adæquata perspectam habet, adeoque solus vera electione mundum perfectissimum ex omnibus possibilibus eligere possit, quod nemo alius non omniscius potest. Sed cur demum secundum Wolfium duæ istæ ratio-

nes

nes demonſtrativæ ſunt, quod Deus actu elegerit ob illas mundum optimum? quia ſcientia ſummæ perfectionis huius mundi præ aliis omnibus poſſibilibus reſpectu Dei eſt ratio, in ipſa eſſentia vel attributo eius contenta, ſimulque motivum, cur Deus *velle debeat* potius hunc mundum creare quam alium: id eſt, quia eſt motivum fortius, oſtendens, quod melius eſt, per quod omnis libertas, atque adeo etiam divina, ad volendum unum potius præ alio determinatur (Wolf. Theol. Nat. P. I. §§. 332. usque ad §. 341.). Porro volitio divina ſic per rationem obiectivam & ſubiectivam determinata ipſamet eſt ratio proxima ſufficiens (una cum potentia Dei) exiſtentiæ mundi optimi. Unde revera Wolfius nec admittit aliam in Deo potentiam producendi mundum inferiorem optimo, nec aliam iſtius poſſibilitatem extrinſecam, niſi quatenus potentia minor iam in maiore continetur, ſic tamen, ut impoſſibile maneat tam, ut loco optimi minus perfectus producatur, quam ut una cum optimo ſimul minus perfectus creetur a Deo. Intelliges, hanc revera eſſe Wolfii ſententiam, ſi eiusdem demonſtrationes §§.117.342. Theol. Nat. P. I. inter ſe componas. Fecit ergo Deus creando hunc mundum, quantum, & quod ſolum potuit, idque ipſum facere neceſſitate abſoluta debuit, quia hoc ſolum decuit. Enimvero error Wolfii circa libertatis notionem genericam iſthic mirifice virtutem ſuam prodit, & effectu quidem latiſſime patente. Quippe ex eo principio, quod Deus optimum ſemper neceſſitate eſſentiæ ſuæ actu faciat, in Jure Naturæ principium aliud derivatur, ſcilicet eundem lege æterna naturali etiam nobis electionem optimi nunquam non præcipere. Unde ſummæ perfectionis ſtudium iam non ad conſilium, ſed rigidam Dei legem pertinebit. Quamquam errore alio vi ſyſtematis Wolfiani huius erroris difficultatibus, & rigori nimio, remedium affertur. Nam neque mens humana vi libertatis ſuæ aliud quid, quam quod facto optimum cognoſcet, eligere unquam poteſt. Hem tibi belliſſimam errorum catenam! cui

quæſtio-

quæstiones plurimæ iuxta ac gravissimæ in Jure Naturæ innectuntur. Operæ pretium ergo vel maxime videri debet, tot errorum principia quam diligentissime tum hic tum alibi (Psychol. 306. seqq.) a nobis refutari, ipsosque illorum fontes aliis *entis contingentis* ac *necessarii, libertatis,* ac *dominii*, notionibus iam in Ontologia (exemplo ipsius D. Wolfii) præmissis obstrui.

** Advertit Wolfium ipsum multis locis, quid *opponere* in promtu cuique esse deberet adversus asserta eiusmodi. Inter hæc illud maxime obvium est. Creaturæ intelligentes, quibus solis manifestare Deus potest se ipsum, nunquam pares futuræ sunt omni perfectioni mundi istius intelligendæ, multo minus, *an iste* sit possibilium omnium perfectissimus. Ex altera parte quilibet mundus possibilis est medium aptum manifestandæ perfectionis divinæ absolute infinitæ; siquidem ex omni ente finito ens infinitum ceu unica illius ratio sufficiens intelligi potest. Ergo mundus revera optimus qua talis inutile medium est, aut certe non melius, quovis alio, ad summam Dei gloriam manifestandam. *Respondere* enimvero Wolfius potest, & reipsa ex parte ita respondet §. 623. not. Theol. Nat. P. I. non opus esse, ut creaturæ intelligentes determinate aut omnem mundi perfectionem, aut, quod optimus ille sit, intelligant, sed illum hoc ipso optimum præ cæteris fore, cuius ope creaturæ intelligentes infinitam Dei perfectionem reipsa in gradu omnium, qui possibiles esse prævidentur, maximo intellecturæ a Deo omniscio prænoscuntur. Jam vero hunc gradum non utique æqualem ope omnium futurum. Ergo is præcise melior omnium mundus erit, qui cum maxima Dei gloria, i. e. perfectiore cognitione actuali illius magnitudinis coniungendus fore prævidetur. Recte vero: ergo ad id demum omnis quæstio revocatur: utrum Deus necessitate quadam summam, quam possibilem sibi esse noverat, gloriam extrinsecam constituere pro fine ultimo debuerit, sic, ut nec illam omnino negligere nihil creando, nec illius loco ceu quæ una sit in ratione maxi-

maximæ, aliam intendere potuerit. Hac quæſtione deciſa, cum amor finis ſit imperans, medii ad hunc finem electio (qualis eſt mundus optimus, ſeu ad hunc finem aptiſſimus) electionis circa finem faciendæ modum omnem neceſſitatis aut contingentiæ abſolutæ ſequetur, communemque cum iſta habebit. Omnis itaque cardo rei circa hoc verſatur: *an Deus bonum aliquod extrinſecum neceſſitate abſoluta voluntatis ſuæ efficaci volitione velit, & an pari neceſſitate velit bonum extrinſecum hoc præ alio?* Quæſtionem hanc ut ſolidiſſime reſolvamus, per partes rem aggrediemur, *primo* oſtendentes, nulla neceſſitate Deum velle aliquid extra ſe boni facere, *deinde*, nulla neceſſitate, ſi libere aliquid facere velit, velle debere unum præciſe facere. Porro tractatio iſta ſummi momenti, ſimul vero non levis adeo brachii res eſt, quam multi, minus profunde rem intuentes, aut in recentium Theiſtarum lectione minus verſati, ſibi vulgo imaginari ſolent. Patebit id ex toto Capite II. quo ſatis diffuſæ quidem, ſed & omni accuratione, quæſtionem iſtam pertractabo.

§. 75.

Ineſt Deo facultas agendi ad extra infinita, Poſſibilia enim ſunt entia finita (§. 71.), eorumque omnium ratio exiſtentiæ ultima in Deo ſolo ineſt (§. 74. II.), ita, ut nullum ſit finitum ens poſſibile, cuius non inſit ratio exiſtentiæ ſufficientiſſima in Deo. Ineſt ergo in Deo facultas agendi reſpectu omnium, quæ extra ipſum poſſibilia ſunt, ſine ullo defectu, adeoque infinita (§. 217. Ont.).

ARTICULUS III.

ARGUMENTA EXISTENTIÆ DEI MAGIS POPULARIA RECENSENTUR, EORUMQUE ROBUR AD DEMONSTRATIONES HUC USQUE DATAS EXPENDITUR.

§. 76.

Argumenta popularia voco, quæ ob notionum, quibus in eisdem eſt uſus, confuſionem evidentia quidem

quidem carent, ope tamen solius sensus communis naturæ, eorum veritatem persuadentis, certitudinem integram animo inducunt (§. 287. Log.).

* Non contemnendi usus mihi fore videtur, argumentorum illorum, quæ vulgo hominibus maxime indoctis Dei existentiam persuadere solent, cum demonstrationibus summe profundis consensionem; etsi distinctione, atque hoc ipso etiam luce evidentiæ, longe ab eisdem absint. Patebit enim ex isthac comparatione infallibilitas criterii, quod *communi naturæ sensui* inest, quamque male multi Atheorum, quin & Theistarum, illum a numero criteriorum expunxerint. Afferam ergo præcipua quæque ex popularibus istis argumenta, & quæ singulorum vis & origo sit, expendam.

§. 79.

Argumentum I. populare, vulgo ex mundi istius mutatione perpetua, contingentia omnium istarum eius mutationum, imo & ipsius existentiæ tum mundi, tum mentis nostræ, peti solet, atque exinde entis necessarii, sibique ipsi sufficientis, necessaria existentia inferri. Aiunt nimirum. Mens cuiusque nostrum perinde, atque omnis mundus iste adspectabilis, contingenter existunt, nec rationem existendi absolutam ac sufficientem in se ipsis continent. Inde enim est, quod perpetuis mutationibus sint obnoxia; eo quod nempe sibimet ipsa non sufficiant, sed a caussis extrinsecis existendi modum perpetuo alium atque alium accipiant. Itaque opus est ente quodam alio superiore, quod contingentiæ & insufficientiæ istius rationem tollat, quodque simul sibi ipsum plenissime sufficiat, ac necessario per se existat. Nisi enim tale ponas existere, quamcunque seriem æque sibi insufficientium & contingentium caussarum ponas, a quibus mundi istius, aut animæ nostræ, existentia dependeat, istam nobis satis intelligibilem non reddes.

Crisis istius argumenti. 1. Argumentum hoc notionibus contingentiæ & necessariæ existentiæ confusis adhuc acquiescit, ac contingentiam entium ex sola mutabilitate obscure infert; quin eam reipsa demonstret. Vidimus enim §. 74. in adnot. 1. & 2. reipsa mundi istius atque animæ nostræ contingentiam non nisi ex libertate Dei integre ostendi atque inferri posse; qua mundum istum produxit: quam ipsam libertatem Dei infra tum ex summa Dei sufficientia, tum ex necessaria cuiusque possibilis mundi imperfectione ostendemus. Certe mutabilitas & finitudo animæ nostræ, ac mundi, multo notior est, quam utriusque contingentia; & in notione libertatis Wolfiana utriusque existentia necessaria foret, etsi ambo ob mutabilitatem suam nihilominus entia ab alio esse noscerentur. 2. Nihilominus hæc utut confusa argumentatio cum demonstrationis nostræ a posteriori omni acumine in eo convenit, quod tota *ex rationis ultimæ defectu* reipsa repetatur, qui animæ nostræ æque, ac mundo huic, perinde ex notionibus confusis inesse animadvertitur, atque demonstratione secundum omnem evidentiæ rigorem per distinctas notiones adornata a nobis ostenditur. *Patet* itaque, *sensum communem naturæ, quo omnes etiam rigidæ demonstrationis expertes, ex insufficientia istius mundi atque animæ nostræ cum omni certitudine existentiam entis sibi ipsi sufficientissimi, i. e. Dei inferre vulgo consueverunt, reipsa ex iisdem notionibus confusis, tanquam ex ratione sufficiente existentiæ Dei confuse cognita, nasci; ex quarum distincta evolutione per accurata ratiocinia a nobis plena & clara demonstratio Dei eiusdem Art. I. usque ad §. 31. est adornata.* Vide §. 285. Log.

§. 80.

Argumentum II. populare, ab admirabili mundi istius machina, eius stupendo ordine, & ordinis

istius

istius perpetua perduratione, instruitur. Ordo iste, inquiunt, Physica tota inprimis magistra discitur, estque in minimis atque obviis naturæ operibus, in oculo muscæ, in salis atomo &c. æque ac in maximis, admirabilis. Atqui talis, tam compositus, tam sapienter instructus tam completus, & constans ordo in elementa, in atomos mundi inanimes, ad omnem combinationis modum æque aptatas & indifferentes, non nisi ab artifice quodam intelligentissimo & sapientissimo introduci potuit. Existit ergo mundi istius artifex summus, sapientissimus, & omnium eius elementorum potens, i. e. Deus mundi istius auctor existit, ab ipso mundo & omnibus eius elementis æque, ac ab hominibus nimis infirmis & imbecillis, diversus.

Crisis istius argumenti. 1. Enimvero in vulgari conceptu istius argumenti multa ad eius evidentiam plenam desiderari facile advertet; quisquis idem sic ruditer expositum cum ratiociniorum profunditate ac distinctione notionum contulerit, quæ a §. 35. usque ad §. 43. superius sunt proposita. Certe ordinis notioni non nisi admodum confusæ tota argumentatio innititur. Deinde ordinis ipsi mundo proprii imperfecta admodum notitia vulgo hominum affulget. Præterea ordinis istius contingentia intrinseca ex eiusdem mutabilitate, in qua reipsa quidem ceu in confusa quadam sui ratione latet, magis supponitur, quam clare intelligitur. Nasci quoque eundem ex confusione ipsa aut fortuita elementorum agitatione haud posse, confuse animadvertitur quidem, at non demonstratur. Denique ens intelligens pro eiusdem auctore speciatim requiri item ex confusa mutabilitatis ordinis eiusdem notione infertur quidem, sed itidem non demonstratur. 2. Interim advertes facile, argumenti istius evidentiam ex iisdem prorsus notio-

 nibus

nibus ordinis & confuſionis in genere, ordinis mundi huic in ſpecie proprii, contingentiæ eiusdem, ac mutabilitatis, quæ in ordinante intelligentiam, ceu rationem ſufficientiſſimam, innuunt, ſupra §§. citt. oſtenſam eſſe. *Patet* ergo, *ſenſum communem naturæ, quo vulgo etiam minus docti, aut demonſtrationum acumen haud aſſequentes, ex ordine iſtius mundi cum omni certitudine exiſtentiam Dei, ceu illius auctoris ſapientiſſimi, inferre conſueverunt, reipſa ex iisdem notionibus confuſe cognitis naſci, quarum diſtincta evolutione plena demonſtratio cum omni evidentia ſuperius a §. 35. usque ad 43. eſt adornata.* Vide §. 285. Log.

§. 81.

Argumentum III. populare, ex quo vulgo Deum etiam ſub notione *infinite perfecti entis* exiſtere affirmant ii, qui rei tam ſublimis plenæ evidentiæ aſſequendæ pares haud ſunt, communiter peti ſolet, tum ex mundi iſtius magnitudine, cuius termini ignoti ſunt, quique proin in ſui ratione ultima perfectionis magnitudinem iam ingentem ſupponit, tum ex eo, quod in ente, quod tanta iam perfectionis magnitudine per ſe ipſum ſine ullius alterius entis concurſu & beneficio pollet, nihil rationis appareat, cur ad unum minorem potius quam alium maiorem perfectionis gradum vi ſuæ eſſentiæ ſit reſtricta; tum denique ex eo, quod ens infinitum etiam in confuſa licet notione ſua advertatur eſſe omnis contradictionis expers, ſimulque exiſtentiæ, ceu inter omnes perfectiones ei proprias nobiliſſimæ, aperte compos. Enimvero ſi reflectere attentius velimus, advertemus, hæc ipſa principia, etſi confuſo ſolum concepta, ea eſſe, ex quibus vulgo receptus ille communis naturæ ſenſus de *Dei*, ſub ratione *entis* plane *infiniti*, exiſtentia naſci ſolet.

Criſis

Crisis de isto argumento. 1. Enimvero omne argumentum hoc ex confusa notione principii rationis sufficientis ex parte infertur, ex qua scilicet id ipsum iam animadvertitur, quod supra §. 48. ex distincta eiusdem notione demonstravimus, nempe limitationem ipsam entis a se, i. e. sibi ipsi sufficientissimi, siqua esset, omni ratione sufficiente carituram: ex parte vero item ex confusa infiniti entis notione rursus idem ipsum iam comprehenditur, quod nos §§. 55. 57. de eiusdem possibilitate & existentia ex notione eiusdem distincta demonstravimus; sicuti quoque omnem existentiæ rationem realitate constare vel obscure cogitanti apertum est; quod ipsum §. 56. demonstrare conati sumus. *Evidens* ergo *est*, *communem naturæ sensum de Dei, sub notione entis infiniti*, *existentia cum omni certitudine ex iisdem notionibus confuse cognitis nasci*, *ex quarum distincta evolutione nos eiusdem Dei ut entis infiniti existentiam supra §.48. a posteriori & §§. 55. seqq. a priori cum evidentia demonstravimus.*

§. 82.

Argumentum IV. populare ab ipso communi naturæ sensu & consentiente omnium hominum, rationis usu rite pollentium, consensu petitur; quem etsi verum esse demonstrare non possint, tamen falsum esse in re tam gravi posse ut ne credant, reflexo alio naturæ communi sensu omnes, qui ceteroquin nec plus iusto, nec nimis parum, sapere noscuntur, absterreri videmus.

Crisis de isto argumento. 1. Evidens est, pro infallibilitate istius sensus communis asserenda ortum illius ab ipso Deo naturæ auctore allegari in hac caussa sine aperta petitione principii non posse; qui tamen tertius modus originis pro aliis iudiciis communi naturæ sensu compertis §. 287. Log. est

constitutus. Solum itaque communis ille de Deo sensus naturæ vel ex ratione sufficiente veritatis istius *existit Deus* saltem confuse ab omnibus rite rem examinantibus cognita, vel ex ipsa naturæ nostræ humanæ dispositione quadam omnibus individuis communi nasci potuit, quæ dispositio, cum ad rem asserendam ab omni experientia remotam inclinet, non præteritorum actuum exercitio (i. e. non experientia) acquisita, sed naturæ nostræ innata esse debet. Si primum: ratio sufficiens ab omnibus licet confuse solum, modo tamen prorsus consentiente cognita, non modo cognoscibilitatem, i. e. veritatem metaphysicam, sed facilem & obviam cognoscibilitatem instar principii habere debet, aut ipsa communis & tam consentiens eius cognitio ratione sufficiente caret; quod posterius impossibile. Si alterum: evidens est, naturæ dispositionem eiusmodi verissimum mentis nostræ bonum ac veram perfectionem esse; quippe quæ ad eius entis cognitionem universum humanum genus inclinet, sine qua homo homini lupus, nec quisquam hominum ab homine magis quam a feris bestiis vitæ ac quorumcunque bonorum suorum securus viveret. Jam vero quam evidens est, errorem mentis atque iudicii verum mentis malum seu defectum esse, tam quoque evidens est, id genus verum malum boni veri haud esse posse *caussam per se*. i. e. vi ipsius malitiæ suæ seu defectus sui (§.263. Ont.). *Evidens ergo est, sensum communem naturæ de existentia Dei falsum esse non posse.* Relege dicta de hoc in Logica a §. 282.

* Vides itaque ex primis tribus argumentis ortum genuinum sensus communis naturæ de existentia Dei, & vides ex hoc argumento quarto infallibilem eiusdem certitudinem; quamque vere sapiens ille fuerit, qui, maxime de rebus sensu communi naturæ receptis dixit: *nemo omnes,*

omnes, omnes neminem fallunt. At nimirum multa habet opponere Atheus adversus communem hunc naturæ sensum, quæ paucis quidem, ut possunt, solvenda a nobis sunt.

** *Ait* itaque 1. Politices commentum Deum esse, & spectrum, quo obiecto reges rudem populum, flecti alioquin auctoritate humana ac regi nescium, sub iugum legum mittere callide initio excogitarunt. *Atqui* non institutione humana, sed naturæ ipsius magisterio, omnes populi, etiam liberi, etiam democratico regimine utentes, imo sapientissimi quique ex plebe ipsa subiecta Monarcharum potestati, ad agnoscendum Deum, ceu ipsorum regum Dominum, erudiuntur; cuius reverentia maxime ipsorum regum fastus & tyrannis intra iusti ac moderationis metas unice contineri, ac reipublicæ communi bono consuli queat. Unde, quo illustrior Dei cognitio in gentibus quibusque viget, eo & moderatiora, iustiora, & magis communi bono attemperata vigere regimina constanter videmus: cum ex adverso pro eo, atque obscurior in quavis gente summi Numinis ac perfectionum illius cognitio est, eo impotentiorem grassari tyrannidem ac despotismum constanter observamus. Quemadmodum ergo summum cuiusque reipublicæ bonum gemino hoc cardine totum vertitur, subiectione nimirum populi adversus iustas ac salubres leges, & regum constante studio non nisi tales leges decernendi; ita utriusque istius emolumenti unicum perinde ac solum sufficiens fundamentum Dei clara cognitio est. Juxta ergo populorum atque regum ipsorum interest, ut Deus existat, neque adeo magis horum quam illorum commentum dixi potest, nec pro errore communi haberi, quod unice sufficiens & necessaria caussa per se atque ratio communis perpetuique boni est.

*** *Ait* 2. timore & innata meticulositate adductos esse homines, ut Deum crederent, quem, si existeret, pœnas neglecti cultus sui exposciturum abse putabant. *Ain'* vero

vero, an metus magis grandis cuiusquam mali, a Deo reipsa existente obventuri, an vero spes ingentis boni, persuadere agnitionem illius sapienti cuivis homini debebat? Certe quo quisque sapientior ac melior, hoc optare magis Deum & poterat, & debebat. Contra quo quis peior & flagitiosior, ceterisque infestior hominibus, hoc amplius metuere illum sibi a supremi Numinis existentia necesse erat. At quis metus, quæ spes, ab ente existente nuspiam? Metus ergo haud dubie ad negandum Deum malos omnes inducit, contra bonis omnibus Dei existentis votum ultimum inspirat. Quoniam ergo nihilominus tam mali quam boni homines passim naturæ ipsius sensu doceri se de Dei existentia omni tempore confessi sunt; nec spes, nec metus, sed natura ipsa, atque ille, qui solus naturæ auctor esse potest, istius quoque communis naturæ sensus de Deo existente auctor est.

**** *Ait* 3. negatque, communem hunc fuisse gentium omnium bene moratarum sensum; quippe quæ Deos non modo plures, sed tales coluerint, quos pro veris Numinibus minime habitos fuisse tum humana origo, tum summa flagitiis eisdem passim attributa, aperte evincunt. Denique Atheos omni tempore quam multos ex viris doctissimis fuisse, non posse salva verisimilitudine negari. His ego plura *repono* evidentia. 1. Ex eo, quod sensui naturæ, quem cum aliis utique perinde ac naturam ipsam communem habebant, quidam assensum non præbuerint, non sequitur, eos aut tali sensu omnino caruisse, aut hunc falsum esse posse. Cum enim ob confusionem notionum, ex quibus nascitur, nullam is necessitatem assensus intellectui imponat, liberum illis erat, ut Deum, quem natura existere cum omni certitudine dictabat, tamen repudiarent; vel quod ab eo tanquam flagitiorum suorum vindice abhorrerent; vel quod evidentiæ soli in ente sibi inviso admittendo cedere constituentes, simul acumine destituerentur, quo ad inveniendas demonstrationes, Art. I. & II. propositas, imo etiam ad capiendas illas iam inventas,

tas, non mediocri est opus. Vide dicta in Logica §. 283. VI. & VII. item §. 287. not. 4. 2. Etiam bestias gentes complures integras pro Diis publice coluisse constat: an dices, sensum naturæ communem haud docere, bestias Deos non esse? 3. Constat, ab illis ipsis gentibus, quæ plura colebant simul Numina, unum aliquod inter ista supremum fuisse agnitum; cui cetera omnia ceu minora subiicerentur, tum vero, ut erat quisque sapientior, ita ritus publicos & honores, qui flagitiosis Deastris a plebe communiter exhibebantur, explosisse. Socratis, Platonis, Ciceronis, exempla hac in parte notiora sunt, quam ut commemorare ea fusius opus videatur. 4. Non abnuo, dari Atheos (§. 5.), sed tales nimirum, qui, cum evidentiam demonstrationis existentiæ Dei prætendant, cui soli cedere velint, nec tamen eius capaces sint, sensum naturæ, quem intimo animi in recessu persentiscunt, immoderatæ licentiæ & vitiorum assuetudine auscultare iam diu recusarunt, atque ita demum contrariæ persuasionis habitu per solius voluntatis vitium inducto, Deum non existere, modo certissime sibi persuadent.

***** Concludo itaque, *evidenter nullam esse ex parte intellectus vel tenuem rationem, quæ Atheo Dei negandam existentiam persuadeat,* summas autem, atque evidentes (si acumine sufficiente ad eas capiendas, aut reflexionis otio per vitii amorem polleat ad easdem meditandas) quæ de illius vera existentia convincant. *Affectata ergo prorsus ignorantia est, quam Atheus prætendit, nec a crimine ipsum læsæ Dei supremæ maiestatis ac dominii ullo pacto excusans.*

****** Sed *aio* insuper, *ne ullam quidem ex parte voluntatis esse rationem posse, si sapiens modo sit, cur optet Deum non existere.* Aut cur id optet demum? Ut libere indulgere genio suo possit? Id est, ut pro bruto magis quam pro homine gerere se possit? Atqui optare sic tamen votis omnibus debebit, ut ceteris saltem hominibus omnibus Dei existentia persuasa maneat, ne & ipsi bruto-

rum mores adverſum ſe ex æquo induant. Certe ſi virtutis omne pretium, quod unice ab opinione Dei pendet, ex hac vita tollat, næ ipſe leonem ſe magis natum fuiſſe quam hominem exoptet. An vero finiendæ cum hac vita miſeriæ cauſſa ſaltem Deum non exiſtere cupit demum? Enimvero ingens lucrum, beſtiarum inſtar crepare atque emori corpore tenus atque anima omnes quod homines quoque demum poſſint! Ita nempe, modo ut malus extremō licentiæ ſtudio eſſe poſſit (quod ipſum ſine extrema infelicitate propria eſſe non poteſt) Deum non eſſe exoptat, ſine quo nulla ullius hominis, ne dicam perennis, ſed neque temporanea felicitas eſt poſſibilis; imo ſine quo non ad unum omnes eſſe infeliciſſimi omni tempore non poſſumus. Sed quid demum votis id genus peſſimis iuxta atque inanibus evincet? An Dei exiſtentiam impediet? an ab eius dominio ſe expediet? an immunem ſaltem a vindicta reddet? imo ſaltem a perpetuo metu & conſcientiæ remorſu? Bonum infinitum! miſerere ultimæ cæcitatis rationalis creaturæ tuæ, quæ extrema tentat omnia, ut omni tempore infelix ſit, quam hoc uno conſilio tu feciſti, ut infinitæ felicitatis tuæ participem efficeres.

§. 83.

Dei exiſtentiæ notitia innata nobis quidem non eſt, attamen nemo ratione utens ea niſi voluntatis vitio diu carere poteſt. Quod innata non ſit, ſatis apertum ex eo eſt, quod de origine ideæ Dei in Logica §§. 113. 114. diximus. Quodſi enim idea ipſa Dei acquiſita eſt, neque notitia de illius exiſtentia innata eſſe poteſt, ſed item reflexione acquiri debuit. Quoniam tamen omnibus hominibus ratione utentibus ſenſu quodam naturæ communis eſt, etſi demonſtrationis vere talis pauciſſimi gnari ſint, ex ſola confuſa Dei, poſſibilitatis, & exiſtentiæ, notione, item ex notione ordinis, contingentiæ intrinſecæ animæ noſtræ, & mundi iſtius, atque inſufficientiæ eius-

eiusdem, ope mediocris, cuiusvis reflexionis eam cum certitudine saltem & absque ullius prudentis formidinis ac dubii specie deduci oportet.

CAPUT II.

DE LIBERTATE DEI, & MUNDI ISTIUS ADSPECTABILIS CONTINGENTIA ABSOLUTA.

ARTICULUS I.

DE FINE ULTIMO CREATIONIS MUNDI.

§. 84.

Quatenus quis vera gaudet voluptate, eatenus *bene esse eidem* dicitur, *male esse* econtra, quatenus tædio afficitur. Status porro, in quo vera voluptas cum distincto istius veritatis intuitu perdurat, *felicitas* appellatur; sicuti vicissim *infelicitas* ille status dici solet, in quo, & quatenus vel voluptates mere apparentes, vel tædia, seu vera, seu apparentia solum (ob defectum scilicet distinctæ cognitionis de vero bono), perdurant. Quodsi veræ voluptatis distinctus intuitus tam completus, atque adeo & felicitas tam completa sit, ut porro crescere in præsens nullo pacto queat, *beatitudo*, & subiectum illius particeps *simpliciter beatum* dicitur. *Beatitudo absolute summa* dicitur, qua maior nulla absolute in ullo subiecto possibilis est: *respective summa beatitudo* vero appellatur, qua maior in hoc determinate subiecto absolute possibilis non est.

* Brutis animantibus *bene esse*, bene cum illis agi, i. e. sensationibus iucundis ea frui, vulgo dicimus: nam confusæ voluptatis capacia sunt, quæ illorum respectu vera voluptas est; cum nulli maiori bono, ipsis compossibili, opponatur (§§. 198. 204. Psych.). At *felicitas* proprie non

nisi

nisi entibus intellectu præditis, nec his; nisi tunc, & eatenus, tribuitur; quando & quatenus veri boni intuitu præsente, eoque tam distincto potiuntur, ut de ipsius veritate boni omnino certi sint. Qui voluptate apparente fruitur ad summum *apparente felicitate* frui dici potest.

** *Beatus* vulgo dicitur, qui tanta iam felicitate, i.e. verorum bonorum clara fruitione, potitur, ut porro ultra quid efficaciter nil desideret, aut amore concupiscentiæ concupiscat sic, ut ex illius defectu efficaci tædio & inquietudine afficiatur. Unde communissime beatitudini satietas appetituum, ceu attributum præcipuum, attribuitur. Jam vero appetitus varius est pro ratione obiecti: nam & in ea, quæ impossibilia sunt, sæpe appetitu conditionato ferimur, eaque nobis optamus sub conditione, si possibilia forent; hicque appetitus ipse adhuc vigore diverso fertur in ea, quæ de se quidem in alio subiecto possibilia sunt bona, at respectu nostri prorsus absolute impossibilia, & rursus alio vigore in ea bona, quæ aliis in rerum adiunctis etiam nobis inesse possint, at in præsens iam mere per accidens sunt reddita impossibilia. Unde patet fundamentum divisionis *beatitudinis in genere*, quæ vere talis esse in aliquo subiecto potest, quod omnibus in præsens porro possibilibus sibi bonis fruatur; quin tamen ea vel respective summa sit: eo quod satietatem ita tamen pariat, ut nullus appetitus efficax & absolutus illius satietatis expers maneat.

§. 85.

Sufficientissimus sibi ipse is dicitur, qui omnis perfectionis absolutæ (§. 86. Ont.) iuxta atque felicitatis sibi compossibilis (§. 60. Ont.) i. e. beatitudinis suæ respective summæ, rationem ultimam existentiæ sufficientissimam ita in sua possibilitate ipsa continet, ut extra se nulla prorsus re indigeat, per quam illa ratio ultima compleatur.

§. 86.

I. *Deus beatitudine abſolute ſumma beatus eſt* (§§. 67. 68. 84.).

II. *Deus ſibi ipſe ſufficientiſſimus eſt, quin ulla re indigeat extra ſe ad iſtam ſuam beatitudinem abſolute ſummam ſeu obtinendam, ſeu perpetuo conſervandam* (§§. citt.)

§. 87.

Res finitæ poſſibiles univerſæ bonitate quidem & perfectione abſoluta quadam conſpicuæ ſunt (89. I. Ont.) *quin & bonitate reſpectiva, ſeu aptitudine aliqua ſe ipſas invicem actionibus mutuis perficiendi* (ſiquidem viribus activis ad extra gaudent) *atque adeo etiam capacitate recipiendæ cuiusdam perfectionis accidentalis* (§. 279. ſeqq. Ont.): *attamen omni ratione boni reſpectivi relate ad Deum deſtituuntur* (§. 85. Ont.); quia nullius boni, nullius novæ felicitatis, ratio exiſtentiæ Deo ullo pacto eſſe poſſunt (§. præc.).

§. 88.

Deus quidem amore complacentiæ ſimplicis (§. 242. Pſych.) *eoque neceſſario in res omnes finitas fertur, quatenus ob ſimilitudinem aliqualem cum bonitate divina tum abſolute bonæ ſunt, tum reſpectivæ bonitatis aptitudine reſpectu aliarum creaturarum poſſibilium gaudent* (§. præc.); *nullius tamen ex illis exiſtentiam amore concupiſcentiæ velle, ſeu appetere, poteſt, quamcunque illa ſecundum ſe bona ſit.* Deus enim diſtincto & adæquato intuitu omnis abſolutæ & reſpectivæ perfectionis omnium rerum finitarum præditus eſt vi eſſentiæ ſeu poſſibilitatis ſuæ propriæ (§. 65.), atque adeo vera voluptate ex illo intuitu perfunditur (§. 204. Pſych.); ex qua amor ſimplicis complacentiæ non conſequi non poteſt (§. 242. Pſych.). Quoniam vero amor concupiſcentiæ non niſi ex amore complacentiæ tali naſci poteſt, qui conſe-

quitur

quitur intuitum, quo obiectum respectu ipsius intuentis bonitate respectiva pollere intelligitur (§. 256. Psych.), nec tamen ulla respectiva bonitas rebus ullis finitis relate ad Deum inest (§. præc.): idcirco nullius rei finitæ existentiam amore concupiscentiæ velle, seu appetere, Deus potest; quamcunque secundum se bona illa fuerit.

§. 89.

Deus itaque præcise puro amore benevolentiæ ferri ad rei cuiuscunque finitæ existentiam potest, sive quo ipsius existentiam ut ipsi absolute bonam, sive quo eandem ut respective bonam alteri creaturæ a se creatæ, velit (§§. 87. 88.). Cum enim eam ut sibi bonam amore concupiscentiæ velle non possit (§. præc.), aliud non superest; nisi ut eandem velit vel ut ipsi creaturæ absolute bonam, vel ut respective bonam alteri cuidam creaturæ, quæ eius actione perfici possit, seu in bono absoluto crescere (§. 279. Ont. & §. 87. hic); quod utrumque amoris benevolentiæ proprium est (§§. 256. 259. Psych.).

§. 90.

Amor benevolentiæ imperfectus est, quo alteri quis vult, ut eidem utcunque bene sit, *perfectus* vero, quo eidem vult felicitatem proprie talem, *perfectissimus*, quo eidem vult beatitudinem respective summam, quantam & quantum velle efficaciter in ipsius volentis est potestate (§. 84.), seu quantæ demum creaturæ capaces sunt.

* Nempe maioris est perfectionis absolutæ esse actu magis bonum respectu alterius, quam minus respective bonum esse.

§. 91.

Amor benevolentiæ perfectus in creaturas irrationales neque active, nec passive, cadit, sed solum in rationales. Felicitatis enim nec capiendæ, nec alteri volen-

volendæ capaces illæ sunt, utpote cognitionis omnis distinctæ expertes (§. 84. not. 1.).

§. 92.

Deo amor benevolentiæ non nisi perfectissimus tribuendus est, quantuscunque possibilis. Enti enim infinite perfecto omne id tribuendum est, quod in quovis genere perfectionis possibilis perfectissimum est.

* Nondum vero hic determinatur, qualis & quantus amor benevolus possibilis in Deo ita sit, ut necessario Deo insit; siquidem id demum ex qualitate & magnitudine boni inferendum est, cuius creaturæ absolute capaces sunt. Unde præceps nimium celebris illa Wolfiana illatio est, qua a priori veluti infertur ex eo, quod Dei voluntas sit in gradu summo perfecta, Deum hoc ipso actu absolute efficaci velle existentiam mundi optimi: ex quo necessitas absoluta existentiæ istius mundi optimi consequeretur. Vide Wolfii Theol. Nat. P. II. §. 185. Videndum nimirum prius est, utrum bonum absolute summum, cuius creaturæ, ceu res finitæ, absolute capaces sunt, sit eiusmodi, ut eius volitio efficax actualis enti etiam infinite bono & benevolo necessario inesse debeat; an vero idem tot imperfectionibus & veris malis necessario commixtum sit, ut hæc Deum etiam infinite benevolum æque propemodum absterreant ab efficaci eius volitione, atque bonum ipsum illud possibile summum eundem impellat ad idem creaturis suis actu volendum: de quo plura in decursu dicenda supersunt.

§. 93.

I. *Deus, siquid creare voluit agendo ad extra, rationales creaturas creare debuit.* Non enim nisi mero amore benevolentiæ ferri ad rei cuiusque finitæ, seu creatæ, existentiam volendam potuit (§. 89.), eoque perfectissimo (§. præc.), i. e. tali, quo felicitatem, imo beatitudinem saltem respective summam

mam rebus a se creatis vellet (§. 90.). Atqui istiusmodi amoris benevolentiæ non nisi creaturæ rationales capaces sunt, seu obiectum illius esse possunt (§. 91.). Tales ergo creare debuit, siquid simpliciter creare voluit.

§. 94.

II. *Creaturas rationales, quas Deus actu creavit, reipsa creavit ex eo fine, ut felicitatem aliquando eiusmodi consequantur, quæ veram beatitudinem illarum constitueret.* Creavit enim ex mero amore benevolentiæ (§. 89.) eoque perfectissimo (§. 92.) i. e. tali, quo eisdem voluit beatitudinem respective summam, quoad illam velle efficaciter in ipsius erat potestate (§. 90.).

* Nondum determinatur thesi ista, utrum affectus iste benevolentiæ sit absolute efficax, respectu omnium, aut aliquorum tantum; sed solum affirmatur, Deum veram beatitudinem creaturarum rationalium reipsa sincero benevolentiæ amore, quantum in ipso erat, intendisse: cetera, quæ porro ad huius amoris efficaciam pertinent, infra suis locis, postquam prævia principia, ceu fundamenta, stabiliverimus, adiicientur.

§. 95.

III. *Res quascunque alias, quæ rationis expertes sunt, non nisi eo fine creavit Deus, ut bonitate sua respectiva creaturis rationalibus mediorum instar servirent ad veram beatitudinem, cuius caussa istæ sunt creatæ (§. præc.), consequendam.* Cum nec amore concupiscentiæ in illas ut sibimet bonas (§. 88.), nec amore benevolentiæ directo in easdem ferri posset, ceu istius amoris incapaces (§. 91.), sed sola amore benevolentiæ in creaturas rationales directo; idcirco non nisi, quatenus respectiva bonitate seu aptitudine aliqua pollent mediorum instar creaturis rationalibus serviendi ad beatitudinem, ceu finem

nem creationis istarum (§. præc.), consequendam (§. 267. Ont.), eatenus velle existentiam illarum Deus potuit, & easdem creare.

§. 96.

IV. *Deus res quascunque non nisi eatenus creando ipse velle efficere potest, quatenus vere bonæ sunt;* i. e. quatenus media sunt per se apta ad bonum seu veram beatitudinem creaturæ rationalis promovendam. Cum enim perfectissime omnia cognoscat, non nisi in vero bono sibi complacere, & ut tale amore benevolentiæ ipse velle efficere potest (§. 89. & §. præc.).

§. 97.

V. *Si elementis istius mundi corporei vis nulla activa inesset determinandi ideas sensuales, ceu initia cognitionis humanæ, creari a Deo omnino hic mundus corporeus non potuisset.* Bonitate enim omni respectiva & ratione medii carerent (§. 267. Ont.), qua ad creaturæ rationalis beatitudinem ceu creationis suæ finem servirent, cuius unius caussa creari a Deo potuere tum elementa ipsa, tum omnis iste mundus corporeus (§. 95.).

§. 98.

VI. *Evidens ergo est, elementa mundi corporei, cum is vere existat, vi activa respectu rationalium animarum pollere, eademque vi idearum sensualium existentiam determinari.*

* Ecce ex ratione finali demonstratam vim activam elementorum corporeorum. simulque exemplum efficaciæ *argumenti ex finibus* rerum petiti.

§. 99.

Felicitatis ergo & veræ beatitudinis creaturarum rationalium ceu finis mediati caussa mundus omnis iste corporeus una cum omnibus brutis animantibus, instar

totidem mediorum, a Deo actu creatus est. Sola enim beatitudo creaturarum rationalium, ad quam suo tempore efficiendam mundus corporeus & ceteræ creaturæ non rationales apta media esse a Deo omniscio noscebantur, eundem, ceu caussam efficientem intellectu & voluntate præditam (§§. 67. 69.), motivi instar, in quo sibi amor eius perfecte benevolus (§92.) complaceret, disponere ac ciere ad agendum, & ad ipsum mundum creandum, seu ad illum tanquam medium actu adhibendum impellere potuit (§. 95.). Atqui istud omne caussæ finalis, seu finis, proprium est (§. 267. Ont.). 2. Neque tamen mundus omnis corporeus cum omnibus animantibus medium se sola sufficiens est ad beatitudinem illam, ceu finem proximum & immediatum, efficiendam (§. cit.); siquidem illa omnia, quæ mundo huic insunt, aliud efficere in rationali anima non possunt præterquam ideas sensuales (§. 42. seqq. Psych.). Unde, cum in appetitu sensitivo, qui in res sensu externo præcise repræsentatas tendit, apparentis & veræ voluptatis discernendæ criterium nullum insit (§§. 206. 207. Psych.), nec tamen felicitas ac beatitudo vere talis nisi in vera voluptate qua tali, i. e. in distincto huius intuitu, consistat (§. 84.): idcirco mundus corporeus una cum brutis animantibus, quæ eidem insunt, non nisi mediantibus aliis terminis & actionibus ad beatitudinem creaturæ rationalis, ceu ad finem non nisi mediatum (§. 267. Ont.), creari a Deo potuit.

* Nondum hic locus definiendi est, in quo demum beatitudo illa consistat, cuius, ceu finis caussa, creaturæ rationales a Deo creatæ sunt; illud tamen in præsens stabiliter, illam actionibus rerum sensibilium, istum mundum conficientium, qua talium, etiam universe sumtarum, immediate obtineri haud posse. Nec opus est hic

opero-

operose ostendere, illam in fruitione voluptatum sensibilium, aut honorum ac dignitatum (quorum divitiæ præcise sunt instrumenta) nec denique in ipsa perfectione scientiæ ac virtutis, quantacunque in huius vitæ statu possibilis est, consistere. Disquisitio huiusmodi diffusior Ethices est propria. Theologiæ Naturalis, cuius est ceterarum omnium scientiarum, ad mores pertinentium, fundamenta iacere, officium completum longius se haud extendit, quam ut generatim ostendatur, beatitudinem illam, cuius caussa creati a Deo sumus, & ad quam consequendam studia nostra omnia oportet collimare, non esse statui vitæ præsentis propriam, sed alteri secuturæ vitæ statui reservatam. Id quod infra sub finem Articuli sequentis facile & sine operosis ambagibus evincemus.

** Ceterum præsentis thesis intellectioni faciliori illud observasse serviet, mundum corporeum animæ humanæ ac rationali ad ideas sensuales obtinendas immediate unice servire; in quibus tamen cum omnis reliquæ humanæ cognitionis semina, etiam de Deo, & omnis boni ratione, insint, ut tum ex ipsa demonstratione Dei a posteriori, tamen dictis in Log. P. I. Sect. II. Cap. II. Art. II. III. & IV. patet; cumque non nisi summi boni distincta cognitione & amore, i. e. vera voluptate qua tali, vera felicitas & beatitudo creaturæ rationalis constare queat (§. 84.); patet, quantum mundus sensibilis creaturæ rationali ad distinctam cognitionem rerum servit, tantundem illi ad felicitatem medium esse. Atqui ad illam non servit nisi mediate; cum omnis sensitiva cognitio magnopere confusa sit. Ergo nec ad beatitudinem, nisi ut medium remotum ad finem mediatum, servit.

§. 100.

Beatitudo divina, absolute summa (§. 86. I.) *nulli creaturæ rationali ex integro communicari potest.* Est enim illa talis, qua nulla maior in ente, etiam infinito, possibilis est (§. 84.) adeoque infinita, &

 consi-

consistens in voluptate infinita, & per essentiam Dei immutabili (§. 58. IV.). Atqui creatura rationalis quaecunque, ceu finita, infinitae voluptatis capax non est.

§. 101.

Creatura rationalis non nisi similitudine & participatione quadam finita felicitatis divinae absolute summae & infinitae vere felix & beata esse potest. Beatitudo enim Dei absolute summa & infinita necessario omnes veri boni & verae voluptatis rationes possibiles complectitur; quippe quae per hoc ipsum verae sunt, quod absolute summae, ceu bona minora, per se non absolute opponantur (§. 198. Psych.). Itaque nulla felicitas ac beatitudo creaturae rationalis eatenus vera esse potest, quatenus defectu quodam suo summae beatitudini divinae contradicit, & ab ea differt, sed praecise quaelibet eatenus vera est, quatenus rationes reales boni, i. e. intuitus perfectionis ac voluptates, similes ac ratione easdem cum beatitudine & felicitate divina complectitur (§. 129. Ont.). Nihilominus, quia beatitudinis divinae, absolute summae & infinitae, nulla creatura ex integro capax est (§. praec.): idcirco non nisi finita participatio & similitudo illius in ista locum habet; eademque erit vel beatitudo simpliciter talis, vel etiam respective summa in creatura rationali, quatenus in hac, vel iam in praesens ob certas circumstantias iam non amplius mutabiles (licet de se a necessitate absoluta antecedente immunes) vel absolute, maior alia beatitudo possibilis non est (§. 198. Psych. & hic §. 84.)

§. 102.

Deus infinite beatus est cognitione adaequata & distinctissimo intuitu perfectionis suae infinitae, huius magnitudini infinitae & toti cognoscibilitati commensurato. Felici-

Felicitas enim omnis & beatitudo in ſtatu conſiſtit, quo vera voluptas perdurat (§. 84.); voluptas autem infinita, qua Deus gaudet, non niſi in conſcientia infinite perfecta, directa, & reflexa, illius infinitæ perfectæ ideæ omnium poſſibilium conſiſtit, quæ ipſam Dei perfectionem infinitam conſtituit (§§. 63. III. IV. V. 65. II. 68.). Conſcientia porro infinite perfecta non poteſt non eſſe obiecti ſui cognoſcibilitati plene commenſurata.

§. 103.

Itaque nec creatura rationalis vere beata eſſe poteſt niſi per conſtantem facilem, & ininpeditum, eumque, quam fieri poteſt, & illa capax eſt, maxime diſtinctum & completum divinæ perfectionis intuitum, &, qui ex eo naſcitur, complacentiæ amorem. Beata enim illa vere haud eſſe poteſt niſi ſimilitudine & participatione quadam finita infinitæ beatitudinis divinæ (§. 101.). Atqui beatitudo Dei infinita non niſi in intuitu infinito ipſius perfectionis Dei infinitæ conſiſtit (§. præc.). Ergo nec creatura rationalis niſi in ſimili intuitu beata eſſe poteſt, eoque tam diſtincto & completo, quo ſaltem in præſens perfectior amplius non ſit poſſibilis (§. 84.). Et cum omnis vera felicitas conſtantiam ſtatus ſui importet (§.cit.) nec conſtans eſſe voluptas queat, ubi veri boni intuitus impedimentis frequentibus abrumpitur, & difficultatibus turbatur: idcirco non niſi in conſtante, facili, & inimpedito, eoque ſimul maxime completo divinæ perfectionis intuitu acquieſcere creatura rationalis poteſt. 2. Porro cum omnis appetitus natura ſua in bonum purum qua tale feratur, i. e. in conatum erumpat voluptatem, ſeu intuitum talis boni continuandi, quo actu iam ſibi in eo complacere cœpit (§. 232. ſeqq. Pſych.); idcirco a cognitione diſtincta & iam actu præſente divinæ infinitæ ac puriſſimæ perfectionis conatus eiusmodi,

 ſive

ſive amor complacentiæ (§. 242. Pſych.) abeſſe non poterit.

* Non hic diſputo, utrum amor is complacentiæ illius beatitudinis eſſentiam, vel ſolum attributum, conficiat. Hoc unum volo, a præſente intuitu beatifico illum abeſſe non poſſe.

§. 104.

Judicium certum, quo ab aliis eximie bona iudicantur, quæ nobis ineſſe certo cognoſcuntur, *gloria* noſtra dicitur. Unde *gloria Dei* eſt diſtincta & certa cognitio perfectionis Dei qua talis. Is proin *Dei gloriam promovere* dicitur, qui ratio ſufficiens eſt, cur Dei cognitio in ſe vel aliis diſtinctior, certior, & completior evadat. Gloriæ *ignominia* opponitur.

* *Gloriam*, quæ motivum vel ſtimulus eſt affectus, qui *gloriatio* ſui ipſius a Cicerone dicitur, ſeu cupido gloriæ, non vero ipſum hunc affectum definire iſthic animus mihi eſt. Tum vero æquum non videtur definitionem exemplo Wolfii (Pſych. Empir. §. 769.) repetere etiam a bono aliorum iudicio *de factis noſtris;* quippe quod aliter nobis haud ad gloriam cedit, niſi quatenus iudicium bonum de nobis ipſis eorum auctoribus, atque de iis, quæ inſunt nobis, ex eo natura conſequitur.

** Porro ut gloriam noſtram alienum de rebus noſtris iudicium conficiat, duplex certitudo in eodem requiritur, nempe & quod talia nobis inſint, & quod eadem eximie bona ſint. Certe quamdiu de alterutro dubitatur, gloriæ nobis verti tale ambiguum iudicium non ſolet.

§. 105.

I. *Felicitas ac beatitudo vera creaturæ rationalis in eo ipſo conſiſtit ut perfectam gloriam Deo reddat, ex creatione ſua, nec illa felicitas a Dei gloria ullatenus diſtinguitur, & eodem gradu utraque creſcit, & minuitur.*

Utra-

Utraque enim in certa Dei cognitione & amore complacentiæ consistit, qua eximie bona esse cognoscuntur, & amantur quæ Deo insunt (§§. 103. & præc.), & pro gradu distinctionis & completionis huic cognitioni & amori propriæ ex æquo crescit, aut minuitur.

§. 106.

II. *Quælibet creatura rationalis secundum essentiam suam spectata medium est a priori connexum respectu gloriæ Dei iuxta ac beatitudinis propriæ instar finis consequendæ.* Rationem enim tam possibilitatis saltem incompletam, ceu subiectum (§§. 206. 213. Ont.), quam existentiæ, omnium cognitionum suarum, ceu actionum immanentium (§. 4. Psych.), atque adeo & cognitionis Dei, in ipsa sua essentia continet; qua cognitione & Dei gloria & ipsius beatitudo absolvitur (§. præc.). Medium ergo est respectu utriusque a priori connexum (§.267.Ont.).

§. 107.

III. *Quælibet creatura rationalis gloriæ Dei & beatitudinis veræ etiam in aliis una secum viventibus creaturis rationalibus promovendæ medium est;* quippe vi facultatis loquendi verbis & factis aptitudinem habens sua sensa de Deo hisce communicandi.

§. 108.

Dei gloria perinde atque ipsa beatitudo vera creaturæ rationalis finis adæquatus creationis est; attamen Dei gloria hic finis est non tanquam aliquod bonum Deum perficiens, sed perficiens ac felicem reddens ipsam creaturam rationalem. Neque enim Deus, ceu sibi ipsi sufficientissimus (§. 86.), perfici porro a bono quodam extrinseco potest: contra ipsissima ac sola Dei gloria id est, quod beatitudinem creaturæ rationalis unice conficiendo istam perficit (§. 105.). 2. *Demum, cum illa beatitudo ac Dei gloria ipsum sum-*

mum hominis bonum sit, quo in præsens maius possibile iam non est (§. 84.), *nec ad Dei bonum ceu ad ulteriorem finem ordinari ut medium queat* (§. 87.); *reipsa finis ultimus est* (§. 267. Ont.).

* Fines ultimos alii alios Deo creanti supposuerunt. *Primo* aliqui Dei gloriam ita pro fine creationis Deo attribuerunt, ut hanc ceu bonum veluti quoddam ipsius Dei spectarent. Nullus finis, aiebant, Deo sat dignus est nisi Deus ipse atque ipsius gloria, quam manifestatione suarum perfectionum obtineat. Deus non amat nisi seipsum: creatura propria ipsi non placet, nisi quatenus ceu ipsius imago viva ad gloriam ipsius servit. Se unum in opere suo quærit. Creat mundum ex studio amoris erga seipsum. Permittit malum; quia hoc occasionem ipsi subministrat exercendi suam iustitiam, & ostendendi potentiam suam severitate castigationis. Hominem facit infirmum, & miseriæ subiectum: quia gloriæ suæ incrementa ex imbecillitate humana trahit. *At vero* sic consideratam Dei gloriam, simulque pro creationis fine propositam, varii acriter impugnarunt post D. Bayle (Reponse aux questions d'un Provincial. Chap. LXXIV.) eo nomine; quod hac ratione Deus proponatur ceu ambitiosus quidam, qui non nisi propriam quærat gloriam; quique minus magnum se haberi crederet, si non nisi bonum & meræ creaturæ felices in mundo existerent; eo quod gravitas vindictæ illius ignoraretur, nec pondus iræ furoris eius sentiretur: qui, antequam quid producat, diversa creationis systemata inter se comparet, alterum meris bonis refertum, alterum mixtum malis: unum horum denique figit illius attentionem, eumque determinat mediante studio gloriæ, quam unice respicit in tota serie eventuum, quam auspicatur. Vult esse magnus & quidem magnus infinite per bona, quæ procuraturus ipse est creaturis suis, & infinite magnus per bonum, quod istæ operabuntur, quodque ipse remuneraturus est: vult esse infinite magnus per malum,

quod

quod permittet ab eis fieri, infinite magnus earum multis condonando illius admissi veniam; demum infinite magnus per castigationem & vindictam, quam de plurimis earum æternam sumet. Quam absurda hæc magnitudo, inquiunt, & indigna Deo, qui se ipso plenissime beatus, magnus, & infinite perfectus, se ipsum intuendo intime & adæquata cognitione exhauriendo, gloria interna potitur infinita, cui nihil addi æque ac detrahi, usquam possit. Enimvero glorificare Deum quidem officium creaturæ rationalis est, at non dignus Deo creatore finis. Quantum in argumento istiusmodi clare solvendo desudarint antiquiores Theologi, & qua varietate sententiarum, leges apud Suarium in Metaph. Disp. XXIII. Sect. IX. & clarius adhuc apud Vasquium in I. D. Thomæ Disp. LXXXII. Cap. 2. item apud P. Joan. Bapt. Gener S. J. Tom. II. P. I. Tract. I. L. III. C. I. num. 380. Recentiores Theologi vulgo contenti sunt dicere, gloriam extrinsecam Deo creandi finem esse non *utilitatis*, sed *æquitatis*, *decentiæ*, *excellentiæ*. At operæ pretium est istas voces ad distinctas hodiernæ Metaphysicæ notiones accuratius expendere, ne cum finis omnes actionum ceterarum regulas determinet (§. 304. Ont.), siqua circa finem creationis obscuritas relinqueretur, eadem in omnem divinæ istius actionis œconomiam explicandam deinceps refunderetur.

** Notandum itaque 1. *evidens esse, & a nemine una sapientum negari, Deum vere ex amore benevolentiæ erga creaturas rationales motum creasse universum hoc* (§§. 92. 99.). Hoc principio indubitato semel stabilito (§. 92.), advertere iuvat ad id, quod in Psychol. §. 256. iam ostensum est, videlicet omnem amorem benevolentiæ erga personam quamcunque geminum amorem prævium complacentiæ, a quo is proficiscatur, supponere, unum, quo amanti benevolo placeat bonum, quod vult amato, & alterum, quo placeat ipsa persona, cui vult bonum. *Ut* ergo *Deus creaturis rationalibus velit beatitudinem, in ipsa sui glorifica-*

tione positam, & hanc prius amore complacentiæ amare debet, & ipsas creaturas rationales. 2. At quænam ratio finalis motiva huius amoris complacentiæ utriusque, & quidem adæquata? An etiam cognita a Deo bonitas creaturæ? An sola bonitas Dei absoluta? si posterius; ergo perinde placebit infelicitas reproborum. Quodsi hoc evidenter absurdum, *necesse est, ut ratio illa motiva adæquata utriusque amoris complacentiæ sit tam bonitas Dei absoluta, quam bonitatis creatæ, etiam contingentis* (i. e. moralis ac liberæ), *cognitio*, i. e. revera consensus bonitatis creatæ cum bonitate Dei absoluta, qui, ceu relatio similitudinis, utramque bonitatem, creatam & increatam, involvit (§§. 125. 129. Ont.); ita tamen, ut bonitas absoluta Dei sit ratio prior, cur etiam placeat creata, non autem hæc sit ratio prior, cur amet increatam. Item bonitas creata movebit Deum, non physice, sed logice, qui i. e. eo modo, quo est ratio mere obiectiva scientiæ Dei, id quod infra a §. 346. declaratur, quomodo sine dependentia divinæ scientiæ contingat. Unde *bonitas Dei absoluta est quidem ratio motiva ultima, sed non ratio adæquata motiva, utriusque amoris complacentiæ prædictæ.* Vide infra §. 489., quomodo hoc sine ulla dependentia divinæ voluntatis ab obiectis volitis contingat. 3. Porro *amor iste geminus complacentiæ*, pro ratione finali ultima habens Dei bonitatem absolutam, *sterilis prorsus erit, nec desiderium existentiæ utriusque boni placentis in Deo determinabit, nisi præter Dei bonitatem absolutam infinitam in Deo alia perfectio existat, bonitas nempe respectiva pariter infinita*, i. e. summa promtitudo & facilitas voluntatis ad volendum bonum summum possibile creaturis rationalibus. Cum enim bonitas Dei absoluta & absolute summa beatitudo per se ipsam & sola illa cognitione & complacentia de bono creato adhuc ut mere possibili iam ita completa sit, ut nec ipsa crescere, nec delectationis incrementum ex præsente existentia illius capere ipsa usquam possit, *sibi Deus illud velle*, id est, *amore concupiscentiæ* appetere eius existentiam *non potest*; cum

bonum

bonum nullum creatum respectiva bonitate respectu Dei, sibimet sufficientissimi (§. 86.), i. e. nulla capacitate, ut ametur amore concupiscentiæ a Deo, pollere queat. 4. Itaque *Deus neque ambitione ducitur ad gloriam suam ex creatione*, ceu finem, *sibi procurandam*, *neque huius cupiditate motus mala permittit*, uti D. Bayle cum aliis suæ farinæ obiectabat. 5. Quoniam porro, etsi Deus sit etiam respective bonus infinite, etsi quoque tam in beatitudine creaturæ rationalis, quam in ipsa creatura rationali, ceu bonis possibilibus sui similitudine præstantibus, sibi amore complacentiæ complaceat, taman nec amore benevolentiæ seu existentiam simpliciter, seu beatitudinem, efficaci desiderio velle creaturæ rationali Deus potest, nisi relate ad creaturam rationalem utilitatem inesse in bono, quod huic ex benevolentia velit, actu cognoscat: idcirco *amoris benevolentiæ, quo Deus actu efficaciter vult existentiam & beatitudinem creaturæ alicuius rationalis*, *motivum seu ratio formalis haud dubie etiam est ipsa utilitas boni voliti, i. e. consensus cum bono absoluto sive essentiali eiusdem creaturæ rationalis; sic tamen, ut rursus ratio motiva ultima sit ipsa bonitas respectiva*, qua nimirum universe est infinite promtus & paratus ad quodvis verum bonum creaturæ rationali, quantum est in se, efficaciter volendum. 6. Ex his sequitur aperte, *Deum omnia creasse & voluisse creare ad extra propter semetipsum*, convenienter illi, quod Proverb. 6. dicitur: *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, nimirum propter bonitatem suam absolutam & respectivam, ceu rationes ultimas. Nisi enim præcederet in Deo natura amor complacentiæ de bono creato, amor benevolentiæ non haberet locum (per n. 1. hic): atqui amoris complacentiæ ratio motiva finalis est Dei bonitas absoluta (per n. 2. hic), amoris vero benevolentiæ ratio finalis est bonitas Dei respectiva (per n. 5.): ergo &c. Hunc ipsum in finem citant Theologi cum S. Thoma apud Suarium & Vasquium loc. cit. ex lib. de divin. nomin., qui S. Dionysio adscribitur, ex c. 4. illa verba: *divinus*

amor

amor non dimisit Deum esse sine germine; & illa ex Boëthii lib. III. de consolat. pros. 3. *insitam bonitatem livore carentem pepulisse Deum, ut res externas operaretur.* 7. Quoniam tamen divina bonitas absoluta non est ratio motiva tam adæquata, ut non etiam bonitas creata sit ratio motiva partialis (per n. 2. & 5.); idcirco *recte in rationes motivas creatas præterea inquirimus, cur Deus hunc potius quam alium mundum crearit; maleque pro istius rei ratione ADÆQUATA sola Dei voluntas allegaretur.* Isthuc quidem ipse S, Thomas in Summa adv. gent. c. 86. & 87. apertissime affirmat, addens, secus Dei Sapientiam ex finibus ceteris & sapientissimis omnia ordinantem defendi non posse. 8. Porro cum non nisi amore complacentiæ & benevolentiæ Deus ferri ad creationem mundi alicuius possit (n. 1.); idcirco, *sicuti bona in mundo aliquo prævisa Deo sunt PARTIALIS ratio motiva impellens, ut creare illum velit, sic necesse est, ut prævisa in eodem mala sint eidem partialis ratio motiva absterrens, quo minus creare eundem velit.* 9. Itaque *prævisa mala in hoc mundo Deus non voluit, nec amore complacentiæ, nec benevolentiæ, ne quidem ceu media gloriæ suæ & ex huius ambitione* (quippe cum ipse eorum non sit auctor efficiens, ut suo loco ostendetur), *sed potius pro motivo absterrente habuit; etsi demum* gloriæ suæ & beatitudinis electorum intuitu, ceu ob motivum, quod potiore habebat loco, *permiserit;* i. e. ab eis se non absterreri a creando mundo & promovendo efficaciter eiusdem fine, quæ gloria ipsius & electorum beatitudo est, passus fuerit. 10. *Certum* ergo *est, gloriam sui & creaturæ rationalis beatitudinem esse FINES ULTIMOS a Deo volitos, imo & RATIONES MOTIVAS volendi easdem, at non ULTIMAS. Primum* ex eo evidens est, quod omnia cetera, & ipsas etiam creaturas rationales, secundum substantiam spectatas, ad illos fines *efficiendos* ordinarit (§. 106.), gloriam autem suam & creaturæ rationalis beatitudinem non ordinarit ad alium porro terminum, ceu finem *ulteriorem efficiendum: finis* enim proprie non est, nisi

nisi ad quem efficiendum caussa efficiens intellectualis tendit (§. 267. Ont.), *Alterum* iam supra n. 2. & 5. ostensum est. Unde 11. distinguendus est *finis, qui* simpliciter ceu ultimus volitus est, ab eo, qui dicitur *finis, cui*, seu cuius bono, seu utilitati, finis aliquis ultimus volitus est. Finis enim, qui ultimus volitus est, est finis efficiendus, & proprie talis. At finis, cui, seu cuius bono, finis aliquis volitus est, non est finis ultimus efficiendus per id, quod ipsius bono efficiendum intenditur, sed solum est persona, quæ se passive habet ceu subiectum recipiens bonum, quod ut finis qui ultimus efficiendum intenditur. Ex quo *evidens est, Deum non esse finem, cui, seu cuius bono. Deus vult creare mundum, sed solam creaturam rationalem:* atque adeo, *cum Deus creando gloriam suam intendit, hanc Deo non esse finem ceu utilem sibimet, sed ceu creaturæ rationali utilem.* 12. Vides ergo, Deo sui gloriam, nec ut bonum sibi delectabile (hic supra n. 3.), nec ut bonum sibimet utile, finem ultimum volitum esse, ceu ex hoc motivo creatione efficiendum. Superest ergo ut *gloria sua Deo finis ultimus volitus sit sub ratione boni honesti, seu decentis Deum, quem ceu finem ultimum creando efficere velit.* At quomodo? Quia hic solus finis similitudinem creaturæ rationalis cum Dei bonitate absoluta, seu consensum boni creati cum increato, conficit, atque adeo in hoc solo bono finali volito & effecto Deus amore complacentiæ sibi complacere potest, eumque solum amore benevolentiæ velle rationali creaturæ Deum deceat; eo quod non nisi volitio similitudinis suæ consentiat cum voluntate Dei essentiali, qua infinite gaudet sua essentiali infinita perfectione (§. 69. & infra §. 108.); imo quod etiam hæc sola volitio ceu boni creati omnium possibilium maximi consentiat cum bonitate Dei respective summa pariter infinita. Vides ergo, quo sensu Theologi recentiores dicant, gloriam Deo finem esse *decentiæ, æquitatis*, excellentiæ. 13. Vides item, *quo sensu* aliquando etiam ipse *Deus dicatur*, non modo ratio finalis voluntatis suæ propriæ, qua creare mun-

mundum voluit, ſed etiam *finis ipſe ultimus creationis, & omnis creaturæ;* nimirum non utique ut efficiendus ipſe ab hac, ceu medio, ſed ut in ſui ſimilitudine, i. e. in beatifica ſui per creaturam rationalem glorificatione, ab hac æternum poſſidendus. Item eſt finis ultimus obiectivus, non ſuæ voluntatis, ſed intellectus & voluntatis creaturarum; niſi in quantum vult, ut ipſe ſit talis finis obiectivus creaturarum. Vide S. Thomam 3. de potent. art. 15. ad 14. & Suarium in Metaph. Diſp. XXIV. Sect. I. verſus finem. Atque iſthuc illud Apoc. XXIII. 13. haud dubie collimat, cum Deus de ſe ipſo affirmat: *ego ſum alpha & omega: principium & finis.* 14. Denique illud quoque iam anticipato adnotes velim perattente, nimirum, etſi bonitas ipſa Dei abſoluta & reſpectiva dicantur eſſe ratio finalis, cur creare Deus mundum ad ſui gloriam & creaturæ rationalis beatitudinem ceu finem velit, *non tamen inde ſequi, Deum hoc ipſo neceſſario velle creare mundum.* Cum enim Dei bonitas utraque non ſit omnino ratio motiva adæquata, ſed partialis ratio motiva ſit ipſum bonum creatum inſtar finis inde eventurum; ſiquidem bonum iſtud ſit omnino mixtum malis grandibus, nec ſine iſtis ullo pacto obtinendum, mala iſthæc præviſa, ceu motiva totidem abſterrentia (hic n. 8.), libertatem electionis & indifferentiæ in Deo determinabunt, inſuper habita eius infinita bonitate reſpectiva. Hæc ſatis diffuſa explicatio ſemel præmiſſa, non modo ad firmanda ſuperius dicta, ſed & ad intelligenda facilius impoſterum dicenda, plurimum, ut opinor, valebit.

*** At enim notiones diſtinctæ confuſis ſuppoſitæ ſemper peregrinæ videntur inaſſuetis. Unde *urgent* porro hunc in modum. Etſi facile admittatur, gloriam a Deo non potuiſſe intendi ceu bonum ſuum intrinſecum, ſeque perficiens, atque adeo tanquam *finem cui utilitatis;* potuit tamen a Deo intendi tanquam *bonum extrinſecum,* & ut *finem excellentiæ;* qui finis ita videtur Deum decuiſſe, ut alius poſitive dedeceret. Unde illud Scripturæ: *in gloriam*

riam meam feci eum, creavi eum &c. gloriam meam alteri non dabo &c. Neque propterea Deus tanquam ambitiosus proponitur; cum id dicitur intendere, quod supremæ suæ excellentiæ deberi certissime intelligit. *Resp.* Quisquis ita opponit, hunc ergo certissime teneo nihil a meis dictis dissentire, sed confusis formulis idem exprimere, quod ego distinctius explanare satagebam. Ac 1. equidem interrogo: per *bonum extrinsecum* quid intelligis, amice? Mihi hæc vox aliud haud omnino sonat, quam bonum realiter ab eo distinctum, respectu cuius extrinsecum dicitur, i. e. neque ad eius essentialia, nec attributa, nec modificationes substantiæ ipsius compossibiles, pertinens (§. 216. Psych.). Tale enimvero bonum extrinsecum respectu Dei est gloria secundum omnes: at nondum exinde patet, qua ratione illam Deus idcirco ut *suum bonum*, vel ut *sibi bonam*, ullo pacto appetere possit; quia bonum *ut meum*, seu ut mihi bonum, nunquam non tale esse debet, quod aut formaliter per se me intrinsecus perficiat, aut, si extrinsecum sit, caussa efficiens (seu ratio sufficiens existentiæ) respectu boni mei alicuius intrinseci existat (§. 85. Ont.). Quodsi aliud nil velis, quam *gloriam suam* intendi a Deo ut finem ultimum simpliciter, non me habebis adversarium: quia omnino id aliud non dicit, quam Deum nolle, imo nec velle posse, ut creaturæ rationales *in obiecto alio*, quam in ipso, beatitudinem suam collocent. Unde rursus ipsa beatitudo ista Dei gloriam conficit, ac simul bonum est Deum respiciens *ut obiectum*, creaturam vero ut subiectum. Erit quoque eadem *finis excellentiæ*, i. e. qui solus Deum deceat (vide infra §. 180. ubi expono, quid sit, *decere Deum aliquid*) seu, quem creaturis suis velle Deum, unice cum Dei infinita bonitate, tum absoluta, tum respectiva, consonat eo ipso prorsus modo, quo id distincte nota præcedente explicavi n. 11. & 12. Quodsi alio adhuc sensu velis, a Deo intendi *gloriam suam* ut bonum suum, dabo secundo, eam intendi a Deo etiam ceu *sibi debitam* a creaturis. *Meum* enim, *no-*

strum

ſtrum &c. vocamus (§.631.), de quo diſponendi ius ac dominium nobis competit. At iſta gloria Dei non eſt illa, quæ alterius vitæ nobis eventuræ beatitudinem ipſam conficit (quippe quam Deus dabit nobis, non autem nos Deo tanquam debitum ſervitutis tributum reddemus, omnis iam liberi arbitrii expertes) ſed eſt ea gloria, quam in hac præſente vita Deo libero obſequio tenemur, ceu verum debitum, exhibere, ac ſimul eadem ceu medio veram illam beatitudinem alterius vitæ propriam ceu præmium finis ultimi loco propoſitum promereri. Interea nec iſtam gloriam ſibi a nobis debitam in hac vita Deus appetit *ut bonum ſuum,* ſed ut bonam nobis. Multum enim differunt inter ſe, intendi a Deo gloriam *ut ſibi a nobis debitam,* & intendi eam *ut ſibi bonam.* Enimvero *gloria Deo a nobis debetur* (uti oſtendo infra §§. 712. 729. 713. 730. 731.) *primo* quia Deus eſt tum ſumme dignus eadem ſecundum ſe, tum optime de nobis meritus, atque inſuper ſumma eius rei præmia nobis offert pro vita ventura altera; id quod parit inprimis ſummum decentiæ officium & obligationem imperfectam (§§. 667. 680.). *Secundo* quia pro iure ſupremi dominii intentata refractariis pœna æterna nobis neceſſitatem quamdam inſignem moralem imponit cum in hac vita obſequio libero glorificandi, & ea ratione promerendi beatitudinem vitæ alterius (§.656.); id quod parit obligationem perfectam & officium ſtricte debitum (§§. 667. 680.). Attamen poſt hæc omnia QUÆSTIO ſupereſt; ex quanam ratione motiva Deus hoc tantum debitum in hac vita imponat nobis? An ut gloriam iſtam ceu magnum aliquod *bonum ſuum* denique extorqueat? Enimvero neſcio, an ex iſto principio æternitas pœnarum alterius vitæ a Deo refractariis conſtituta cuiquam perſuaderi veriſimiliter poſſit: nec ſatis video, qua ratione iſtiusmodi ſenſis Dei perfectio ulla commendetur. An forte dominium Dei? At dominium (niſi deſpoticum ſit, quale in Deum cadere haud poteſt §§. 633. 635.) non niſi facultas eſt quid libere agendi ſalva rectitudine morali

(§§. 617.

(§§. 617. 609.). Nisi ergo per præfatum de Deo sentiendi modum rectitudo moralis in modo volendi & agendi divino resplendeat, nec Dei dominium exinde commendabitur. Neque enim Deus uti potest dominio suo nisi secundum consilium sapientiæ suæ (§. 636.), nec nisi ad fines absolute & respective optimos (§. 637.), nec nisi cum summa sanctitate simul & bonitate respectiva erga suas creaturas rationales §. 638.). Taceo, negari a tota schola Scotistarum, tantum abusui nostræ libertatis in hac vita inesse demeritum, cui non nisi pœna æterna respondeat: quî ergo Theistis, non semper satis præcise de Deo sentientibus, æternitatem pœnarum suadebis ex ratiocinio eiusmodi, huic uni principio innixo, quod Deus non possit non ultimo rigore bonum gloriæ suæ a creaturis rationalibus exigere. Nunquid ergo quæstioni supra notæ dignius, magisque commendando divinas perfectiones, respondebimus; si dicamus (quod infra §. 198. usque ad §. 211. reipsa ostensurus sum) Deum eam glorificandi se in hac vita tam gravem obligationem atque debitum nobis imposuisse ceu medium ac motivum unicum moraliter sufficiens ad creaturas liberas satis efficaciter promovendas ad finem creationis illarum ultimum, seu ad eam ipsam beatitudinem, quam meritis liberis & libero erga Deum obsequio promerendam, ceu finem ultimum, bonitate sua unice dignum, ipse illis constituerat, simulque ad probos eodem medio unice sufficiente contra infrænem alias improborum malitiam, illorum saluti gravissime obstituram, defendendos. Vide dicenda a me §§. 168. 170. 199. Profecto sic demum ipsa quoque *Dei Justitia* (cuius est dominio sibi proprio uti ad intentandas iuxta ac irrogandas pœnas improbitati bono publico alias nocituræ §. 734.) apparebit esse merum bonitatis Dei respective & sapientiæ infinitæ attributum, sive utriusque istius perfectionis attemperatio quædam (§. 598.), ac severitas iudicis in Deo non erit nisi bonitas respectiva, boni publici ac melioris

partis civium ſtudioſior quam privati aliquorum turbulentorum & communi bono infeſtorum (§§. 735. 738. 739.). Ex adverſo quam formidandam quidem, at neſcio an ſatis commendandam, notionem adverſa cogitandi methodus ſupponit *Dei Juſtitiæ*, gloriæ ſuæ tributum, ceu bonum quoddam ſuum, ſibi nimis quam pretioſum, extremo æternoque omnibus refractariis intentato ſupplicio vindicantis, unice ex ingenti quoddam innatoque in illam ceu *bonum* quoddam *ſuum* ſtudio. Relege, quæſo, obiectionem a Baylio intentatam, inque prima adnotatione a me relatam. Secundum explicationem a me traditam Dei Juſtitia mera eſt benevolentia communis boni ex æquo præ bono privato ſponte in malitia obfirmatorum ſtudioſa: &, tametſi, qui creſcere adhuc felicitate poteſt, cum pro ſe ius conſiſtit, iuſtus eſſe etiam erga ſe ipſum ſalvo bono communi poſſit (§. 601.); Deus tamen, ceu ſibi ipſe ſufficientiſſimus, & per eſſentiam abſolutiſſime beatus, iuſtus adverſum ſe ipſe nequit eſſe, ſed ſolum adverſus alios (§. 602.). Contra quam ſeverum ius in adverſa opinione Deus ipſe ſibi adminiſtrat vindicando æternis pænis negatam ſibi gloriam, atque iſtud unice ex deſiderio illius tanquam proprii cuiusdam boni ſibi inique ſubtracti, & veluti ad vindicandum dolorem ſibi inde conciliatum. Equidem minime omnium idcirco inficior (nec aſſentior Scoto) improbitatem contemtus excellentiæ divinæ, quæ in ſubtrahendo illo gloriæ tributo a ſervis rebellibus erga Deum admittitur, id genus pœnam prorſus promereri (ipſe enim iſtud aſſero §. 733.): attamen, ſicuti in merito, ita & in demerito, non ſolum perſonam merentis attendendam eſſe exiſtimo, ſed vel maxime etiam perſonam retribuentis mercedem, vel pœnam; ita, ut Deus non tam, quantum nos meremur boni, aut mali, ſed inprimis, quantum deceat ipſum, noſtris bonis, vel malis, meritis retribuere cenſendus ſit. Itaque etiam per me dicet Deus ſapienter, iuſte, ſed & ſimul ſumme benevole erga omnes probos, ceu meliorem ſervorum ſibi ſubditorum partem:

gloriam

gloriam meam alteri non dabo, i. e. ut mihi gloriam reddatis in hac vita, sic omnino volo, ut pœnis etiam æternis intentatis vos urgere non omittam, non quidem proprii cuiusdam boni alicuius, quo ego magnopere indigeam, studio, sed vestro ipsorum communi bono.

**** D. Formey Berolinensis Philosophiæ Professor, scriptis variis celeberrimus, in Epist. *de æternitate pœnarum* pro creationis fine statuit ordinem, quem definit esse conformitatem cum omnibus perfectionibus divinis & & cum idea æterna operationum ipsius Dei. Deus nimirum proponitur omnia creasse in ordine, ex amore ordinis, & secundum ideam ordinis, quam ab æterno conceperat. In rebus physicis cuncta servant ordinem; nisi quod entia moralia influant subinde ad illum perturbandum. Ista ab ordine recedunt abusu libertatis suæ, eaque aberratio creatori occasionem dat exerendi suam sapientiam, misericordiam, & iustitiam; sapientiam quidem electione mediorum, quæ offert, ut redeatur in ordinem: misericordiam in concedenda prævaricationum venia & in efficacia gratiarum ad emendationem non nullorum; iustitiam in puniendo maiore illorum numero; idque totum facit ex amore ordinis, atque eius instaurandi ac propugnandi caussa adversus aggressiones rationalium creaturarum. *Verum* cur in hoc systemate demum Deus abusum libertatis, id est, ordinis ipsius perturbationem, permittit? Certe non amore ipsius ordinis. An ut maiore gloria restituat? Ergo gloria finis erit, propter quem turbari ordinem permittit. Jam autem finis ille primarius est, qui in collisione duorum alterius neglectum determinat (§. 308. Ont.). Non ergo ordo, sed gloria in eo statuendo, propugnando, & restituendo, finis primarius idemque ultimus erit, quem Deus rebus ceteris constituit. *Deinde* amor ordinis, seu complacentia, in ordine tanquam bono aliquo finali necessario acquiescere debet. Quæro ergo; an in eo acquiescat tanquam in bono aliquo ipsius

Dei? an tanquam in bono aliquo creaturæ rationalis? an ut in bono aliquo abſoluto,& neque cum reſpectu ad Deum, neque ad creaturam rationalem? Si iſtud ultimum verum eſt; creatione non erat opus, ut Deus ſimplici amore complacentiæ in hoc bono acquieſceret; quippe ad quem intuitus poſſibilitatis iſtiusmodi ordinis ſufficiebat. Si primum affirmes; obſtant dicta §§. 86. 87. 88. Si denique alterum; ergo præciſe amore benevolentiæ erga creaturam rationalem vult hunc ordinem, ceu medium felicitatis iſtius tanquam finis obtinendæ; quæ mea eſt ſententia a §. 94. huc usque explicata.

***** At enim & ſententiæ huic, quæ bonum creaturæ rationalis ſtatuit pro fine ultimo rerum omnium creatarum, Deumque proponit amore benevolentiæ motum exerere omnipotentiæ ſuæ vim in creando hoc mundo, varia opponuntur, atque præ aliis ſequentia. 1. Si bonum creaturæ rationalis unice ſibi propoſitum Deus ut finem ultimum habuit in creatione; cur malis nos obſideri undique permittit? An potuit nos liberare a malis omnibus, nec tamen voluit? ergo bonitas eius ita finita eſt erga nos, ut ſimul maiora nobis invideat bona. An voluit quidem, ſed non potuit? ergo potentia in illo deficit. An demum nec voluit, nec potuit? Ergo bonitas æque ac potentia imperfectioni in Deo ſubiecta eſt. Ita Epicurei vulgo argutantur. 2. Si unice bonitatis impulſu ad creandum vim ſuam infinitam Deus exeruit; cur libertatis abuſu in extremam non huius modo vitæ, ſed etiam alterius venturæ æternam, ut vulgo creditur, prolabi infelicitatem longe plurimos permittit? 3. His argumentis aliud de ſua penu adiungit argutus ille auctor operis de la Nature, ſæpius iam a me allegatus, P. V. Cap. 71. & 76. Tam agere ex fine aliquo inquit, quam adhibere media extranea ad finem talem conſequendum, utrumque ex æquo præſens imbecillitatis & imperfectionis argumentum eſt, quæ in homine quidem atque in ente finito

cum

eum sapientia, ceu virtute item vi ipsius conceptus sui formalis limitata, stare omnino possunt, attamen Deo ceu enti infinite perfecto affingi non possunt. *Probat* auctor ille assertum suum inprimis *de actione ex fine.* Actio ex fine nascitur ex desiderio eorum bonorum, quae nobis adhuc desunt ad plenam felicitatem. Sic certe ex desiderio virtutis, scientiae, bonorum fortunae &c. ad agendum stimulamur, bonorum istorum tanquam finium obtinendorum caussa. *Probat* idem *de mediorum extraneorum usu* ad obtinendum finem. Qui omnia potest efficere per se ipsum, is de mediis extraneis applicandis non cogitat; quae non nisi impotentiam illius produnt, qui illa adhibet. Usus, quem de illis facit, eodem tempore, quo dexteritatem in illorum applicatione, & in delectu prudentiam suam, ostentat, propriae simul imbecillitatis confessio est. Certe omnipotentia Dei potestasque summe independens cavillationi exponitur, si successus operum ipsius electioni mediorum subordinatur. Media entibus natura imperfectis serviunt ad supplendas eorum facultates, quae absque illis forent incompletae. Si Deus agit, agit immediate per se ipsum.

****** Hem tibi bene multa argumenta, quae bonitati divinae in creationis negotio opponuntur, & quorum explicatio, ut ex decursu huius totius Capitis patebit, satis prolixam ratiociniorum seriem requirit. Isthic synopsin praemittere sufficiet, uberius deinceps exponendam. *Ad tertium argumentum* primo omnium *respondere* iuvat; quippe ex quo reliquorum solutio pendet. *Distingui* omnino oportet *inter bona, quae finium habent rationem.* Siquod bonum, quod agenti bonum est, atque statum ipsiusmet perficit, finis loco agenti propositum est, ipsa actione consequendi; tum enimvero talis boni caussa & ex eo fine agere nota imperfectionis & defectus plenae felicitatis iudicium in agente est. At si agat ex intentione boni tanquam finis, quod non ipsi agenti, sed alteri praecise bonum est, nec nisi ad istius felicitatem procurandam servit; istud

non defectum in agente, sed abundantiam felicitatis in alios quoque derivandæ, & virtutis æque ac bonitatis ubertatem indicat. Argumentum itaque potius ſententiam a me propoſitam confirmat, quam concutit. *Quod vero uſum mediorum extraneorum attinet*, oſtendam ipſe ſuo loco, nullam creaturam rationalem, etiam mediis ſubſtantialibus quibuscunque extraneis & a Deo diſtinctis adiutam, finem illum veræ beatitatis, cuius unius cauſſa creata a Deo eſt, conſequi reipſa tanquam ex virtute efficiente completa poſſe; ſed omnino neceſſe eſſe, ut Deus immediate manum applicet, & omnipotentiam ſuam ipſe demum in beandis plene creaturis ſuis exerat. Oſtendam vero præterea, ipſum maius creaturæ rationalis bonum, ipſamque completam felicitatem, a Deo immediate tanquam a cauſſa efficiente illi impertiendam, requirere, ut felicitas iſthæc ipſi non ſine ipſius omni opera etiam mere morali, nec ex mera liberalitate a Deo concedatur. Siquidem ipſius creaturæ rationalis felicitas cum maiore iſtius gloria & voluptate coniuncta erit, ſi liberæ ipſius voluntatis, ſaltem ceu cauſſæ moralis, effectus ex parte fuerit. Non ergo Deus præter ipſam creaturam rationalem mundum corporeum ceteraque omnia tanquam media creat, quibus ipſe in agendo, h. e. in conferenda eidem phyſice vera beatitudine utatur; ſed iſthæc omnia præciſe media *creaturæ ſuæ rationali* offert, ut ipſa, ceteroquin ſe ſola non ſibi ſufficiens, hiſce utatur ad hoc, ut libere inſtar *cauſſæ moralis* ad promerendam illam beatitudinem cooperetur; quam *Deus* ceu *cauſſa efficiens* ipſi ſine ullo alterius medii phyſice efficientis adminiculo eſt pro ſua omnipotentia collaturus. Porro libertas ipſa, quæ cauſſalitatis illius moralis unicum principium eſt, qua creaturæ rationalis cooperatio abſolvitur, defectum præſentem ipſius totius beatitatis illius neceſſario importat. Qua enim ratione homo in ea beatitate promerenda libere elaborare poterit, ſi eadem iam prorſus præſente actu potiatur. Præmitti ergo ſtatum felicitatis adhuc expertem,

h. e.

h. e. malorum physicorum fæcundum, oportuit, ut status beatitatis ipsius deinceps ex isto cum maiore creaturæ rationalis gloria & voluptate, tanquam ex libera ipsius cooperatione atque merito, consequeretur. Porro si libertas concedebatur, etiam mala moralia saltem physice erant permittenda. Ne tamen abusus libertatis exinde ita invalesceret, ut a fine pleræque rationales creaturæ omnino deficerent, atque insuper aliis quoque malitia sua essent impedimento, stante mali moralis permissione mere physica inhibitio moralis eiusdem constitutione pœnarum expedienda erat. Pœnæ istæ cum non nisi gravissimæ ad hunc finem sufficerent, si in præsentis vitæ statu mox adversus noxios continuo expedirentur, ita absterrerent, ut ne libertati quidem locum relinquerent. Ergo in alium vitæ statum iuxta atque beatitudo creaturis rationalibus reservandæ erant, &, ne minor iusto mali absentis & non nisi obscure prævisi ad absterrendum stimulus esset, earundem pœnarum æternitas statuenda fuit; quam si nihilominus malum morale ad vitæ finem usque operantes summo infortunio & cum iactura totius felicitatis incurrerent, præter Dei propositum & unice ex propria obstinata ipsarum creaturarum rationalium malitia id eveniret. Deus itaque ut summe bonum se præstaret creaturis rationalibus, plenam felicitatem illis voluit, atque idcirco media ipsis procuravit, queis illam sua item propria morali opera & merito compararent. Hunc in finem omnia disposuit, tum quæ egit ipse immediate creando, tum quæ permisit physice, atque insuper media omnia expedivit, ut mala moralia, ceu unicum ipsius finis, i. e. felicitatis, impedimentum mediis congruis moralibus impediret. Hem tibi synopsin demonstrationum, quæ sequentibus articulis ordine sunt connectendæ. Ista porro haud dubie uberiorem porro requirunt explanationem, eaque est argumenti gravitas & momentum, ut, cum paucis pro dignitate non possit, pluribus etiam expendi, & longiore evolvi meditatione omnino mereatur vel ex eo titulo, quod pri-

ma totius religionis capita iſtius argumenti dignæ pertractationi unice innitantur. Si longior non nemini videbor, argumenti gravitatem iuſto minus penſanti, is advertat, principia non modo totius Ethices, ſed & Juris Naturalis & Theologiæ ſupernaturalis iſthic ſtabiliri; ſimul vero legere non pigeat, quæ iuſtis voluminibus non unis a Wolfio, ab Anglis compluribus, & ab Atheiſtis præſertim, in hac materia effuſa in lucem cum tanto religionis detrimento huc usque fuerunt, & in dies de novo effunduntur.

ARTICULUS II.

DE NATURA & ORIGINE MALORUM IN MUNDO HOC, & PRÆSENTIS VITÆ STATU: UBI INPRIMIS RATIO OMNIS BONITATIS & MALITIÆ MORALIS DISTINCTE EVOLVITUR.

§. 109.

Bonum metaphyſicum iam §. 83. Ont. & rurſum §. 196. Pſychol. definivi eſſe, quidquid in ente vel quavis re, & quatenus, reale, poſitivum, & ſecundum ſe cognoſcibile eſt; *malum metaphyſicum* contra, quidquid, & quatenus, non ens, negativum quid, & in ſe propriæ cognoſcibilitatis expers eſt, ſive defectus quiscunque.

§. 110.

Utrumque, tam bonum, quam malum metaphyſicum, vel ad eſſentiam rerum ſpectat, & *bonum, ac malum eſſentiale*, vel ad accidentia, ſeu modificationes, & *bonum, ac malum accidentale*, vocatur.

§. 111.

Bonum iuxta ac malum accidentale, ſi actu inſit enti cuiuscunque, quin a libero arbitrio immediate dependeat eius entis, cui ineſt, *bonum & malum*

malum physicum dicitur; *bonum & malum morale* vero, si liberæ voluntatis ipsius entis, cui inest, immediatus est effectus. Porro etiam bonum & malum physicum, si liberæ voluntatis mediatus effectus sit, e. g. vulnus hosti libera voluntate inflictum, *effectus moraliter bonus, vel malus* item appellatur, sive *effectus boni, vel mali moralis.*

* *Bonum physicum iuxta ac morale qua tale existentiam tum entis, cui insunt, tum sui ipsorum involvunt*, non item metaphysicum qua tale, seu essentiale, seu accidentale illud sit.

** Ne mireris, lector amice! notiones istas a Wolfianis passim deflectere. Arbitror, id gravi fundamento non carere. Definit Wolfius *primo* bonum & malum in genere sic, ut perfectionis notionem notione boni priorem supponat. Ast indicavi pridem (§. 203. not. Psych.), præpostere id fieri. *Deinde* idem auctor bonum & malum essentiale reipsa vocat metaphysicum. At bonitas metaphysica, ceu ad notiones summe genericas & simplicissimas entis in genere pertinens, bonum essentiale & accidentale, ceu species, ex æquo complectitur. Denique clariores Wolfianis definitiones istæ sunt visæ, ceu obviis facile exemplis illustrandæ. Sic facultas intelligendi, determinationibus essentialibus humanæ animæ contenta, *bonum essentiale* istius respectu est, eiusdem facultatis essentialis limitatio econtra *malum essentiale* mere metaphysicum videlicet per §. 109.) in eadem constituit. Error intellectus non liber *malum physicum*, veritatis clara cognitio *bonum physicum* est. Electio libera veri boni *bonum morale*, ex adverso electio libera boni mere apparentis, seu veri mali (§. 202. Psych.) *malum morale* est.

*** Omnium istorum malorum natura & origo isthic prius penitus inspicienda est, una cum eorundem nexu cum futuris aliis bonis & malis, quæ creaturas rationales, istius mundi inquilinos, expectant, ut inde de boni-

ſtate eiusdem mundi, quemadmodum & de neceſſitate vel contingentia, qua a Deo erga creaturas illas rationales perfecte benevolo (§. 92.) produci debeat, vel non debeat, certi quidquam ſtatui demum queat. Praeterea argumentum hoc etiam nomine graviſſimum eſt, quod ab eius diſtincta evolutione divinae bonitatis, ſapientiae, & providentiae, uberior vindicatio deinceps pendeat, circa quas Dei amabiliſſimas perfectiones, praecipue ob argumenti iſtius difficultatem, tot Atheorum ingenium, velut ad celebrem quemdam ruinis ſcopulum, impegit.

§. 112.

Malum morale rurſus ſubdividitur in mere negativum, & in poſitivum. *Malum morale mere negativum* eſt, quod bono morali nondum exiſtenti ſolum contradictorie opponitur; uti e. g. omiſſio libera boni veri (§. 198. Pſych.); quin ex ea iactura aut corruptio boni alicuius iam praevie exiſtentis conſecutura praevideatur; quaeque oriatur praeciſe difficultatem, in efficiendo tali bono occurrentem. *Malum morale poſitivum* eſt, quod bono morali iam exiſtenti contrarie opponitur (§. 138. Ont.); uti e. g. volitio libera mali veri praevie non exiſtentis, aut omiſſio boni veri, ex qua iactura & corruptio boni veri praevie iam exiſtentis ſecutura praevidetur.

* Sic omiſſio libera maioris ſtudii in cognoſcenda perfectius infinita perfectione Dei, aut in exercitio amoris eiusdem, per ſe loquendo *malum morale mere negativum* eſt: contra odium liberum Dei ob mala phyſica in mundo permiſſa, aut neglectus liber medii neceſſarii ad conſervandam vitam, ſunt *malum morale poſitivum.*

** Non aliam iſthic quidem adhuc rationem *mali moralis* conſideramus, niſi quae actionibus noſtris liberis ratione determinationum ſuarum intrinſecarum ineſt, & ratione cuius in ratione mali potius cum imperfectione noſtrae

stræ essentiæ, quam in ratione boni cum perfectione eiusdem consentiunt, nondum vero ad eam malitiam respicimus, quam ratione præcepti positivi etiam omissiones liberæ actuum bonorum necessario præceptorum acquirunt.

§. 113.

Malum essentiale est absolute necessarium, & a nullo mundo possibili, utcunque perfecto, penitus abesse potest. Essentiis enim rerum finitarum inest (§. 110.), quæ absolute necessariæ & immutabiles sunt. Jam vero mundus omnis possibilis secundum essentiam ex substantiis simplicibus finitis componitur, atque adeo nullus malo essentiali prorsus carere potest.

§. 114.

Malum essentiale cuique mundo singillatim proprium ne miraculo quidem ab eo tolli, aut impediri, a Deo potest. Absolute enim necessarium est in quovis mundo malum essentiæ ipsius proprium, adeoque ipsius sublatio absolute impossibilis (§§. 96. 38. Ont.). Jam vero quod absolute impossibile, id ne miraculo quidem obtineri potest (§. 295. Cosm.).

§. 115.

Malum essentiale tamen maius in uno quam in altero mundo possibili inesse potest, Possunt enim substantiæ simplices finitæ, ex quibus mundus componitur (saltem animæ rationales videlicet per §. 414. Psych.), esse secundum essentiam perfectiores aliis, & potest ipse modus compositionis in uno quam in alio mundo esse ob diversam perfectionem ordinis magis vel minus completi (§. 316. Ont,) perfectior, aut minus perfectus. Jam vero ex qualitate substantiarum simplicium componentium, & ex modo compositionis essentia (atque adeo & bonitas & imperfectio essentialis) entis compositi (§. 291. Ont.), quale est mundus omnis, coalescit. Essentialis ergo

go perfectio & imperfectio in uno quam in alio mundo maior esse potest, ac minor, adeoque & malum ac bonum essentiale; ex cuius consensu perfectio & imperfectio omnis nascitur (§. 203. Psych.).

§. 116.

Mala essentialia in quolibet mundo existentia non sunt a Deo tanquam a caussa efficiente. More enim omnis mali metaphysici in meris negationibus, & quidem essentiarum finitarum substantiam determinantibus, consistunt (§§. 109. 110.), Jam vero quod in quavis re realitatis rationem habet, illud utique ratione sufficiente positiva suæ existentiæ opus habet, ut existat actu; &, si istam in ipsa essentia propria non contineat, ab alia re ceu a caussa efficiente (§§. 204. 205. Ont.), repetere illam debet. Quod autem meri defectus, seu negationis, rationem habet, illud sola deficiente ratione sufficiente existentiæ realitatis oppositæ hoc ipso modo sibi proprio, i. e. non existendo, existit, nec caussam efficientem habet. Atqui mala essentialia meri defectus seu negationis rationem habent: ergo caussam vere efficientem non habent ullam, adeoque nec a Deo tanquam a caussa efficiente sunt.

§. 117.

Omnia mala physica qua talia, quæ nec mediate libera sunt (§. 111.), *ex malo essentiali, i. e. ex imperfectione absoluta essentiæ substantiarum, tanquam ex ratione negativa, ad existentiam in quovis mundo determinantur.* Quatenus enim mala accidentalia sunt, eatenus defectu metaphysico constant. Defectus autem accidentalis in substantia actu existente inest, non quod ratio *possibilitatis* substantialis pro reali accidente opposito deficiat (§. 52. V. Ont.), sed quod ratio *existentiæ* sufficiens pro accidente reali eidem opposito desit, i. e. ob defectum caussæ efficientis

pro

pro isto (§§. 204. 205. Ont.). Porro vis caussæ efficientis ad ipsas essentias substantiarum simplicium pertinet (§. 51. Cosmol.). Ubi ergo mala accidentalia in vi, seu facultate, libera rationem existendi nullam habent, i. e. cum nec mediate libera sunt, in defectibus virium efficientium essentialium, i. e. in malo essentiali, rationem negativam existendi, qua talia nimirum habent.

Aliter. Cum in omni casu existentis mali physici naturalis (§. 111.), hoc ipso, quod accidentale malum sit (§. 110.), non desit capacitas subiecti absoluta (seu compossibilitas substantialis) ad bonum oppositum; quodvis malum physicum necessario vel *ex defectu virtutis activæ*, vel ex incapacitate accidentali subiecti, cui inest (§. 246. Ont.), i. e. *ex impedimento* quodam *accidentali* (§. 247. Ont.), vel demum *ex defectu applicationis caussæ efficientis ad subiectum* (§. 251. seqq. Ont.) oritur. His enim omnibus simul sumtis seu conditionibus, seu requisitis (§. 241. Ont.) caussæ efficientis completus status in actu primo proximo absolvitur (§. 243. Ont. & seqq.), quippe qui & rationem possibilitatis completam, & rationem completam existentiæ boni physici, & nihil ultra, præcise complectitur. Jam vero omne *impedimentum accidentale* boni physici modo contrario constat (§. 247. Ont.), contrarietas modorum vero ex oppositione limitum seu defectuum unius modi cum aliqua realitate alterius consistit (§. 284. II. Ont.); qui ipsi limites modorum, ceu negationes, in limitatione caussæ efficientis necessariæ seu naturalis talium modorum rationem sufficientem, negativam scilicet (uti effectui negativo convenit) habent (§.225.Ont.). Ratio ergo impedimenti tota ad defectum virtutis activæ in caussa efficiente naturali revocatur. Sed & *defectus applicationis caussæ efficientis* item non

aliun-

aliunde oritur, quam ex defectu virtutis activae eiusdem, non nisi ad finitum numerum subiectorum, & certam effectus quantitatem sese extendentis; ut ex genuina notione sphaerae activitatis §§. 254. 255. Ont. tradita elucescit. Universe ergo omnis defectus seu malum accidentale & physicum, nullo modo liberum, & mere naturale, ex sola imperfectione vis activae caussarum efficientium naturalium, tanquam a ratione sua sufficiente negativa, determinatur; quae cum ad essentias substantiarum simplicium creatarum, ceu nota constans, pertineat (§. 51. Cosmol.); ex ipso malo essentiali (§. 110), sive ex absoluta imperfectione essentiali substantiarum finitarum, omne malum physicum naturale, nec ullo modo liberum exoritur.

* *Mundus* ergo *malorum physicorum natura sua expers perfectiora elementa & istorum ordinem compositionis itidem omnino perfectum exigit.*

§. 118.

Deus non est caussa efficiens ullius mali physici naturalis. Oritur enim illud immediate ex malo essentiali substantiarum finitarum (§. praec.): ergo cum Deus non sit caussa efficiens mali istius essentialis (§. 116.), nec immediata, nec mediata caussa efficiens mali physici ullius est.

§. 119.

Deus mala physica non vult tanquam fines, sive ultimos, sive mediatos. Finis enim quiscunque non est nisi qui mediante suae bonitatis cognitione movet caussam efficientem, ut illius existentiam a priori actione sua positiva determinare velit (§. 267. Ont.). Atqui Deus non est caussa efficiens, respectu malorum physicorum (§. praec.), nec mala physica bonitatem habent in se, cuius cognitio ad sui existen-

tiam actione positiva determinandam movere Deum posset. Ergo nec ista instar finium velle potest.

* Qua ratione tamen eadem mala physica sapientissime & salva summa bonitate sua permittat, infra dicetur.

§. 120.

Mala physica naturalia omnia per leges naturæ in quovis mundo possibili determinantur. Sunt enim defectus, qui accidentibus substantiarum finitarum, i. e. modificationibus, insunt, & citra liberum arbitrium per solas vires naturales eveniunt (§§. 111. 117.), quarum actiones omnes, atque adeo & effectus, seu modificationes ipsæ per eas productæ, secundum leges naturæ tum corporeæ (§. 293. Cosm.) tum spiritualis (§§. 49. 88. 232. Psych.) limitantur. Mala ergo physica naturalia &c.

* Nimirum omnia vel motu fiunt in mundo corporeo qua tali, ceu mutationes compositi (§. 301. IV. Ont. item §§. 245. 246. & seqq. Cosm.), vel cogitatione & volitione in spiritibus. Motus omnis per leges naturæ (§§. 241. 292. seqq. Cosm.) oritur; cogitationes ac volitiones aut liberæ sunt, aut legibus naturæ spiritualis & appetitus in genere (§§. 232. seqq. & 318. Psych.), atque appetitus sensitivi in specie (§. 338. seq. Psych.) uti & rationalis in specie (§. 307. Psych.) eveniunt. Quidquid ergo in his mutationibus accidentalibus, seu modificationibus, limitatum est, quin actione liberi arbitrii limitetur, per leges ipsius naturæ limitatur.

§. 121.

Mala physica naturalia cuilibet mundo propria sine miraculo tolli ab eo non possunt. Per leges enim naturæ determinantur, quæ cuique mundo sunt propria (§. præc.): atqui effectus legum naturæ non nisi miraculo impediri, aut præverti possunt (§. 287. seqq. Cosm.).

§. 122.

§. 122.

Mala physica naturalia cuilibet mundo propria non nisi per miracula in qualibet singulari caussarum serie patranda tolli a Deo possunt. Singula enim in defectu accidentali, non libero, & per leges naturæ determinato, consistunt (§§. 111. 120.), atque effectus simul sunt virium naturæ. Jam vero omnis defectus seu malum in effectu non libero caussæ agentis finitæ vel ex impedimento se tenente ex parte subiecti (§§. 247. 248. Ont.), vel ex defectu vis activæ caussæ agentis ipsius oritur (§. 225. Ont.). Atqui tam impedimentum, utpote accidentale (§. 247. Ont.), ex parte subiecti vi agendi ad extra infinita tollere (§. 75.), quam defectum vis activæ supplere, miraculo scilicet (§. 287. Cosm.) Deus potest. Præterea vero ex ipsa demonstratione præsente patet, per quodvis miraculum in uno singulari casu patratum non tolli nisi unum impedimentum ex parte unius subiecti, nec nisi unum defectum ex parte unius caussæ agentis. Ex hoc alia quidem series eventuum, qui ex tali pendebant actione, in tali mundo deinceps consequetur (§. 298. seq. Cosm.), & ex uno emendato defectu unius actionis actiones sequentes, tanquam a caussis iam fortioribus editæ (§. 225. Ont.), effectus perfectiores determinabunt: attamen, ut mala physica, in seriebus aliis simultaneis contenta, pariter tollantur, miracula pro singulis saltem caussarum seriebus simultaneis multiplicari oportebit.

* Male, & contra propria principia Cosmologica, supponere videtur Wolfius in demonstratione propositionis huius (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 553.), pro singulis malis physicis tollendis singulis miraculis opus fore. Enimvero unico miraculo si caussæ materialis & efficientis defectus semel perfecte suppleantur, integra series malorum physicorum, ex uno illo defectu deinceps nexu continuo secutura, impedietur.

§. 123.

Libertas *creata* ad bonum volendum & non volendum, seu *libertas ad bonum, & malum morale mere negativum* (§. 112.), *in actu primo remoto* (§. 243. Ont. & §. 237. Psych.) consistit in ipsa facultate seu vi substantiali cogitandi & volendi animae spiritualis, e. g, humanae, quatenus & capax est intuitus boni, & per essentiam neque ad volitionem boni, neque ad huius omissionem, determinata, attamen utrique perinde absolute compossibilis est.

§. 124.

Libertas creata ad bonum, seu *ad bonum & malum morale mere negativum, in actu primo proximo* praeter illam facultatem seu vim substantialem complectitur ideam & intuitum boni veri distinctum, simulque defectum facilitatis, seu habitus volendi tale bonum, sufficientis ad tollendam prorsus omnem difficultatem in eodem volendo (§. 337. Psych. seqq.).

* Enimvero in omni libertate completa (§. 322. & seqq. Psych.) adesse debent motiva impellentia & absterrentia, seu respectu boni appetendi, si tantum est libertas ad bonum volendum & non volendum, seu respectu mali aversandi, si est libertas etiam ad malum morale positivum. In libertate ad bonum praecise (i. e. ad bonum & malum solum negativum) alia motiva absterrentia quam sola boni volendi difficultas locum habere non possunt; sive iam difficultas ista ex impedimentis positivis, sive solum ex quodam facultatis defectu & imperfectione oriatur. Quomodo difficultas agendi per habitus tollatur, in Psychologia toto Cap. V. explicatum est. Certe volendi bonum difficultas aliunde quam ex imperfectione ideae de eodem, quae sensum voluptatis illius intuitui proprium (§. 204. Psych.) impedit, aut ex defectu habitus id intuen-

di, nasci haud potest: cum bonum verum secundum se naturale omnis appetitus rationalis obiectum sit, in quod ob ipsam naturalem indigentiam necessitate fertur, quamprimum nullo motivo absterrente retinetur. Itaque ut libertas a necessitate plena immunis ac salva maneat, motivum quoddam absterrens, i. e. in libertate entis finiti circa bonum difficultas aliqua, remanere debet.

§. 125.

Libertas creata ad malum morale positivum (§. 112.) *in actu primo remoto* itidem in ipsa facultate substantiali animæ rationalis consistit, quatenus & capax est ideæ iuxta atque intuitus mali sub boni specie sibi repræsentati, nec per essentiam sive ad eius volitionem, sive ad nolitionem, determinata, sed cum utraque compossibilis est.

§. 126.

Libertas creata ad malum morale positivum in actu primo proximo est eadem facultas substantialis animæ e. g. humanæ, ideis boni apparentis deceptricibus (i. e. pugnam veri mali cum bono sua confusione occultantibus §§. 201. 202. Psych.) & intuitu voluptatis apparentis (§. 204. Psych.) imbuta, ipsaque mali facilitate quadam illecta, simul vero alio distinctiore veri latentis mali intuitu ab eodem volendo absterrita.

§. 127.

I. *Libertas creata ad bonum* (§. 124.) *per eosdem gradus accedit ad necessitatem hypotheticam* (§. 96. Ont.) *agendi bonum, secundum quos augetur claritas & distinctio ideæ & intuitus boni volendi, atque simul crescit facilitas id volendi.*

§. 128.

II. *Libertas creata ad malum morale positivum* (§. 126.) *per eosdem gradus accedit ad necessitatem hypotheticam admittendi malum morale positivum, secundum*

dum

dum quos crescit vivacitas, ideæ boni mere apparentis, & voluptas ad illud alliciens, & obscuratur intuitus distinctus latentis sub eo veri mali.

§. 129.

III. Quoniam omnis agendi facilitas, seu habitus, ipso actionis frequenti exercitio acquiritur (§. 338. Psych.), & per idem sumit incrementa (§. 346. Psych.); *libertas creata agendi bonum ipso frequenti exercitio boni propius ad necessitatem hypotheticam promovetur.*

§. 130.

IV. Quoniam voluptas apparens actione phantasiæ (i. e. remanentium ex præteritis actibus habituum §. 351. Psych.) ex ipsis reproductis præteritarum actionum voluptatibus crescit (§§. 225. seq. Psych.); idcirco *libertas creata committendi malum morale ipso frequenti exercitio mali propius identidem ad necessitatem hypotheticam mali moralis deinceps committendi admovetur.*

§. 131.

Bonum morale est bonum absolutum, & malum morale, tam negativum, quam positivum, est malum absolutum agentis illud liberi creati. Utrumque enim volitioni, nolitioni, aut alicuius istarum omissioni, inhæret: atqui istæ, ceu modificationes, ipsi enti libero agenti insunt, quatenus sub ratione agentis liberi ipsummet cognoscibile est. Ergo utrumque ad eius bonitatem, seu perfectionem, absolutam, vel ad imperfectionem absolutam, accidentalem videlicet (§§. 85. 86. 88. Ont.), pertinet.

§. 132.

Idem bonum accidentale (§. 110.) *maiori gloriæ subiecto suo est, si huic per modum boni moralis, seu eidem liberi, insit, quam si per modum boni solum physici* (§. 111.). Judicio enim certo fundamentum ve-

 ritatis

ritatis præbet, quo ſubiectum tale ipſummet auctor ſeu ratio determinans talis boni eſſe cognoſcatur, i. e. quo id genus bonum accidentale ipſi inhærens non modo utcunque ipſius bonum, ſed & ipſi ceu auctori & cauſſæ liberæ efficienti proprium, i. e. reſpectu ad ipſum habito eximie bonum, eſſe noſcatur. Atqui tale iudicium novus gradus gloriæ pro tali ſubiecto eſt (§. 104.). Itaque idem bonum accidentale &c.

* Theſis iſtius evidentia magis adhuc ex dicendis loco ſuo de merito morali & phyſico perſonæ eluceſcet infra §§. 712. 713. & præcipue §§. 725. 726.

§. 133.

Viciſſim ergo idem malum accidentale (§. 110.) *maiori ignominiæ ſubiecto cedit, ſi huic per modum mali moralis, ſeu eidem liberi, inſit, quam ſi per modum mali ſolum* phyſici (§. 111.).

§. 134.

Tam libertas ad bonum morale, quam libertas ad malum morale, tum negativum, tum poſitivum, in actu primo præciſe remoto (§§. 123. 125.), *eſt malum eſſentiale entis liberi.* Utraque enim eſt quædam indeterminatio eſſentialis, prior ad bonum & malum morale negativum, altera ad bonum & malum morale poſitivum; ſive, utraque eſt defectus determinationis eſſentialis ad bonum morale, tanquam ad bonum abſolutum (§. præc.), quo excludatur tum merus eiusdem defectus, (i. e. malum morale mere negativum), tum malum morale poſitivum eidem contrarie oppoſitum (§. 112.), ceu abſolutum agentis liberi malum (§. præc.). Atqui defectus eſſentialis determinationis ad bonum aliquod abſolutum eſt malum eſſentiale abſolutum (§. 110.). Ergo &c.

§. 135.

Hinc *nulla libertas in Deo ad bonum ullum abſolutum proprium habere locum poteſt, ne quidem in actu primo remoto.* Secus enim non eſſet per eſſentiam infinite bonus bonitate abſoluta (§. 85. Ont.).

* In præſente itaque diſceptatione non niſi *de libertate Dei ad bonum aliquod reſpectivum*, quo non ſibi, ſed rebus finitis amore benevolentiæ bonus ſit, ſermo eſt.

§. 136.

Libertas creata ad bonum tantum, i. e. facultas tam ad bonum quam ad malum morale mere negativum, ſi ſit in actu primo proximo (§. 124.), eſt maius bonum in ente finito quam facultas efficiens phyſice completa & neceſſario agens bonum; adeoque libertas præfata hoc ipſo verum bonum phyſicum eſt agentis liberi creati. Etenim præter facultatem eſſentialem agendi remotam non niſi iſtius complementum accidentale involvit, nimirum ideam & intuitum diſtinctum boni veri (§. cit.), quo illa facultas, etſi non compleatur in ratione cauſſæ efficientis bonum ſimpliciter (§. 322. ſeqq. Pſych.), completur tamen in ratione cauſſæ liberæ (§. 243. Ont.), obtinetque facultatem liberam proxime completam bonum morale efficiendi. Atqui omne complementum, ſeu ratio partialis, facultatis activæ ad bonum agendum qua talis (§. 217. Ont.), realitas ac bonum quoddam eſt; cum negatio utique activa, ſive ratio exiſtentiæ realitatis cuiuscunque, eſſe non poſſit (§. 223. Ont.). Porro etſi coniuncta agendi difficultas (§. 124.) ex defectu determinationis realis (complementis facultatem in ratione cauſſæ efficientis, & neceſſario, adeoque facillime, agentis per §. 219. Ont.) certo naſcatur; tamen cum idem bonum accidentale, ſi per modum boni moralis inſit, multo ſit æſtimabilius, quam ſi inſit per mo-

 dum

dum boni mere physici (§. 132.); etiam facultas completa libera (seu in actu primo proximo §. 243. Ont.), ceu facultas completa ad bonum morale, æstimabilior erit, quam facultas efficiens physice completa ad bonum merum physicum. Libertas ergo creata in actu primo proximo ad bonum tantum, sive facultas ad bonum volendum, & non volendum, proxime expedita, maius bonum est in ente finito quam facultas efficiens physice completa, adeoque verum bonum est agentis liberi creati, & quidem physicum; quia accidentale & non liberum (§. 111.), quatenus mera facultas est ab ipso actu, seu bono morali, distincta.

* Patet idem etiam vel ex eo solo, quod libertas completa ad bonum præcise (non item ad malum positivum) per se tantum sit facultas tendens ad perficiendum ens liberum (§. 279. Ont.), per bonum nimirum morale actu effectui datum, nullo modo vero tendens ad corrumpendum illud: siquidem, etiamsi stante illa bonum morale actu omittatur, sicque malum morale mere negativum consequatur; per isthoc tamen hoc ipso, quod mera negatio boni sit, non autem boni iam præexistentis sublatio (§. cit.), qualis in malo morali positivo contingit (§. 112.), ens liberum in statu imperfectiore saltem per se, & vi solius talis libertatis, immediate non collocatur.

§. 137.

Libertas creata ad malum morale positivum, si sit talis in actu primo proximo (§. 126.), est verum malum physicum agentis liberi creati. Etenim præter facultatem essentialem remotam agendi malum istud, quæ ipsa malum essentiale est (§. 134.), ideam boni apparentis deceptricem, id est, verum malum sub ratione boni repræsentantem, eamque accidentalem, involvit, atque intuitum voluptatis apparentis, qui & ipse deceptrix est (§. 126.); atque

per

per hæc duo accidentia, ceu vera mala (§§. 202. 204. Pſych.), completur in ratione cauſſæ liberæ ad malum verum morale agendum. Iam vero ratio exiſtentiæ mali poſitivi non poteſt non & ipſa mala eſſe. Porro licet huiusmodi complementum cauſſæ liberæ ad agendum malum nondum inferat cauſſam mali in ratione efficientis phyſice completam (§. 322. ſeqq. Pſych.), ex qua actio mala neceſſitate conſequatur (§. 219. Ont.); tamen hoc ipſo, quod idem malum, ſi morale ſit, i. e. liberum, maius ſit, quam ſi idem non liberum ſed phyſicum eſſet (ob eandem rationem, ob quam bonum morale ſimili bono phyſico maius eſſe §§. 132. 133. diximus), etiam facultas proxime completa libera ad malum morale maius malum eſt quam facultas efficiens phyſice completa ad malum ſimile mere phyſicum. Libertas ergo creata ad malum morale poſitivum, ſi ſit in actu primo proximo verum malum eſt, idemque phyſicum; quia accidentale, nec tamen quoad ſe liberum, quatenus facultas eſt, non ipſe actus.

* Patet hoc rurſus vel exinde, quod talis libertas unice ad corruptionem, id eſt, ad malum poſitivum, ſeu bono vero contrarie oppoſitum, tendat, nullo autem modo ad maiorem perfectionem agentis.

§. 138.

I. *Libertas creata in actu primo proximo ad malum morale poſitivum ab agente libero auferri per Deum miraculo poteſt.* Eſt enim malum phyſicum (§. praec.): Deus autem omne malum phyſicum a creaturis tollere per miracula in quavis cauſſarum ſerie patranda poteſt (§. 122.).

§. 139.

II. *Deus hoc ipſo impedire per miracula poteſt malum morale poſitivum quodcunque:* quippe quod facul-

tate proxime libera impedita (§. præc.) possibilitate extrinseca caret.

§. 140.

III. *Deus quoque, ablata per miraculum libertate proxime completa ad bonum morale, sua ipsius vi agendi ad extra infinita (§. 75.) determinare eius loco idem ipsum bonum, iam mere physicum (§. 111.); potest, quod salva libertate illa libere effici, aut non effici, ab agente creato libero poterat.* Cum enim libertas illa sit bonum accidentale per vires creatas seu naturales exortum, idem ceu harum effectus impediri vi divina infinita poterit saltem tunc, quando intellectu suo infinito prævidet, ens liberum creatum difficultate reipsa absterrendum, ne bonum morale, si istius efficiendi libertas ipsi relinquatur, reipsa operetur. Præterea si agens liberum vi libertatis proxime completæ, ceu vi agendi finita, bonum quoddam efficere accidentale in se ipso possit: quippe nî Deus id ipsum vi infinita citra ipsius actionem liberam determinare in ipsa possit? Denique per §. 129. ipsum agens liberum creatum solo frequenti exercitio ita successu temporis perficere facultatem suam in ratione efficientis antea non per se completam (§. 322. seqq. Psych.) potest, ut ad necessitatem hypotheticam semper magis accedat: ergo & Deus istam perfectionem accidentalem eidem sua quoque unius virtute addere per miraculum, citra exercitium prævium ad ipsam necessitatem proxime inferendam sufficiens potest (§. 127.).

* *Neque dicas*: cum Deus infinite bonus etiam ad extra & respective esse debeat, & libertas illa ad merum bonum melior sit, ceu meriti principium (§. 136.), quam necessitas hypothetica agendi idem bonum per miraculum agenti creato imposita (§. præf.); non posse Deum miraculo occasionem meriti, & maius bonum in ea repositum, creaturæ subtrahere. *Nam* ut ab eo, utrum Deus necessitate,

tate, an libertate, ad benefaciendum actu creaturis rationalibus feratur, abstrahamus, postea primum libertatem istam ab his independenter asserturi; quippeni Deus, post libertatem completam agendi bonum aliquam diu creaturæ suæ indultam, deinceps eandem propter ipsa merita ex bono libertatis usu iam acquisita a molesta illa agendi boni difficultete liberare, & plena boni facilitate atque adeo & necessitate impertita, ponere eandem non modo extra periculum perdendæ summæ felicitatis, sed etiam in secura eiusdem & in impedita possessione sua unius virtute firmare possit? Certe operationi liberæ boni, ceu merito accidentali, præmium ut ex parte Dei itidem accidentale idemque mere liberale, respondeat, omnino decens est. At quod præmium mere liberale, simulque accidentale essentiæ agentis liberi, habere locum poterit, si ad summum usque boni possibilem apicem non nisi suo labore & recto libertatis usu, nunquam omnis difficultatis experte, conniti debeat. Denique nondum hic de eo agimus, quid Deus vi bonitatis suæ respectivæ possit in actum secundum deducere, sed quid per se possit vi potentiæ suæ, seu per vim suam agendi ad extra infinitam: secus idem utique obiici poterat contra potentiam miraculo impediendi malum physicum; de quo §. 122.

§. 141.

Necessarium physice est, cuius existentia per solas naturæ semel creatæ vires salvisque harum legibus a priori determinatur.

I. *Necessitas physica non est absoluta, sed hypothetica, i.e. hypothesin creationis, & absentiæ miraculi supponens.*

II. *Est tamen eadem necessitas antecedens* (§§. 105. 106. I. Ont.).

§. 142.

Ex libertate etiam in actu primo proximo iam completa, tum ad bonum, tum vero etiam ad malum positi-

vum, nondum per ſe ulla neceſſitate phyſica antecedente (§§. 96. 105. Ont.) *ipſum malum morale, ſeu negativum, ſeu poſitivum, conſequitur.* Cum enim malum morale, tam negativum, quam poſitivum, volitionibus, & nolitionibus liberis, aut etiam omiſſionibus volitionum liberis, unice inhæreat; cumque omnes iſti actus liberi per naturam & eſſentiam ſuam ſint partialis ratio ſui ipſorum ultima (§. 329. not. Pſych.) & per hoc ipſum libera (ibid. §. 302. ſeqq.), per ſolam libertatem ſeu potentiam liberam etiam in actu primo proximo completam nondum tanquam per rationem ſufficientem adæquatam & natura priorem ſimpliciter determinantur (§. 322. Pſych. ſeqq.), ſed ſtante illa volitiones & nolitiones moraliter malæ omitti æque ac poni poſſunt, quin & earum loco poni volitiones & nolitiones moraliter bonæ &c. Itaque ex ſola libertate etiam in actu primo proximo completa per ſe non conſequuntur, ne hypothetica quidem, ſeu phyſica antecedente neceſſitate (§§. Ont. citt.).

* Wolfius vi notionis ſuæ de libertate in hac capitali theſi in avia deflectere veriſſime incipit, & hoc certiſſimum errorum eius fere omnium initium eſt. Cum enim ſecundum eius principia actus liber, cui malum morale omne inhæret, ex facultate libera completa, ſeu in actu primo proximo completo conſtituta, per ſe & vi ipſius hypotheſis eiusdem conſequatur; eo quod determinetur a motivo fortiore tanquam a ratione ſua ſufficiente; quod motivum fortius ipſius facultatis liberæ in actu primo proximo completæ pars & conſtitutivum, ut vocant, eſt: idcirco ex facultate ipſa libera completa, tanquam ex malo ſecundum ſe mere phyſico (§. 137.), atque adeo volenti non libero (§. 111.), neceſſitate vera antecedente hypothetica malum morale actus liberi per ſe conſequitur. Porro hæc neceſſitas hypothetica antecedens tranſit in abſolutam, ſi malum phyſicum, quod in ipſa facultate

cultate libera ad malum morale inesse ostendimus (§.137.) non aliunde quam ex naturæ istius mundi legibus consequatur (§. 120.), mundumque simul istum cum his suis legibus naturalibus Deus unice partim vi bonitatis sibi essentialis respectivæ, partim ob ipsam istius numero mundi bonitatem obiectivam, ex bonis & malis moralibus per se iam hypothetica necessitate eventuris compositam, tanquam ob rationem volitionis seu decreti sui prorsus sufficientissimam producere debuerit. Cum enim tum ratio obiectiva, nimirum mundi istius summa bonitas, necessaria sit sub hypothesi, si a Deo producatur ipse mundus, tum ratio subiectiva (ut Wolfius vocat in sua Theol. Nat. P. I. §§. 118. 336.), nimirum quod Deus omniscius omnis possibilis mundi bonitatem perfectissime cognoscat, simulque ob bonitatem suam infinitam alium quam optimum eligere nequeat, sit omnino absolute necessaria, eo quod omniscientia iuxta atque summa bonitas ad Dei attributa essentialia pertineat; tota ratio sufficiens adæquata atque ultima (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 339.) existentiæ mali omnis moralis æque ac boni in mundo isto absolutissima necessitate antecedente necessaria est, atque adeo & ipsum bonum & malum omne in hoc mundo est prorsus antecedente necessitate absolute necessarium. Verbo: essentiæ substantiarum simplicium absolute necessariæ & immutabiles sunt: combinatio quoque earundem huic mundo propria salvo hoc ipso mundo, eiusque summa bonitate salva, mutari non potest; siquidem ex essentia substantiarum simplicium & præsente earum in hoc mundo combinatione mundus optimus hic ceu ex ratione omnes naturæ eius leges determinante (§. 259. Cosm.), resultat, tam prout ex bonis physicis quam moralibus is in ratione optimi coalescit: Dei omniscientia essentialis summam bonitatem istius mundi necessario cognoscit ut possibilem: Dei bonitas essentialis talem necessario vult existere: omnia ergo in hoc mundo, tam bona, quam mala absolute necessario existunt.

§. 143.

§. 143.

Bonum & malum morale, ſiquod alicui mundo ineſt, per ſolas naturæ leges non determinatur, ut exiſtat actu. Legum enim naturæ determinatio omnis vel ex eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium oritur, quatenus in genere ſpectatæ ſunt abſolute neceſſariæ (§. 294. Coſm.), vel ex compoſitione earundem ſoli Deo libera (§. cit.); adeoque tota antecedens eſt reſpectu effectuum, qui legibus naturæ conformiter oriuntur. Ergo ſi bonum & malum morale per ſolas naturæ leges determinaretur, neceſſitate antecedente utrumque in mundo exiſteret, quod eſt contra §. præc.

Aliter. Libertas ipſa boni & mali moralis (§§. 124. 126.), eſt immunitas ab omni determinatione prævia completa in ratione cauſſæ efficientis: atqui quod determinatur per leges naturæ caret tali immunitate (§. 264. Coſmol.): ergo &c.

§. 144.

Quodcunque bonum & malum morale alicui mundo ineſt, abſolute contingenter & citra omnem neceſſitatem phyſicam antecedentem ei ineſt. Bonum enim & malum quodcunque morale eſt id, quod ex libertate in actu primo proximo completa conſequitur (§. 111.): atqui ex iſta non conſequitur ulla neceſſitate phyſica antecedente (§. 142.): ergo abſolute contingenter.

* Non opus eſt in minore huius demonſtrationis alterum hoc membrum opponere, ut concluſio fluat, nempe, *quod ipſa libertas in actu primo proximo contingenter exiſtat;* imo neque ſecure & cum evidentia iam nunc id de mundo præſente affirmari poteſt. Nam 1. etſi libertas iſta neceſſario, neceſſitate etiam antecedente, vel hypothetica, vel abſoluta, exiſteret; tamen per §. 142. bonum & malum morale nulla neceſſitate antecedente ex ea conſequetur.

quetur. 2. Si Deus necessitate absoluta in mundum optimum feratur, & hic mundus non aliunde ostendatur solum contingenter esse optimus, sed forte necessario sit optimus, prout talis erit vi principiorum Wolfii (§. cit. not.): libertas ipsa tanquam pars istius mundi necessario existet, & tamen vi nostrarum notionum de libertate actuum humanorum bonum & malum morale existet absolute contingenter. Prius ergo, antequam affirmari queat, libertatem contingenter existere, alterutrum ostendendum est, aut Deum non necessario facere, quod est optimum, aut hunc mundum mere contingenter esse optimum. Cum ergo Wolfius neutrum faciat, quin oppositum utriusque e diametro defendat; cum dein bonum ac malum morale hypothetice necessarium esse in hoc mundo, & quidem quodlibet determinate, fateatur (§. 554. Theol. Nat. P. I. Wolf.); hoc ipso fatetur, id esse absolute necessarium, in suis quidem principiis.

§. 145.

Experientia partim vulgatissima partim sensu communi, constat, bona iuxta ac mala plurima, physica non magis, ac moralia, & mala quidem moralia tam positiva, quam negativa, in hoc mundo extare; prout is ex corporibus simul & animabus rationalibus componitur.

§. 146.

Necessitas moralis est magna difficultas libere agendi, vel libere non agendi, orta ex magno gradu tædii aut voluptatis sese prodentis circa motiva impellentia, vel absterrentia, ad actiones liberas ab omni necessitate physica & absoluta.

* Inde nimirum difficultas agendi libere sequitur, si magna tædia vinci debent in actione suscipienda, aut magnæ sperni voluptates in eadem omittenda. Unde hæc definito non pugnat cum explicatione necessitatis moralis §. 320. Psych. data, sed potius genesin simul necessitatis moralis declarat; quatenus illa adhuc a necessitate physica differt.

§. 147.

Experientia certum est, bonum morale nobis perquam arduum multis in occasionibus pro præsentis vitæ statu accidere, virtutisque exercitio constanti multa tædia, ex adverso vitio multo maiores voluptates præsentes (§. 288. Psych.), coniungi solere.

* Ut experientiæ istius veritas agnoscatur, boni & mali moralis notio confusa, & ex sensu communi nota, abunde sufficit. Quam durum est constanter a vetitis voluptatibus, iuvenibus præsertim magis salacibus abstinere. Quam ardua virtus patientiæ, & mansuetudinis. Frustra Joannes Jacobus Rousseau aliquis naturæ innocuam bonitatem pro suo individuo ostentet. Omnium experientia, publica corruptio morum in iis præsertim gentibus, & hominum ætatibus, reclamant; in quibus humanæ libidini, per leges publicas & probæ educationis sollertiam studiosius haud sunt limites arctati.

§. 148.

Solius naturæ nostræ viribus relicti in præsente humanæ vitæ statu sæpe ad malum morale necessitate morali trahimur, & sæpe necessitate item morali abstrahimur a bono morali. Experientia enim constat, multo maiores voluptates in operatione mali moralis, quam in eius omissione, & vicissim multo maiora tædia in operatione boni moralis, quam in huius omissione, evenire nobis identidem solere, atque ex hoc ipso magnas in malo illo libere vitando, & in bono isto libere agendo, difficultates occurrere. Quoniam ergo necessitas moralis in istiusmodi difficultate præcise consistit (§. 146.); patet, nos vulgo, si nostræ naturæ viribus relinquamur, in præsente humanæ vitæ statu ad malum morale sæpe necessitate morali trahi, & pari necessitate sæpe abstrahi a bono morali.

§. 149.

I. *Sicut moralis necessitas in genere pro diversa magnitudine difficultatis agendi suos gradus habet: ita etiam necessitas moralis, qua in præsente vitæ statu ad malum morale trahimur, & abstrahimur a bono morali, suos gradus varios habere potest.*

II. *Utraque necessitas hæc moralis ipso exercitio crescit, aut minuitur, propositione habituum mali ac boni moralis illius ope acquisitorum* (§§. 129. 130. & §. 226. Psych.

§. 150.

III. *Necessitas moralis, qua trahimur ad malum morale, & a bono morali abstrahimur, malum physicum est:* ex voluptatum enim & tædiorum mere apparentium excessu oritur (§§. 146. 126.), quæ vera mala accidentalia sunt (§. 204. & §. 205. Psych.), adeoque, cum libera non sint, physica mala hoc ipso sunt (§. 111.).

§. 151.

IV. *Necessitas moralis, qua trahimur ad malum morale, & abstrahimur a bono morali, non est a Deo tanquam a caussa efficiente, nec Deus eam vult tanquam finem* (§§. 118. 119.); hoc ipso quod malum physicum sit (§. præc.).

§. 152.

V. *Libertas in actu primo proximo ad malum morale positivum itidem non est a Deo ceu a caussa efficiente,* ob eandem rationem (§. 137.).

§. 153.

VI. *Tam libertas completa ad malum morale positivum, quam præfata §. 148. necessitas moralis, ad malum morale trahens, ex ipsa finitudine essentiæ nostræ, seu malo essentiali nobis proprio partim, partim essentiæ istius mundi corporei, ideas boni apparentis determinantis oritur* (§. 134. & §. 42. seq. Psych.).

§. 154.

§. 154.

VII. *Libertas tamen completa ad bonum morale a Deo tanquam caussa efficiente est;* quia verum bonum physicum est (§. 136.).

§. 155.

Usus rei activus est actio determinans facultatem rei incompletam, ut fiat completa respectu sui effectus; qui si bonus est, *usus bonus*, sin malus, *usus malus rei*, seu *abusus*, dicitur. Ipse effectus, tali actione obtentus *usus rei passivus* res vero ipsa *utilis* appellatur. Ex quo item patet, quid sit *utilitas rei:* quae tamen nomenclatio a bono usu potius quam a malo derivatur.

* Wolfius §. 646. Theol. Nat. P. I. non nisi usum passivum definitione exprimit; quae item illius formulis minus assuetas aures obscuritate offendere potest; cum *usum rei* vocat *dependentiam actualitatis rei cuiusdam alterius ab eadem.* Haud dubie in omni usu rei res habens aptitudinem ad effectum aliquem producendum requiritur, qui si bonus sit, res bonum usum habere dicitur, malum vero, si is malus sit. Attamen res illa effectum hunc se sola, i. e. sua unius virtute completa, habere non debet, ut talis effectus usus res vocari queat: secus omnis creatura usus Dei passivus vocari poterit. Necesse potius est, ut res, quae usum habet, ipsa non principalis, sed instrumentalis solummodo caussae (§. 260. Ont.) rationem habeat, ita, ut ipsa a principali caussa in ordine ad effectum, qui illius usus dici queat, determinetur. Sic instrumentis, e. g. penicillo, calamo, scalpro &c. artifices, sic domini rebus propriis, uti dicuntur; cum illi instrumenta, & hi res suas actione aliqua ad proferendum effectum determinant &c.

§. 156.

Facultas, seu potentia, *utendi re aliqua bene, & male,* est facultas determinandi pro arbitrio libero facul-

facultatem rei incompletam, quæ æque ad bonum, atque ad malum, effectum incompleta est.

* Gladius instrumentum est facultatem seu aptitudinem incompletam, seu remotam, habens, æque ad hostem patriæ sternendum, atque ad amicum vulnerandum. Facultas autem libera homini est ad utendum eodem gladio vel ad primum, eumque bonum, vel ad secundum, eundemque malum effectum.

§. 157.

I. *Libertas completa est facultas utendi vel abutendi voluntate.* Est enim facultas, ab omni necessitate antecedente immunis, determinandi voluntatem, quæ & bonum & malum velle potest, attamen in ratione caussæ efficientis adhuc incompleta est (§§. 322. seqq. Psych.), ut potius bonum quam malum, aut vicissim, actu velit.

§. 158.

II. *Competit per se homini libera facultas completa utendi corpore proprio, & hoc mediante etiam utendi mundo corporeo, ad finem creationis suæ, i. e. ad felicitatem propriam, Deique gloriam* (§. 108.) *promovendam* (§. 104.). Competit enim animæ humanæ vis libera movendi corpus proprium (§. 375. Psych.), istiusque vis motricis liberæ adminiculo competit eidem imperium in sensus externos indirectum (§. 51. Log.), vi cuius actiones corporum quorumque extraneorum, mundum istum componentium, in organa sensoria, & his iuxta ac cerebro mediantibus in ipsam animam (§. 42. seq. Psych.), excipere, devitare, mutare, ac varie determinare potest, tum vero etiam ex receptis inde ideis sensualibus ideas sibi factitias, abstractas & compositas (§§. 112. Log. 81. Psych.), de Deo, de bono & malo (§. 113. Log. 220. seq. Psych.) formare, indeque usu libero attentionis aut bonum, aut malum morale, volen-

do & nolendo perficere (§§. 301. & seqq. Psych. & hic §. 145.). Jam vero bonum morale quodvis bonum absolutum, & malum quodvis morale malum absolutum est (§. 131.), atque adeo illud bonus, hoc malus effectus est, ad quem producendum libera voluntas actione sua mundi corporei, atque etiam proprii corporis (ceu caussarum remotarum ideas primas efficientium per §§. 42. seq. Psych.) facultatem incompletam pro arbitrio determinat. Competit ergo per se homini facultas libera completa utendi corpore proprio, & hoc mediante etiam utendi mundo corporeo, i. e. (§. 156.) determinandi pro arbitrio eorum facultatem incompletam mediatam æque ad bonum atque ad malum morale, quorum primum felicitatem veram sui intuitu, ceu verum absolutum bonum (§. 131.), adeoque & Dei gloriam ab hominis felicitate vera inseparabilem promovet (§. 105.), alterum vero, ceu malum absolutum (§. 131.), eidem hoc ipso opponitur.

* Dixi, *per se* hanc facultatem homini competere; si nempe rationis & usus membrorum compos sit: hoc enim *per accidens* sæpe abesse solet.

§. 159.

III. *Mundus totus corporeus, ipsumque corpus proprium cuiusque hominis, non nisi instrumenta sunt, boni & mali usus ex æquo capacia, respectu felicitatis humanæ tanquam finis, ipsa vero facultas utendi libera est caussa principalis proxima respectu eiusdem finis.* Mundus enim & corpus proprium se solis sine determinatione voluntatis liberæ ratione sufficiente carent determinandi potius bonum morale, quam malum morale; cum hoc positis omnibus requisitis ad completam libertatem (i. e. positis quibuscunque ideis per sensus & extraneorum corporum actionem

nem exceptis) liberum sit, & ipsæ ideæ & actiones corporum extraneorum ope imperii indirecti in organa sensuum impediri, mutari, & varie determinari possint. Contra sola libera voluntas tanquam caussa proxima efficiens vi propria libera bonum & malum morale, ceu effectum bonum potius, vel malum. ex actionibus corporum remotis pendentem, ita determinat, ut ipsa a nullo agente alio absolute & necessitate antecedente potius ad unum quam ad alterum determinetur (§. 329. not. Psych.). Atqui hæc sunt ipsissimæ notiones caussæ principalis & instrumentalis §. 260. Ont. traditæ.

§. 160.

IV. *Deus vult, ut creaturæ rationales tum propriis facultatibus intellectus & voluntatis, tum etiam mediante indirecto sensuum imperio* (§. 51. Log.) *mundo isto corporeo, utantur ad finem creationis suæ, veram nempe felicitatem consequendam.* Sunt enim omnes illæ facultates, ad hominis essentiam pertinentes, media reipsa ad illum finem apta, & huius finis caussa a Deo unice creata (§. 106.); ipse quoque mundus corporeus est tale medium, eodemque fine creatum (§. præc. & §. 97.), eoque utendi facultas item non alio fine conferri creaturis rationalibus a Deo potuit (§. 158.): ergo Deus vult &c.

§. 161.

V. *Deus vult, ut quælibet creatura rationalis iisdem facultatibus suis omnibus non solum ad suam propriam, sed etiam ad aliarum creaturarum rationalium sibi conviventium veram felicitatem, itemque ad Dei gloriam non solum in se ipsa, sed & in aliis quoque promovendam, utatur.* Omnes enim illæ facultates medium de se aptum sunt ad illos fines non solum in subiecto proprio, sed & in aliis eiusdem speciei,

 pro-

promovendos (§. 107.), & ex hoc ipſo utroque fine in illis omnibus ex æquo obtinendo a Deo unice creatæ ſunt (§. 97.): ergo Deus vult &c.

§. 162.

VI. *Res ceteræ creatæ omnes, animatæ, & non animatæ, quæ liberæ non ſunt, per ſe fini creationis & voluntati circa hunc divinæ reſiſtere non poſſunt; at libera voluntas creaturæ rationalis reſiſtere utrique ſola poteſt.* Ceteræ enim omnes agunt ſecundum leges naturæ ipſius Dei voluntate per primum compoſitionis mundi modum determinatas. At voluntas libera legibus naturæ, aut neceſſitate phyſica, non adſtringitur, ſed malum morale, felicitati propriæ Deique gloriæ recta oppoſitum, pro arbitrio operari poteſt.

§. 163.

VII. *Malum morale non niſi abuſu quodam voluntatis libero exoritur* (§§. 155. 157.), *ſæpe tamen cum morali neceſſitate* (§. 148.).

§. 164.

Malum morale immediate liberum (§. 111.) *cum imperfectione abſoluta eſſentiæ noſtræ finitæ, ſeu cum malo eſſentiali, quod omni enti finito ineſt* (*§*. 110. *VIII. Log.*), *conſentit; diſſentit vero a perfectione abſoluta & bono noſtro eſſentiali.* Eſt enim malum abſolutum (§. 131.) atque immanens effectus voluntatis noſtræ (§. 111.).

* Neque mireris, in eſſentia noſtra & abſolutam perfectionem & imperfectionem ſupponi: quippe quod omni eſſentiæ finitæ proprium eſt; quin id rei perfectioni in ſuo genere obſtet. Vide §§. 86. ſeqq. Ont. & præcipue §. 89. IV. VI. Ont.

§. 165.

Malum morale felicitati noſtræ veræ contradictorie opponitur, ſi mere negativum eſt; contrarie vero, ſi eſt

poſiti-

positivum. Felicitas enim vera in vera voluntate, i.e. in veri boni ac perfectionis veræ intuitu (§.204. Psych.) eoque constanti, consistit (§. 84.). Jam vero omne malum morale volitio, aut nolitio est, i. e. conatus efficiendi & continuandi intuitum veri mali, vel abrumpendi & impediendi, intuitum veri boni (§. 111. & §. 229. Psych.), aut certe omissio istius. Malum ergo omne morale felicitati nostræ veræ aut contradictorie opponitur, si est omissio libera intuitus veri boni, seu malum mere negativum; aut contrarie, si est conatus ad intuitum veri mali, aut fuga ab intuitu veri boni, i. e. si est malum morale positivum.

§. 166.

Deus velle non potest, ut mala moralia, seu mere negativa, seu positiva, a creaturis liberis admittantur. Deus enim non nisi amore benevolentiæ, eoque perfectissimo (§. 92.) erga creaturas rationales moveri potest, ut tum ipsas, tum alia quæcunque existere præter ipsas velit, i. e. voluntate, quo bene eis esse, & veram felicitatem velit (§§. 89. 90.). Atqui malum omne morale veræ earum felicitati opponitur (§. præc.). Ergo ut id existat, velle ipse nequaquam potest.

§. 167.

Malum morale quodcunque voluntati Dei & creationis fini recta opponitur. Vult enim Deus, cum nos creavit, felicitatem nostram veram, isque finis unicus creationis est (§§. 98. 108.). Atqui huic omne malum morale opponitur (§.165.). Ergo &c.

§. 168.

Experientia vulgatissima constat, ex malis moralibus, tanquam caussis natura prioribus passim alia mala physica ceu effectus moraliter malos (§. 111.) in hoc mundo evenire, tum ipsis agentibus malum morale, tum

 aliis,

aliis, qui ipsis conviunt solummodo, quin talium moralium ceteroquin ipsi participes sint.

* Sic aliena libera malitia nunc fortunæ, nunc famæ, bonis summa iniuria spoliari, nunc ipso in corpore lædi, maxime innocuos in præsentis vitæ statu in dies videmus. Sed non minus ipsi, qui malis moralibus propriis aliis infesti sunt, propriæ malitiæ effectus in malis physicis plurimis experiuntur, quæ ex illa sequuntur. Sic semel in periurio deprehensus fidem etiam, cum vera dicit, deinceps damno suo haud amplius invenit. Famæ alienæ & fortunis noxius pœnam talionis ex defensionis aliorum iure passim subire cogitur &c. &c. Demum nemo non bonus civis experitur, melius esse bonis, quam malis convivere, nec amicitiam, qua non aliud facile maius est humanæ vitæ solatium, diu cum malis, nec inter malos, durare.

§. 169.

Necessitas moralis, qua a bono morali abstrahimur, & trahimur ad malum morale etiam positivum, crescit non solum ex difficultatibus & tædiis, quæ bono morali per se inhærent, & ex voluptatibus, quæ inhærent malo morali (§. 147.), *sed etiam ex malis physicis universe, eorumque multitudine, ac gravitate, quæ præsentis vitæ statum vulgo infestant.* Tædia enim, quæ stimulum a bono morali absterrentem constituunt, ex reproductis eius occasione a phantasia ideis tædiorum alias vulgo exantlatorum (§. 226. Psych.) in confusa cognitione, a qua nunquam in præsentis vitæ statu nos satis expedire possumus, continuo excrescunt (§. 225. Psych.); & vicissim impatientia ipsa tædiorum iusto frequentius redeuntium, iuxta ac boni egestas iam diutius tolerata, energiam appetitus ad voluptatem præsentem, malo morali adiunctam, etsi mere apparentem, acrius extimulant. Iam vero necessitas illa omnis moralis non nisi ab excessu quodam tædiorum boni moralis, & volu-

ptatum

ptatum mali moralis comitum, eorumque mere apparentium, exoritur (§. 146.). His ergo occasione malorum physicorum crescentibus etiam ipsa crescit.

§. 170.

Mala moralia felicitati non solum ea perpetrantis, sed etiam aliorum ei conviventium, in præsentis vitæ statu obsunt. Augentur enim ex eis mala physica, non solum respectu agentis eadem, sed & respectu istorum (§. 168.). Præterea ex multiplicatis de novo malis physicis, & aggravatis, non solum præsens infelicitas crescit, sed etiam necessitas moralis nova mala moralia committendi (§. præc.). Ergo &c.

§. 171.

Amor complacentiæ conceptus ex his, quæ alicui personæ inesse certo cognoscuntur, idemque eximius, i. e. talis, quo eiusmodi persona ob eadem aliis multum voluntate præfertur, *honor* seu *honoratio* talis personæ dicitur. Porro *honor directus & formalis* dicitur, cum immediate in ipsam personam ut obiectum fertur; *indirectus* vero est affectus amoris, vel odii (§§. 241. 242. Psych.) erga rem personæ illi quidem extraneam conceptus, sed aliquo modo imperatus & ortus ex amore complacentiæ erga illam, sive ob cognitam similitudinem aut connexionem talis rei cum bono illi personæ intrinseco, sive ob dissimilitudinem aut connexionem cum illius malo. Quodsi amor personæ imperans efficacia sua actualem electionem talis rei determinet, qua res ista vel ut bonitati personæ amatæ consentanea ac similis præferatur aliis, vel ut eidem opposita refugiatur, *honor practicus & efficax* dicitur. Sin idem in solo inefficaci affectu complacentiæ vel displicentiæ erga rem talem sistat, *inefficax & mere speculativus* appellatur. Porro

 potest

potest omnis honor iste esse *mere internus*, atque solis affectibus mentis absolvi, aut *externus;* quatenus, signis externis alteri proditur.

Vicissim odium displicentiæ conceptum ex his, quæ alicui personæ inesse pro certo habetur, quoque illa idcirco aliis voluntatis etiam affectu posthabetur, *contempus* talis personæ vocatur; qui item *directus & formalis* dicitur, cum in ipsam personam ceu obiectum odii immediatum fertur; *indirectus* vero, *& materialis* vulgo dictus, est affectus amoris, vel odii, erga res personæ tali extraneas, natura sua cum illius honore positive pugnans & contrarius; h. e. sive affectus amoris complacentiæ erga rem aliquam, utut illa opponi iis, quæ personæ illi insunt, aut cum eius malo connexa esse, certo cognoscatur; sive affectus odii erga rem eandem, utut illa his consentanea ac similis esse certo cognoscatur, quæ dictæ personæ insunt, aut cum eius bono connexa. Quodsi affectus eiusmodi, amoris vel odii, erga rem prædictam ita efficax sit, ut eius electionis indolem determinet, qua illa vel insuperhabita sua oppositione cum bono illius personæ appetitu efficaci appetatur, vel insuperhabita similitudine aut connexione cum bono eiusdem personæ reiiciatur, *contemtus practicus & efficax* dicitur, *mere speculativus* vero & *inefficax*, si in simplice inefficaci affectu complacentiæ vel displicentiæ sistat.

* *Honor omnis personæ* haud dubie *cum gloria, contemtus cum ignominia eiusdem, coniunctus est.* Unde uterque, sicut ipsa gloria & ignominia (§. 104. not. 2.), certum iudicium prævium tum de ipso bono aut malo personæ intrinseco, tum de relatione similitudinis aut oppositionis rei extraneæ cum eodem, si indirectus sit, supponit. Uterque tamen gloriæ, aut ignominiæ, ceu meris intellectus actibus, voluntatis actum superaddit, cuius directum

rectum aut indirectum obiectum persona honorata, vel contemta, sit. Qualis iste sit, hic ex proposito explicatur. Nimirum vulgare dictum est: qui me amat, amat & canem meum, i. e. amat & alia, quae & prout ad amatam personam referuntur. Amor personae alicuius, ex complacentia perfectionis illi intrinsecae conceptus, vulgo est amor imperans (§§. 249. 251. Psych.), &, si satis sit intensus, amorem omnium post se trahit, quae ad talem personam referuntur, vel ut mere illius internae perfectioni similia, vel ut cum eius bono connexa. Quamdiu amor complacentiae in ipsa perfectione tali personae intrinseca velut in obiecto suo adaequato & immediato sistit, directus est tam ipse quam honor, qui per eum tali personae, istius bonum intrinsecum voluntatis istiusmodi eximia aestimatione, exhibetur. Cum vero ad alia, personae tali quidem ipsi extranea, sed ob similitudinem, vel connexionem cum eiusdem bono, digreditur, directe quidem in ipsam personam non tendit; sed quamdiu tamen similitudine & connexione ista tanquam motivo nititur (qua niti ut motivo non posset, nisi amor directus aut acta proprio, aut saltem virtute seu habitu suo, interveniret) indirectus, seu mediatus, amor & honor eidem personae defertur. Contra quamprimum amor rei, etsi similis reipsa, aut connexae cum bono talis personae, tamen hac ipsa similitudine, aut connexione, ut motivo non nititur, sed a disparato motivo procedit, tunc nec oritur ex directo, nec ipse indirectus amor, aut honor, talis personae est. Ex adverso contemtus personae formalis & directus quidem contemtum indirectum, i. e. rerum ei similium odium ob ipsam hanc similitudinem conceptum, aut rerum ei dissimilium & cum eius malo connexarum amorem ob ipsam hanc oppositionis rationem post se trahere & imperare, seu vi actus sui praesentis, seu virtute habitus potest: attamen istud ad contemtum indirectum necessarium non est, sed ipsa inefficacia honoris & amoris directi erga personam aliquam, quae non impedit vel electionem & amo-

 rem

tem rei, quæ ipsi contraria aut dissimilis est, vel odium ac fugam rei eidem similis & cum eius bono connexæ, id est, quod contemtum indirectum formaliter, ut aiunt, constituit; quatenus videlicet ratio negativa mediata, seu indirecta, est, cur amor aut odium talis rei extraneæ, ei consentaneæ, vel oppositæ, non impediatur. Hinc etiam contingere potest, ut, si intensio amoris erga rem personæ alicui contrariam nimis prævaleat, ex amore erga rem extraneam nascatur contemtus directus personæ, quæ rei tali adversatur, ceu affectus imperatus ab imperante. Demum tam honor quam contemtus indirectus ex duplici relatione rei ad personam aliquam nasci potest; *primo* ex relatione solius similitudinis, aut dissimilitudinis rei cum perfectione & amabilitate personæ eiusmodi; *deinde* ex relatione nexus eiusdem cum bono, vel malo, eiusdem. Sic personas amicis nostris moribus similes hoc solo nomine amamus, & hoc ipso amore revera amicos ipsos honoramus; odimus vero etiam eos, qui sunt eisdem dissimiles, ob ipsam dissimilitudinem semel animadversam. Vicissim lucri & amoris proprii caussa faciendo rem aliquam cum damno aliorum licet connexam, si conscii sumus damni istius alieni secuturi, etsi hoc directe non appetamus, nos quidem istis præferentes honoramus, at istos pro nobis hoc ipso indirecte contemnimus: qui quidem contemtus an iustus sit, an iniustus, ad definitionem contemtus in genere nihil attinet.

** Ceterum notiones istæ quanti momenti sint, quantique intersit eas quam maxime præcisas dari, ex eo intelliges, si advertas, totius iuris naturæ principium in eis contineri. Evidens enim est, a Deo, qui solo amore benevolentiæ & gloriæ suæ caussa omnia creavit (§.108), *iure naturæ* (i. e. prorsus necessario) non nisi eas actiones *præceptis affirmativis* præcipi debere, quæ & quatenus sine eius contemtu aliquo omitti omnino non possunt, nec nisi eas *præceptis negativis* necessario prohiberi, quæ natura

suæ

sua aliquem Dei contemtum, directum, vel indirectum involvunt: quippe quod hæ actiones & omissiones omnes ac solæ fini creationis ultimo recta opponantur (§.cit.). Unde & omnis quæstio iuris naturæ circa eiusmodi præcepta revera non nisi ex hoc principio clare & velut a priori decidi potest, componendo videlicet naturam actionis, vel omissionis cuiusque, secundum omnimodas determinationes suas spectatæ, cum notione data contemtus directi & indirecti.

§. 172.

Tam bonum, quam malum morale, ab eodem agente libero peractum, varie aspectari, seu attendi, potest, illud quidem sub consensione varia, istud sub varia dissensione vel oppositione, cum bono essentiali, vel accidentali, aut personæ ipsius agentis tale morale bonum, vel malum, aut personæ alterius creatæ, aut ipsius entis increati, videlicet ipsius Dei. Itaque 1. attendi potest consensio boni moralis præcise cum ipsius id agentis (§. 111.) bono absoluto tam essentiali quam accidentali (§. 110), ac vicissim attendi potest oppositio vel dissensio mali moralis præcise cum ipsius id agentis bono absoluto tam essentiali quam accidentali (§. 164.): atque isthæc consensio boni moralis cum bono agentis ipsius absoluto vocatur *bonitas boni moralis naturalis absoluta*, dissensio vero mali moralis ab eodem vocatur *malitia mali moralis naturalis absoluta.*

2. Attendi potest connexio boni moralis ab uno agente peracti cum bono absoluto essentiali vel accidentali subiecti vel personæ alterius, eoque intrinseco, vel extrinseco (§.216.Psych.), quoad istius existentiam, & isthæc *bonitas boni moralis naturalis respectiva*, conformiter dictis §§. 85. 195. Ont., appellatur; sicuti vicissim *malitia mali moralis naturalis*

lis respectiva, dicitur connexio mali moralis ab uno subiecto libere perpetrati cum malo absoluto subiecti vel personae alterius, intrinseco, vel extrinseco, quoad existentiam eiusdem. Inde id genus *malum pernitiosum* vulgo dicitur. Vide §§. 131. 168.

3. Attendi potest consensio similitudinis (seu identitas rationis, formalis &c. §. 129. Ont.) boni moralis, absoluti, vel respectivi (n. 2. hic), cum bono seu perfectione absoluta Dei, seu ipsius entis increati & infiniti, praecise quoad determinationes boni ipsius moralis rationi proprias; & haec *boni moralis bonitas metaphysica Theologica* dicitur, *physica Theologica* vero quatenus eiusdem existentia cum bonitate Dei respectiva, & perfectissimo amore benevolentiae erga creaturas rationales consentit. Vicissim *malitia mali moralis Theologica metaphysica* appellatur eiusdem determinationum formalium dissimilitudo cum essentiali perfectione infinita Dei, *Theologica malitia physica* vero dissensio existentiae eiusdem a bonitate Dei respectiva & perfectissimo amore benevolentiae &c. Utraeque hae malitiae naturalis & Theologicae species praeterea in *mere negativas*, & in *positivas*, subdividi possunt pro diversitate mali moralis vel mere negativi, vel positivi.

* Vulgo utramque istam bonitatem & malitiam tam Theologicam quam naturalem *obiectivam* seu *materialem* vocare solent; quia instar obiecti se habent respectu malitiae formalis qua talis, quae per illius cognitionem praeviam immediate in actum moraliter bonum vel malum introducitur, de qua statim. Alii *metaphysicam* illam bonitatem & malitiam Theologicam etiam vocant *obiectivam fundamentalem* & *remotam*, quia ratio & motivum est, cur Deus bonitate sua respectiva existentiam talis boni aut mali moralis velit aut nolit; *physicam* vero bonitatem & malitiam Theologicam vocant bonitatem *obiectivam, proximam, completam, immediatam* &c.

** Non

** Non eſt, cur turberis, amice lector, dum agentem me de bonitate & malitia Theologica obiectiva tacere advertis de *lege Dei*, & actus conſenſione vel diſſenſione cum eadem. Nondum id affirmare locus iſte permittit atque ordo veritatum. Erit haud dubie infra (§. 732.) demonſtrandi locus, ipſam Dei legem quamcunque non niſi actum quemdam perfectiſſimæ benevolentiæ erga creaturas rationales conficere: ex quo intelliges, id ipſum, quod tu vis, iam prorſus iſthic, etſi aliis verbis, & implicite, affirmatum a me fuiſſe

4. Quatenus actus moraliter bonus, vel malus, cum certa cognitione cuiusque ex iſtis bonitatis, vel malitiæ, diverſis rationibus & ſpeciebus huc usque explicatis perpetratur, eatenus etiam formaliter bonus dicitur. Ut adeo *bonitas formalis*, & *malitia formalis* actus moraliter boni, vel mali, ſit ipſa connexio eiusdem cum cognitione bonitatis & malitiæ eiusdem aut mere naturalis, & materialis, ſeu abſolutæ, ſeu reſpectivæ, aut etiam Theologicæ, eiusque metaphyſicæ, & phyſicæ, mere negativæ, vel poſitivæ. Unde pro diverſa cognitione eiusmodi prævia ſpectata etiam *bonitas formalis* alia erit *mere naturalis*, alia *Theologica*, & hæc rurſus alia *mere negativa*, alia *poſitiva*.

5. Denique ipſa *moralitas boni, vel mali*, cuiuscunque, ſeu naturalis, ſeu Theologici, qua talis in ſola libertate indifferentiæ conſiſtit, qua id genus bonum, vel malum, ab agente perpetratur; ut vel ex definitione boni & mali moralis in genere (§. 111.) evidens eſt; cum ſecus bonum & malum mere phyſicum a morali non differret.

* Methodi & profundioris rerum metaphyſicarum indaginis inaſſuetis prolixas & oppido inutiles ſubtilitates ac diviſiones ſectari hoc paragrapho, imo & toto iſthoc capite videbor. Sed qui mentis obtutum longius promittunt,

tunt, advertent gravissimarum veritatum ac quæstionum totius Ethices & Iuris Naturæ genuini semina hic spargi, simulque non nisi talia hoc loco dici, sine quibus mox sequentium Articulorum summi momenti assertiones cum demonstrationis iusta luce inferri nequaquam possent. Ut præiudicium utcunque e mente tollas, siquo circa dictorum inanitatem occuparis, amice lector, attende sis, me hic præcipue datam in Præfatione partis istius fidem solvere. Memineris, multos Iuris Naturæ Doctores, a Wolfio (præter istius ipsius mentem, nî fallor) & Puffendorffio seductos, sola actuum nostrorum bonitate & malitia naturali, seu materiali (hic n. 1. & 2.), attenta, legec ac dogmata naturæ moralia deducere, omissa omni ad Deum eorundem actuum relatione, nec ulla Theologicæ bonitatis & malitiæ facta attentione. Ex qua reflexione neglecta tanta illa confusio & dissensio doctrinæ inter ipsos & Theologiæ altioris Doctores in gravissimis quæstionibus exoritur, e. g. de consiliis & legibus divinis, ad Ius Naturæ spectantibus; de regula moralitatis actuum humanorum; an iure naturæ teneamur universe ad id, quod est perfectius; an dentur actiones indifferentes &c. &c. Senties quoque, si intimius advertere animum volueris, ea principia metaphysica hic demum minutim evolvi, a quibus plurima Theologiæ moralis dogmata, atque inprimis celeberrima illa Probabilissimi controversia pendit; quæ haud dubie distinctiorum principiorum metaphysicorum defectu huc usque indecisa permansit: id quod luce clarius probant argumenta ultro citroque vulgo non nisi apogogica aut a posteriori, & vix unquam satis dilucide a priori & cum ostensione (§§. 279. 280. Log.) allata. Sed demum extra rhombum omnis hic labor esset, nisi etiam ad præsens hoc meum institutum prorsus necessarius esset; cuius propositum est ex bonis & malis huic mundo tam in præsentis quam futuræ vitæ statu propriis de eiusdem bonitate statuere, utrum talis sit, ut Deus pro suo amore benevolentiæ infinite perfecto erga creaturas ratio-

rationales eiusdem incolas illum absoluta necessitate condere debuerit. Insuper vero hæc eadem principia hic stabilita non minus absolute necessaria sunt ad Dei bonitatem respectivam, Sapientiam, Providentiamque, contra Atheorum cavillationes inferius distincte vindicandam, quod iam supra §. 111. not. 2. monui.

§. 173.

Prout quisque in electione boni moralis, vel in fuga mali moralis, ad diversam illius bonitatem obiectivam, vel istius obiectivam malitiam reflectit (§. præc. num. 3. not.), *ad naturalem scilicet vel ad Theologicam* (§. præc. num. 1. 2. 3.); *ita in electionis bonitate formali* (ibid. n. 4.) *honor practicus* (§. 171.) *nunc naturæ ac personæ propriæ, nunc alterius creaturæ rationalis* (§. præc. n. 2.), *nunc ipsius Dei, eiusdemque vel bonitatis ac perfectionis absolutæ, vel respectivæ, intervenit; siquidem electio boni, aut fuga mali, id genus bonitati obiectivæ ut motivo suo innitatur.* Est enim honor practicus amor complacentiæ eximius (i. e. talis, quo unum bonum ceu maius alteri præfertur) vel odium erga rem aliquam conceptum, sed aliquo modo imperatum & ortum ex amore complacentiæ erga personam aliquam, sive ob similitudinem aut connexionem talis rei cum bono personæ intrinseco, sive ob dissimilitudinem aut connexionem cum eius malo, idemque efficax (§. 171.), id est, actualem rei talis electionem & fugam ex motivo illius similitudinis aut oppositionis determinans. Atqui bonitas quævis obiectiva non est nisi id genus similitudo, malitia vero quævis obiectiva non est nisi id genus oppositio, vel cum natura & persona propria (§. præc. n. 1.), vel cum alia creatura rationali (§. cit. n. 2.), vel cum ipso Deo (§. cit. n. 3.) cuius apprehensione simul, atque ex eo, quod eadem rationem motivi habeat, bonitas formalis consurgit (§. cit. n. 4.). Ergo revera prout quisque &c.

§. 174.

§. 174.

Vicissim prout quisque in electione mali moralis, vel in fuga boni moralis, ad diversam illius malitiam obiectivam, vel istius bonitatem obiectivam reflectit (§. 172. n. 3. not. 1.); *ita in malitia formali talis electionis* (ibid. n. 4.) *contemtus indirectus practicus nunc naturæ & personæ propriæ, vel alterius creaturæ rationalis, nunc ipsius Dei, eiusque bonitatis ac perfectionis absolutæ, vel respectivæ, intervenit.* Est eadem ratio, quæ §. præc. nisi quod ad contemtum indirectum non requiratur, ut mali moralis obiectiva malitia, & bonitas contemta boni moralis, rationem motivi habeat respectu eius electionis, aut fugæ istius, uti ex §. 171. & eiusdem not. 1. patet.

§. 175.

I. *Patet ergo, quemcunque sufficiente notitia Dei, finis creationis suæ, & malitiæ Theologicæ, quæ malo morali inest, instructum, quoties malum morale sciens ac volens admittit, toties Dei bonitatem absolutam & respectivam saltem indirecte & practice contemnere, atque in isto ipso contemtu formalem malitiam mali moralis præcipue consistere.*

II. Sicut maior est oppositio contraria, quam contradictoria tantum; ita gravior ceteris paribus est contemtus practicus, quo ut bona appetuntur, quæ positive contraria sunt iis, quæ alteri personæ insunt, quam quo solum ob difficultatem non appetuntur ea, quæ in ratione boni cum eiusdem personæ bonitate consentire noscuntur; id est *maior multo per se loquendo est contemtus indirectus practicus Dei in electione mali moralis positivi, quam mere negativi* (§. 112.) *sive quam in fuga & omissione solius boni.*

* Divisio nempe mali moralis negativi & positivi *fundamentum* est illius *divisionis præceptorum Dei* ad ius naturæ pertinentium *in affirmativa & negativa.* Præsens vero

ro Corollarium II. fundamentum est illius celebrati inter moralis disciplinæ asseclas asserti, quo dicuntur *præcepta negativa* (i. e. malum positivum prohibentia) *obligare semper & pro semper, affirmativa vero obligare quidem semper, at non pro semper.*

§. 176.

III. Cum omne bonum creatum, tam essentiale, quam accidentale, quatenus bonum est, similitudo quædam sit & participatio boni increati (§§. 116. 129. Ont.) eaque finita; maius idem vel minus esse, adeoque gradus habere potest; quo plures nimirum rationes & notas boni de ente infinito & increato participat. *Igitur* etiam *malum morale tam negativum quam positivum, quodlibet intra suam sphæram* (§. præc. II.) *suos rursus magnitudinis gradus habebit, pro diversa scilicet magnitudine boni creati, & increati obiectivi, naturalis, vel Theologici* (§. 172.), *cui quoad existentiam opponitur.* 2. *Hoc ipso vero etiam contemtus Dei indirectus erit maior in electione mali moralis maioris quam minoris, & in fuga boni moralis maioris quam minoris; si cuiusque magnitudo iuxta atque oppositio cum Dei bonitate absoluta & respectiva rite cognoscatur.* 3. *Quo maius est bonum, quod Deus pro amore suo benevolentiæ perfectissimo* (§. 92.) *i. e. bonitate sua respectiva, creaturæ rationali instar beatitudinis ac finis ultimi actu vult; eo maior hoc ipso etiam & gravior erit contemtus eiusdem Dei, quem creatura rationalis admittet libere eligendo malum morale, quod substantiæ toti eius boni a Deo sibi benevole voliti vel per se, vel per accidens aut quocunque demum modo opponitur.*

* Principia hæc universæ mali moralis malitiæ definiendæ deinceps apprime serviunt, in quocunque, naturali; aut supernaturali, statu atque ordine homo a Deo fuerit constitutus. Quanta autem illa sit singillatim in statu præsente, quem esse supernaturalem ex Dei revelatione discimus, non huius loci nec Theologiæ naturalis proprium est definire.

IV. *Viciſſim ergo & honor Dei practicus, qui in electione boni moralis Theologice formaliter talis ſemper intervenit (§. 173.), eo maior erit, quo minor eſt ſimilitudo eius boni cum Dei perfectione, & quo ſimul maius eſt bonum creatum Deo oppoſitum, cui illa præfertur; ac demum quo maior difficultas ſimul ac promtitudo amoris, qua prælatio illa executioni reipſa mandatur* (§.171.)

ARTICULUS III.

DE FUTURO ALTERIUS VITÆ STATU, & HUIUS PRÆSENTIS VITÆ STATUS AD ILLUM SUBORDINATIONE.

§. 177.

Beatitudo vera actualis cum eo præſentis vitæ ſtatu, in quo libertas completa ad malum morale, præſertim poſitivum, perdurat, componi nequaquam poteſt. Beatitudo enim vera actualis ſtatum præſentem completæ felicitatis importat, i. e. talem, in quo voluptatis veræ ſeu omnimodæ perfectionis intuitus tam completus perduret, ut iam creſcere in præſens nullo pacto queat (§. 84.). Atqui ſtante libertate completa ad malum morale, præſertim poſitivum, quæ in præſente vita aſſidua perdurat, nec vera voluptas in creatura rationali unquam ſine tædio extare, multoque minus perdurare poteſt; tum quod ipſa facultas libera completa ad malum morale poſitivum ſit verum malum phyſicum (§. 137.), cuius proin intuitus præſens vero tædio carere non poteſt (§. 205. Pſych.); tum quod ab inductione frequentiſſima conſtet, ex eadem libertate mala moralia poſitiva reipſa omni momento in hoc mundo conſequi (§. 145.), tam noſtræ (§. 165.), quam alienæ felicitati contraria (§. 168.): frequentiſſima autem id genus inductio præteritorum ſimilium eventuum ex cauſſis ſimilibus exortorum valde probabilem metum, & periculum certum,

tum, similium deinceps quoque ex permanente semper eadem caussæ dispositione secuturorum conficit (§. 334. Log.). Vera ergo beatitudo actualis cum libertate completa & præsente statu istius vitæ componi nequaquam potest; etsi felicitas qualiscunque ex boni moralis frequentatione nata ex ipso usu una cum istius facilitate crescere semper possit (§§. 127. 129.).

§. 178.

Deus fine creationis ultimo & adæquato sic frustrari non potest, ut illum omnino non consequatur; i. e. fieri non potest, ut nullæ creaturæ rationales beatitudinem veram, cum Dei gloria coniunctam (§. 105.), reipsa unquam consequantur; cuius tamen unius caussa, ceu finis ultimi & adæquati, unice omnia Deo creata sunt, & creari potuere (§§. 95. 108.). Si enim id fieri posset, vel ideo fieret, quod Deus eas vere beatas reddere non posset, vel quod nollet, vel quod illæ eiusdem beatitudinis non essent capaces. Atqui capaces sunt; cum beatitudo non sit nisi completa felicitas tanta, quantæ creatura rationalis est capax. Potest quoque Deus ob vim agendi ad extra infinitam, i. e. omnium possibilium per se effectricem (§. 75.). Vult, ob amorem benevolentiæ perfectissimum (§§. 92. 94.).

§. 179.

Beatitudo vera saltem aliquarum creaturarum rationalium, cuius (ceu finis ultimi) caussa Deus mundum hunc ceteraque omnia creavit, in alia quadam futura vita, seu in statu quodam animarum rationalium a præsente diverso, evenire evidenter debet. Evidens enim est, Deum unico creationis totius ultimo fine plane frustrari non posse (§. præc.), qui haud alius plane esse potuit, quam beatitudo vera actualis saltem aliquarum creaturarum rationalium, a Dei ipsius gloria inseparabilis (§§. 108. 97.). Atqui finis iste

in præsente vitæ istius statu nunquam obtinetur; quippe in quo experientia uniformi teste neque libertas ad malum morale etiam positivum, neque ingens quædam malorum physicorum copia unquam reddere nos infelices desinunt (§§. 177. 168. 145.). Ergo, cum rationales animæ alioquin natura sua immortalitatis capaces sint (§. 225. Psych.) atque adeo alterius vitæ status solo salvo naturæ ordine etiam locum habeat; in alterius cuiusdam futuræ vitæ statu vera illa felicitas aliquarum saltem creaturarum rationalium reipsa evenire evidenter debet.

§. 180.

Effectus decere ens intellectu præditum dicitur, si cum eius perfectione essentiali volitio talis effectus in ratione boni consentiat, *dedecere* econtra, si cum eadem non consentiat (§. 89. IV. Ont.).

§. 181.

I. *Deus non potest facere, quod ipsum dedeceat.* Non enim potest volitionem malam, seu cum bonitate sua infinita non consentientem, concipere.

II. *Deus omne id facit, quod sic ipsum facere decet, ut eius contradictorie oppositum dedeceat.*

§. 182.

Beatitudo illa, ad quam in altera quadam vita aliquas saltem creaturas rationales Deus evidenter admissurus est, sine fine æternum duratura est. Evidens enim est ex §. 179. aliquas saltem creaturas rationales, in altera quadam vita superstites, beatitudine vera reipsa frituras. Ex altera vero parte sensus communis is omnibus gentibus & populis semper inditus fuit, quod, si aliqua alterius vitæ felicitas revera a Deo concedenda animis hominum sit, eadem æterna futura sit. Sensus iste communis cum experientia niti nequeat (§§. 284. 286. Log.); vel

a ratio-

a ratione sufficiente huius ipsius veritatis de felicitatis futuræ æternitate saltem confuse a nobis percepta (secundum dicta §. 285. Log.), vel certe ex indito nobis ab ipso Deo speciali instinctu (iuxta §. 286. Log. not. 2.) nasci debet. Quæcunque ex his duabus illius origo reipsa sit, verum esse eundem oportet per dicta §. 287. Log. Porro confuse affulgens ratio sufficiens, quæ communem illum sensum nobis persuadeat, ista haud dubie est. Nimirum Deus pro fine creationis, ad quem amore perfectissimo benevolentiæ (§. 92.) præcise erga creaturas rationales fertur, non nisi veram & completam, quantæ capaces sunt, felicitatem habere potest; qualis non est, nisi in qua vera voluptas sine iacturæ periculo perdurat (§. 89.): videlicet eo, quod velle felicitatem suis creaturis rationalibus incompletam, i. e. non sine fine duraturam, Deum dedeceat, nec cum illius perfectione absolute infinita, aut certe cum bonitate respectiva infinita, id consentiat (§§. 53. 90. 92.). Atqui Deus facere non potest, quod ipsum dedecet; semper autem facit, quod sic eum decet, ut oppositum dedeceat (§. citt.). Ergo, siquidem aliquando Deus hominem felicitatis caussa creare voluit, veræ ac sine fine perduraturæ felicitatis caussa eum creare debuit.

* Non deduco equidem æternitatem futuræ felicitatis ex merito rationalis creaturæ tanquam præmium a Deo debitum: quæ probatio mihi nunquam solida est visa; cum præmium naturaliter a Deo debitum obligationem quamdam non immediate liberam ex parte Dei adversus creaturam suam importet; quod cogitare absurdum mihi videtur. Sed infero æternitatem illius felicitatis ex perfectione Dei infinita, tam respectiva, quam absoluta (§. 85. Ont.); vi cuius Deum decet, si bonus nobis esse vult, ut non nisi verum & perfectum bonum nobis velit; quan-

tum scilicet ab ipso pendet, ut verum & completum potius, quam non verum & incompletum bonum sit, quod nobis velit. Atqui ut æterna, vel non æterna sit nostra felicitas, ad quam nos creando destinat, præcise ab ipso pendet.

** Nec erit periculum, ut inde sequatur, Deum optimum mundum hoc ipso non posse non creare. Ostendam enim infra falsitatem istius sequelæ ex peculiaribus rationibus, quæ isthic locum non habent.

*** Quod attinet sensum communem allegatum; expensis iis, quæ iam §. 283. Log. præsertim Coroll. V. VI. & VII. item §. 288. Log. monui, haud puto facile quemquam fore, qui existentiam illius neget. Interim hanc ipsam thesin alias, cum Dei bonitatem respectivam infra ex proposito contemplari dabitur, etiam distinctius demonstrabo tum §. 550. tum §. 728.

§. 183.

Finis aliquis esse debuit Deo, cur vitæ præsentis statum, cum vera felicitate, quæ finis ultimus creationis est, immediate incompossibilem (§. 177.), *ante statum ipsius veræ felicitatis rationalibus creaturis conferendæ præcedere voluerit.* Patet ex notione finis §. 267. Ont. tradita, & ex eo, quod Dei voluntas nec aliquid sine motivo (§. 307. Psych.), nec nisi bonum velle possit (§§. 232. seqq. Psych.).

§. 184.

Finis ille, quem Deus, huius vitæ præsentis statum prævium ante statum felicem alterius constituendo, immediate intendit, non ipse est finis ultimus, sed fini ultimo instar medii subordinatus. Quidquid enim Deus creando constituit, felicitatis illius caussa, quæ finis ultimus est, constituit (§. 95.), tanquam medium illius a priori connexum (§. 94. & 267. Ont.), atque adeo tanquam finem immediatum quidem, sed non ultimum (§. 267. Ont.), h. e. ceu finem

fini

fini ultimo subordinatum. Idem ergo de fine immediato præsentis vitæ status tenendum.

§. 185.

Ratio medii ad finem ultimum, seu ad ipsam veram beatitudinem vitæ venturæ, in hoc toto præsentis vitæ statu remote in completa libertate voluntatis humanæ, proxime vero in actuali bono usu eiusdem consistit (§§. 257. 159.). Mundus enim corporeus totus, ipsumque corpus proprium cuiusque hominis, non nisi caussæ instrumentales (quippe mediantibus solis ideis sensualibus, ceu suis effectibus, influentes), & incompletæ sunt respectu boni moralis, atque adeo etiam respectu ipsius felicitatis humanæ (§. 159. 160.), simulque fini illi totius creationis ac voluntatis divinæ resistere non possunt (§. 162.). At contra voluntas libera, ceu facultas completa utendi toto reliquo mundo (§§. 157. 158.), est caussa principalis boni & mali moralis; quorum illo finis iste proxime promovetur, hoc autem, ceu contrario suo, impeditur (§§. 165. 167.); simulque sola resistere fini huic ac Dei voluntati potest (§. 162.). Aptitudo ergo, seu ratio medii (§. 267. Ont.) remota (§. 243. Ont.) determinandi ea, quæ in hac vita finem illum promovent, & impediendi ea, quæ eidem recta opponuntur, in completa voluntate libera, proxima vera, sive illa, qua finis ille actu obtinetur, in ipso actuali bono usu libertatis completæ consistit.

§. 186.

Vera beatitudo alterius venturæ vitæ longe maior, bonumque multo maius, futura est, si per modum boni moralis, i. e. ex libero bono usu voluntatis tanquam medio, ac ceu effectus libertatis, creaturis rationalibus obveniat: quam si a solo Deo citra medium libertatis ceu bonum mere physicum eis conferatur. Sequitur id ex §. 132.; cum etiam felicitas omnis utique non essentia-

ſentiale, ſed accidentale bonum creaturæ rationalis ſit.

§. 187.

Medium phyſice ſufficiens reſpectu finis voco, quod *cum neceſſitate phyſica* eſt (§. 141.) cauſſa phyſica (§. 264. Ont.) completa finis tanquam ſui effectus; contra *medium morale ſufficiens reſpectu finis* appello, quod cum neceſſitate ſolum morali (§. 146.) eſt ſolum iſtius cauſſa moralis (§. 265. Ont.), per ſe tamen ſufficiens, i. e. ſufficienter movens ad agendum.

§. 188.

Mundus iſte totus, & ipſa libertas naturalis completa, quamcunque bono voluntatis uſui coniuncta, non poſſunt ſe ſolis eſſe medium proximum phyſice ſufficiens ad conſequendum finem creationis, i. e. ad beatitatem veram creaturarum rationalium etiam in alterius cuiusdam vitæ ſtatu ſequente obtinendam. Neque enim mundus corporeus ſecundum ſe per vires omnes ſuas naturales ſufficit malis phyſicis tollendis; quippe quæ ex ipſis malis eiusdem eſſentialibus neceſſitate phyſica conſequuntur (§§. 117. 121. 141.), atque adeo nullo miraculo interveniente, ac ſolis naturæ viribus, tolli non poſſunt: neque quamcunque bonus libertatis uſus, etſi malum morale tollat ex proprio ſubiecto, idem tolleret hoc ipſo ex omnibus (§. 168.); & ſi ex omnibus tolleret malum morale, tamen eſſentiam mundi corporei non mutare poteſt, nec adeo mala phyſica ingentia huic mundo propria nec moralia mala aliena nobis noxia phyſice unquam auferre (§. 145.). Atqui etiam mala phyſica cum vera felicitate actuali ſimul componi nequaquam poſſunt. Itaque mundus iſte totus &c.

* Minime vero idcirco ſequitur, alio quodam perfectiore ordine phyſico mundi conſtituto a Deo, mala phyſica ob perfectiores rerum eſſentias non ita tolli poſſe, ut accedente conſtanter bono uſu libertatis creatura rationalis

lis ad veram beatitudinem etiam per vires naturæ, ceu per medium physice sufficiens, pervenire posset; ut ex §§. 117. not. 127. 129. patet. De solo itaque mundo præsente isthæc assertio intelligi debet.

§. 189.

Bonus libertatis usus, in hac vita a creatura rationali factus, est medium morale sufficiens ad consequendam veram beatitatem alterius vitæ, ceu finem creationis ultimum. Est enim medium præcipuum, huius vitæ præsentis statui proprium & proxime sufficiens ad consequendam alterius vitæ beatitatem ac creationis finem ultimum (§. 185.), estque simul medium sufficiens absolute; quippe cui effectus ipse, nempe actualis beatitatis in vita altera consecutio evidenter respondebit (§. 179.). Iam vero, cum non sit medium physice sufficiens ad eam instar caussæ physicæ efficiendam (§. præc.), aliud non superest, quam ut sit medium sufficiens instar caussæ intentionalis (§. 264. Ont.), sive moralis, sive idealis, sive occasionalis, sive finalis (§. 265. Ont.). Iam vero non est caussa finalis, hæc enim movet præcise ad productionem sui ipsius (§. 267. Ont.). Neque est caussa idealis, hæc enim movet ad effectum sibi assimilandum (§. 269. Ont.); beatitudo autem vera non potest esse similis actibus vitæ præsentis, semper cum difficultate ac tædio coniunctis. Nec est caussa mere occasionalis; quia haud dubie bonus libertatis usus ipsa sua bonitate Deum ad tribuendam nobis alterius vitæ beatitatem movet, mediumque est ad felicitatem illam ceu finem; quod caussæ occasionali non est proprium (§. 266. Ont.). Nihil ergo superest, nisi ut moveat instar caussæ moralis (§. 265. Ont.) i. e. sic, ut cognitio ipsius bonitatis eiusdem ut existentis actu Deum, ceu caussam efficientem intellectu infinito rerum omnium præditam, moveat ad efficiendam vi sua

agendi ad extra pariter infinita (§. 75.) ipſam veram creaturæ ſuæ rationalis completam felicitatem. Iam vero talis cauſſa moralis a me dicitur medium morale ſufficiens reſpectu iſtius finis, nimirum beatitatis futuræ in vita altera (§. 187.). Ergo bonus uſus libertatis &c.

* Utrum idcirco *beatitudinem* ipſam alterius vitæ *naturalem* vi ſolius luminis naturæ dicere oporteat; an vero *ſupernaturalem*; eo quod vires activas naturæ totius præſentis excedat; non diſputo. Ipſa enim Dei revelatio docet, in præſente rerum ordine eſſe ſupernaturalem. Vide §. 288. Coſmologiæ. Sufficiet id oſtendere, poſito bono uſu libertatis Deo ab ipſa natura ſua, & ab auctoris naturæ præſentis creatæ officio libere ſuſcepto, neceſſitatem imponi creaturæ rationali, libertate ſua conſtanter bene utenti, huiusmodi boni uſus tanquam cauſſæ moralis intuitu felicitatem ipſam conferendi.

§. 190.

Voluit Deus actu, ut beatitudo vera vitæ alterius ſetuturæ, quam ipſe ceu cauſſa efficiens phyſica creaturis rationalibus daturus eſt, a bono uſu libertatis, quem illæ in præſentis vitæ ſtatu facerent, tanquam a medio morali ſufficiente, dependeret. Debuit enim Deus habere *immediatum* finem aliquem, cur vitæ præſentis ſtatum, cum vera beatitudine per ſe immediate incompoſſibilem, ante ſtatum illum alterius futuræ vitæ cum ipſa beatitate immediate coniunctum præcedere voluerit (§. 183.); isque finis ipſe medii rationem habere debet ad finem ultimum, i. e. ad ipſam beatitatem veram vitæ alterius ſubordinati (§. 184.). Iam vero haud alia medii ratio iſtius vitæ præſentis ſtatui ineſt reſpectu illius finis ultimi, niſi quatenus bonus libertatis uſus (§. 185.) medium morale ſufficiens eſſe poteſt ad eam beatitatem reipſa obtinendam ab aliqua cauſſa illius effectrice, intellectu prædita, & virtute activa ſufficiente

ficiente instructa ad eam felicitatem completam creaturæ rationali intuitu boni usus libertatis ab ea facti reipsa conferendam (§. 265. Ont.); quæ caussa efficiens, cum alia nulla suppetat (§. 188.), est solus Deus (§. 75.). Voluit ergo Deus &c.&c.

§. 191.

Dedeceret Deum creaturæ rationali, in toto præsentis vitæ statu libertate bene utenti, veram beatitatem in alterius venturæ vitæ statu denegare. Quoniam enim Deus actu voluit, ut alterius secuturæ vitæ beatitudo creaturis rationalibus in præsentis vitæ statu prævio bono usu libertatis, tanquam medio morali sufficiente, ab ipsomet obtineretur (§. præc.) tanquam a caussa effectrice: si isthac voluntate insuperhabita tamen beatitatem ipsam post constantem bonum usum libertatis in hac vita factum creaturæ rationali nollet concedere, volitioni illi priori hæc nolitio posterior vel contraria omnino esset, vel saltem contradiceret. Atqui non consentiunt cum perfectione Dei essentiali volitiones & nolitiones inter se oppositæ circa eundem effectum. Dedecet ergo Deum &c. (§. 180.).

§. 192.

Posita creaturæ rationalis liberæ creatione, & bono usu libertatis ab ea per omnem præsentis vitæ cursum constanter facto, Deus veram beatitudinem in altera quadam ventura vita ei conferre omnino debet. Dedecet enim Deum hanc ei non conferre (§. præc.). Atqui Deus omne id facit, quod sic ipsum facere decet, ut oppositum dedeceat, ita, ut non possit non facere (§§. 180. 181.). Ergo posita creaturæ rationalis &c. &c.

§. 193.

Decebat Deum velle, ut beatitudo vera a creatura rationali mediante bono usu libertatis obtineretur. Est enim

enim beatitudo sic obtenta mediante bono usu libertatis, tanquam medio moraliter sufficiente, iam non merum bonum physicum, sed simul bonum morale creaturæ rationalis, ceu effectus libertatis (§. 111.), adeoque multo maius & æstimabilius tam in ratione boni respectu ipsius creaturæ, quam in ratione gloriæ respectu Dei (§. 132.). Atqui perfectioni essentiali ipsius Dei omnino consentaneum est, atque adeo decet Deum (§. 180.), velle maius creaturæ rationalis bonum, maioremque suam gloriam, tanquam propriæ beatitudinis suæ similitudinem (§. 101.). Ergo decebat Deum velle &c.

§. 194.

Promovere aliquem effectum est determinare existentiam mediorum sufficientium ad eundem producendum: *impedire effectum aliquem* est determinare existentiam sufficientium impedimentorum actionis eiusdem productivæ (§. 247. Ont.). Si media & impedimenta sint physice sufficientia, i. e. rationem caussæ efficientis physicæ completæ, vel impedimenti istius, habeant, *effectus* dicitur *promoveri, vel impediri, physice*: sin illa habeant rationem mediorum solum moraliter sufficientium ad determinandam, vel impediendam, existentiam effectus vel actionis liberæ (§§. 187. & 267. Ont.), *effectus promoveri,* vel *impediri, moraliter* solum dicitur.

§. 195.

Deus non potest bonum usum libertatis promovere mediis physice sufficientibus. Hæc enim constituunt caussam efficientem physicam completam (§. 187.), quæ necessitate physica antecedente coniuncta est cum suo effectu (§. 141. & §. 219. Ont.). Ergo hoc ipso tollerent libertatem physicam (§. 321. Psych.), adeoque & bonum usum libertatis, qui ab effectu libertatis non distinguitur (§. 157.).

§. 196.

§. 196.

Neque Deus necessario debet impedire mediis physice sufficientibus abusum libertatis. Decet enim Deum, ut velit beatitudinem a creatura rationali obtineri mediante bono usu libertatis: ergo etiam eundem decet non impedire physice ipsam libertatem. Atqui si mediis physicis impediret abusum libertatis, impediret hoc ipso physice libertatem ipsam; quippe quæ sine facultate immuni ab omni necessitate physica omittendi abusum dari non potest (§. 321. Psych.). Ergo hoc ipso etiam decet Deum, ut ipsum abusum libertatis mediis physice sufficientibus non impediat. Iam vero quod decet Deum, illud omittere utique necessario haud debet (§§. 180. 181.).

§. 197.

Decet vero omnino Deum bonum usum libertatis promovere mediis moraliter sufficientibus, & abusum eiusdem mediis similibus impedire. Abusus enim libertatis, quo malum morale in præsentis vitæ statu exoritur (§. 163. VII.), non solum præsenti beatitati ipsius creaturæ rationalis, malum morale agentis, atque aliorum etiam una viventium obstat, mala physica, & cum his ipsam necessitatem moralem in utrisque augendo (§§. 165. 170. 149.); qua a bono morali deinceps magis abstrahuntur, & trahuntur ad malum morale (§. 149.); sed etiam opponitur fini ultimo creationis, quem Deus actu intendit (§§. 167.), atque adeo voluntati divinæ, qua in præsens Deus vult, ut beatitudo vitæ alterius bono usu libertatis in vita præsente obtineatur (§. 190.); estque præterea contemtus gravissimus Dei eiusdemque bonitatis absolutæ & respectivæ (§. 174.); cuius gravitatis magnitudo, ex magnitudine boni, i. e. felicitatis veræ atque æternæ a Deo conferendæ, metienda est (§. 176. n. 3.). Tantum

porro

porro malum Deo, rerum omnium intellectione infinite perfecta prædito, non potest non pro tota sua magnitudine displicere (§. 105. Psych.): cumque nihil eidem malo per se boni insit, ratione cuius id positive velle Deus possit (§. 166.), idem vi perfectionis suæ essentialis infinitæ aversari debet, & pro aversionis suæ infinita efficacia seu vi agendi ad extra (§. 75.) impedire; non quidem physice, seu mediis physice sufficientibus eripiendo ipsam libertatem (§. 196.), sed mediis moraliter sufficientibus; atque similibus promovendo bonum usum libertatis illi malo oppositum, tanquam medium proximum ipsius finis ultimi (§. 190.). Itaque Deum omnino decet (§. 180.) bonum usum libertatis &c.

§. 198.

Media moraliter sufficientia ad bonum usum libertatis promovendum, & ad impediendum abusum eiusdem in vitæ præsentis statu, non sunt nisi motiva a malo morali absterrentia, & impellentia ad bonum morale; quæ tædia ex malo morali, & voluptates ex bono morali secuturas, ceu istorum effectus prævisos, eo gradu magnitudinis proponant, ut respectu ad omnes creaturas rationales earumque præsentem vitæ conditionem habito, ac præsertim spectata morali necessitate, qua actu ad malum morale trahuntur, & abstrahuntur a bono morali, in omni casu particulari sufficienter ad bonum morale alliciant, & a malo morali absterreant. Atque inprimis media moraliter sufficientia non esse nisi motiva, inde evidens est, quod medium moraliter sufficiens sit caussa moralis (§. 187.), h. e. bonum, vel malum, aliunde existens, vel extiturum, & mediante sui cognitione disponens, movens, ac ciens caussam efficientem boni moralis, & mali moralis, ad illud agendum, est istud omittendum (§. 265. Ont.). Atqui cognitio, sive intuitus distinctus boni & mali, motivi rationem habet (§. 231. Psych.). Porro

ut

ut motiva vim sufficientem in præsente humanæ conditionis statu habeant (§. 235. Psych.), eorum proportio ad difficultatem sufficiens esse debet, quæ in boni moralis exercitio ex magni tædii præsentis excessu nascitur, itemque ad facilitatem agendi, quæ in exercitio mali moralis ex magno excessu voluptatis præsentis oritur (§. 147.), h. e. ad necessitatem moralem, qua in præsens a bono morali abstrahimur, & trahimur ad morale malum (§. 148). Quoniam ergo præsens voluptas in actione moraliter mala longe maior quam in eius omissione, itemque præsens tædium in actione moraliter bona valde magnum, quin etiam in multis particularibus casibus utriusque excessus experientia teste magnopere ultra communem modum excrescit: ut motiva sufficientia universe sint respectu omnium creaturarum rationalium & pro omnibus particularibus casibus, tædia valde magna ex malo morali deinceps secutura, ceu illius prævisos malos effectus, & voluptates valde magnas ex bono morali deinceps secuturas, ceu item prævisos istius bonos effectus, & quidem eo magnitudinis gradu proponere debent, quo modo dictum est esse necessarium. Igitur motiva moraliter sufficientia &c.

§. 199.

Experientia vulgatissima constat, non solum malis mere physicis, & a libero hominum arbitrio minime pendentibus eos, qui bonum morale in hac vita constanter operantur, perinde premi, atque illos, qui semper malum morale agunt; sed etiam vulgo maioribus cum malis seu ex aliena libertate, seu etiam a solo naturæ ordine exortis, conflictari eos, qui constanter bene, quam qui semper male agunt. Non isthic de difficultatibus ac tædiis præsentibus solum in ipso boni moralis exercitio agitur, neque solum de præsentibus in ipso mali moralis exercitio illecebris, sed vel maxime de

de effectibus, qui boni & mali moralis exercitium constans tum vulgo ex parte alienæ libertatis, tum vero etiam ex parte cursus naturæ, comitari vulgo solent, quos in dies videmur faventiores esse in præsente vita mali sectatoribus quam boni.

§. 200.

Motiva sufficientia, a malo morali absterrentia, & impellentia ad bonum morale, quæ decet Deum suppeditare hominibus in præsentis vitæ statu (§§. 197. 198.), *non sunt bona physica & mala physica huic vitæ propria, seu quæ mere physica sunt, seu quæ ex boni & mali moralis exercitio ipso, seu quæ ex aliena libertate, consequuntur.* Prima enim bonis & malis saltem ex æquo communia sunt; ex alteris mala magis bonos, & bona magis malos in hac vita contingunt (§. præc.). Ergo bona & mala physica huic vitæ propria, si sola spectarentur, magis absterrerent a bono morali, & impellerent ad morale malum, quam contra, adeoque motiva sufficientia esse ad absterrendum a malo morali, & ad impellendum ad morale bonum, esse non possunt.

§. 201.

Sed neque ipsum bonum morale secundum se, nec malum morale secundum se præcise spectatum, motiva sufficientia esse possunt, si utriusque in hac vita sectatoribus beatitudo vera in vita altera secutura perinde & sine discrimine obveniat. Etsi enim bonum morale secundum se verum & absolutum bonum creaturæ rationalis sit, & malum morale verum & absolutum eiusdem malum metaphysicum (§. 131.): tamen voluptas præsens in malo morali multo maior, & multo maius tædium præsens in bono morali inest. Nisi ergo utriusque excessus per opposita maiora tædia & voluptates saltem deinceps prævisas, ceu ex utroque secuturas suo tempore, compensetur, reipsa maior infelicitas (§. 84.) in boni

boni moralis quam in mali moralis exercitio inesset. Et quoniam præsente vita durante inæqualitas ista nequaquam tollitur (§. 199.); si nec in futura melior bonorum quam malorum conditio esset, nequaquam sufficientia motiva nobis suppeterent bonum potius quam malum morale operandi. Igitur neque ipsum bonum morale secundum se &c.&c.

§. 202.

Necessitas moralis abstrahens a bono & trahens ad malum morale nimium quantum augeretur, si tam qui semper malum, quam qui semper bonum morale in hac vita operantur, alterius vitæ beatitate vera perinde essent potituri. Cum enim spectato solo tædio & voluptate, quæ exercitio ipsi boni & mali moralis insunt, iam necessitas quædam moralis a bono absterrens & trahens ad malum oriatur in hominibus universe in præsente statu (§. 140.); simulque huius vitæ bona magis malos sequantur, mala econtra magis bonos premere soleant (§. 199.): si in altera vita par amborum beatitas futura esset, nullum sufficiens motivum absterrens a malo & impellens ad bonum plane suppeteret (§. 201.). Pronum ergo ſerit, ut passim homines boni moralis exercitium negligant, & malum consectentur. Porro constat ex mali moralis frequentatione continuo nova mala physica ceu illius effectus consequi (§. 168.), quæ vulgo magis bonos quam malos premere solent (§. 199.). Boni ergo moralis exercitium ob maiora multo etiam in futurum prævisa ex eo secutura tædia semper difficilius, & exercitium mali moralis, ceu ab his magis immune, magis optabile evadet; atque adeo necessitas moralis a bono abstrahens, & trahens ad malum morale, nimiopere augebitur.

§. 203.

Motivum ergo sufficiens ad absterrendos homines a

malo morali, & ad eosdem impellendos ad bonum morale, aliud nullum ſuppetit, quam ſubtractio felicitatis totius in altera vita ſecuturæ, ſtatuta iis, qui malum conſtanter usque ad huius vitæ finem ſectantur, & eiusdem felicitatis completæ, ſeu veræ beatitudinis (§. 84.), *aſſecuratio iis facta, qui ſemper bonum morale operantur.* Patet ex §§. præc.

§. 204.

Decet Deum ſtatuere iacturam felicitatis omnis in vita futura pro malis, ſic, ut oppoſitum dedeceat. Cum perfectione enim Dei eſſentiali infinita pugnat, tum ut non omni efficacia congrua malum morale averſetur, nec mediis ſaltem moraliter ſufficientibus impediat (§. 197.) tum ut non ſufficientia motiva, i. e. media moraliter ſufficientia (§. 198.) ad bonum morale agendum ſuppeditet. Cum eadem pugnat, ut fortunæ abſolutæ deterioris eſſe bonos quam malos ſinat, ſpectata ſimul huius & futuræ vitæ conditione. Atqui omnia hæc ſequerentur; ſi improbis æque ac bonis futuræ vitæ felicitas obtingeret; ut patet ex omnibus a §. 199. hucusque demonſtratis. Ergo cum perfectione Dei eſſentiali pugnat, ut eandem improbis & malis decernat felicitatem veram alterius vitæ, quam decernit bonis (§. 192.), atque adeo ita Deum decet illos hac privare, ut oppoſitum dedeceat (§. 180.).

§. 205.

Ex iactura ſeu privatione felicitatis veræ in vita altera apud illos, qui libertate in præſente vitæ ſtatu ad malum conſtanter abuſi fuere, infelicitas poſitiva in vita altera per ſe & naturaliter conſequitur. Eſt enim poſitiva infelicitas ipſe poſitivus intuitus propriæ imperfectionis & mali accidentalis, tum mere phyſici, tum etiam ex malo morali præterito conſequentis, eiusdemque perpetuæ durationis immutabilis (§. 84.).

84.). Atqui talis intuitus naturaliter (i. e. vi legum naturæ perſeverantium, quales nunc ſunt) conſequitur eos, qui in præſentis vitæ ſtatu in malo morali operando conſtanter ad vitæ finem usque perſeverant. Etenim libertate ad malum morale perpetuo in hac vita abutentes, pravisque habitibus contractis, propius ſemper a morali ad phyſicam neceſſitatem volendi & agendi malum accedunt (§. 130.), &, cum anima rationalis natura ſua immortalis ſit, ſiquidem Deus, naturæ auctor, iſtius leges perpetuo conſervare pergat, in vita altera non niſi actiones malas, ſibi iuxta & aliis imperfectione ſua moleſtas (§. 170. & §. 205. Pſych.), exercere perpetuo pergent, atque adeo intuitu perpetuo & poſitivo tum defectus omnimodi omnium verorum bonorum, tum malorum ſuorum poſitivorum, vere & poſitive erunt infelices (§. 84.).

* Id genus hominum, a malitia morali ad phyſicam iam vere transeuntium, & in eadem confirmatorum, ſimulque omnis boni veri expertium, convictus in eodem loco quoad ſubſtantiam totum revera id eſt, quod nomine *inferni* (ignis vere ac proprie talis ſupplicio excepto) chriſtianæ religionis aſſeclæ intelligunt, quodque etiam gentiles Philoſophi ipſimet ſub hoc nomine intellexere; cum impios in inferorum ſedibus a furiis diſcerpi docuere.

** Utrum porro Deus reipſa velit tum improborum ipſas animas perinde, atque animas bonorum, in vita altera ſalvis omnibus naturæ iſtius mundi legibus pro ſenſu perpetuo infelicitatis propriæ conſervare; iſtud quidem inde pendet, utrum Deo finis aliquis dignus ſuppetat, cuius cauſſa iſtud ipſum velle divinam eius ſapientiam revera deceat: id quod mox decidemus.

§. 206.

Sola iactura negativa omnis felicitatis in altera vita, (qualis ſequeretur ex plena annihilatione animæ ra-

tionalis in ultimo vitæ huius momento) sine illius sensu positivo, h. e. sine infelicitate positiva, saltem ea, quæ naturaliter ex iactura privativa felicitatis consequitur (§. præc.), *non esset medium aut motivum moraliter sufficiens ad homines in hac vita absterrendos a malo morali.* Medium enim morale seu motivum sufficiens tale esse debet, ut cum necessitate morali, qua trahimur ad malum, h. e. cum excessu illo voluptatis præsentis, quæ mali moralis, & cum excessu tædii præsentis, quod bono morali inest, proportionem quamdam & æquilibrium conservet (§. 198.). Tale porro haud esse potest, nisi adversus mali moralis præsentes voluptates saltem item positiva quædam tædia futura, ac pariter adversus tædia boni moralis præsentia futuras positivas voluptates opponat, & quidem tanto maiora tædia futura, & tanto maiores futuras voluptates, quanto maiorem vim iam experientia comperta, atque insuper ex ipso præterito usu per phantasiam aucta voluptas præsens (§. 226. Psych.), ac tædium, præsens in animum exercent, quam voluptates ac tædia solum prævisa (§. 288. Psych.). Sola ergo iactura mere negativa felicitatis &c.

§. 207.

Decet Deum conservare animas rationales etiam eorum hominum post huius vitæ finem, qui in vita præsente constanter malum morale operati sunt; nec decet eum omnino eas annihilando impedire, quo minus in vita altera infelicitate positiva involvantur, quæ ex præsente vita semper male acta in futura vita naturaliter consequitur (§. 205.). Talis enim annihilatio & subtractio hominum malorum a sensu infelicitatis positivæ in vita altera universe statuta cederet in malum ac detrimentum tum ipsorum male agentium in vita præsente, tum aliorum bonorum. Siquidem neutris Deus sufficiens medium morale seu motivum sup-

pedi-

peditaret, quo ſtante neceſſitate morali ſibi innata (§. 148.) ſatis abſterrerentur a malo, & ſatis allicerentur ad bonum morale (§. præc.). Unde multo plures perſeverarent in malo morali operando; neque bene operantes ſatis defenderentur a malitia improborum (§. 170.). Atqui decet Deum media utrisque moraliter ad hos fines ſufficientia ſuppeditare (§. 197.), & quidem ſic, ut dedeceat favorem malis cum detrimento bonorum præſtare, imo cum detrimento multorum etiam male agentium, qui per infelicitatis poſitivæ metum abſterrendi a malo, & ad ipſam felicitatem veram vitæ alterius perventuri eſſent. Decet ergo Deum conſervare animas improborum etiam in vita altera, ac poſitivæ infelicitati ſuæ naturali eas reſervare, ſic, ut oppoſitum dedeceat.

§. 208.

Evidens ergo eſt, eas creaturas rationales, quæ in præſente vita conſtanter ad finem usque malum morale operantur, in vita altera ſecutura non ſolum omnis beatitudinis, quæ finis creationis ultimus eſt (§. 108.), *iacturam paſſuras, ſed poſitiva infelicitate eſſe cruciandas.* Conſequitur enim poſitiva hæc infelicitas naturaliter ex ipſa vita male acta & ex iactura omnis felicitatis veræ in vita altera (§. 205.); & ex parte altera dedecet Deum annihilando eas, aut vita omni privando, iſtam ſequelam impedire (§. præc.). Porro, quod Deum abſolute dedecet, id non facit (§. 181. I.). Evidens ergo eſt, eas creaturas rationales &c. &c.

§. 209.

Non dedecet Deum, 2. imo decet poſitive, non velle phyſice impedire durationem æternam infelicitatis poſitivæ creaturarum rationalium in malo morali usque ad finem huius vitæ perſeverantium, naturaliter conſequentem

 (§. 205.),

(§. 205.), *e. g. annihilando easdem post aliquod tempus quodcunque;* 3. *imo dedeceret eam velle impedire.* Namque 1. non dedecet Deum, neque dissentit a bonitate eius infinita, tam absoluta, quam respectiva, ut non velit physice impedire, ne malum physicum iis, qui malum morale obstinate cum bonitatis ipsius tam absolutæ quam respectivæ contemtu practico operantur (§. 174.), eveniat æquale illi bono creato, quod contemnunt, quoties libere malum morale operantur. Atqui sensus æternus positivus iacturæ totius felicitatis æternæ, i.e. infelicitas positiva æterna, quæ salvis naturæ legibus per se ex malo morali & iactura felicitatis illius consequitur, est malum physicum ad summum æquale (certe non maius) bono creato, nempe ipsi æternæ, seu participationi ipsius felicitatis divinæ (§. 101.) æternum duraturæ (§. 182.), quæ per mali moralis electionem constantem contemnitur (§. 176.). Tædium enim ex iactura boni maius esse non potest voluptate, quæ ex boni eiusdem intuitu præsente existit; etiamsi tædium cum æque distincto ac intensive claro intuitu boni amissi coniunctum esse supponat; id quod tamen possibile saltem naturaliter non est; eo quod secundum leges naturæ boni absentis cognitio nunquam tam clara (saltem intensiva claritate §. 81. not. 2. Log.) sit, quam eiusdem præsentis intuitus esse consuevit. 2. Imo vero decet Deum etiam positive, non velle physice impedire id genus malum physicum, bono libere contemto ad summum æquale, & naturaliter, atque ipsamet creatura rationali auctore eveniens, ceu medium aptissimum & maxime sufficiens ad eandem sui prævisione absterrendam a malo morali, atque adeo ad promovendam eandem ad ipsam æternam beatitudinem. Consentit quippe omnino cum ipsa Dei benevolentia, qua tum eam ipsam

ipsam vult positive beatam, tum qua vult, ut ne malitia sua felicitatem aliarum creaturarum rationalium una secum viventium impediat, aut difficiliorem reddat (§§: 170. 199.). 3. Denique omnino dedecet Deum velle id genus æternam malorum infelicitatem physice impedire, hoc est, eam impediendo improbis, & obstinatis in sua malitia, beneficium cum proborum periculo exhibere; qui ab impiorum insectationibus securi nunquam in hac vita sunt, si isti finem malorum sperare possint, quibus alioquin ob longam a se absentiam minus in præsentia commoventur; maxime quod probi ipsi in periculo sint, ne eisdem insectationibus succumbant, itidem ad malum declinando; nisi malorum futurorum æternitatis metu intra probitatis orbitam & ipsi contineantur. Quodsi argumenta hæc claritate sua demonstrationis indolem non plene attingere videantur; communis naturæ sensus, cunctis æque malorum quam bonorum alterius vitæ æternitatem persuadens, suppetias vocandus erit; cuius veritatem supra §. 182., tum locis ibidem citatis, abunde evicimus. Itaque non dedecet Deum &c. &c. Vide §. cit. not. 3.

* *Neque dicas*, haud sufficere ad æternitatis malorum in altera vita existentiam, quod Deus eam non velit impedire, sed opus fore positiva voluntate animas rationales etiam improborum perpetuo conservandi. Nam *respondes*. Voluntas eas conservandi perpetuo iam continetur, in ipsa voluntate creandi eas ex eo fine, ut æterna beatitudo eorum omnium consequatur, qui rite uti mediis ad eum finem concessis pro libero arbitrio voluerint. Igitur ut effectus ex hac voluntate supposito abusu libertatis, naturali lege consequens impediatur, alia positiva eum impediendi voluntate ex parte Dei opus erit; quam, aio, dedecere Deum, ut concipiat.

§. 210.

Itaque etiam ex solo lumine naturali æque propemodum certum est, infelicitatem positivam malorum in vita futura fore æternam, atque æternam fore beatitudinem bonorum. Quodsi enim dicta §. 182. & §. præc. rite perpendas, intelliges, ex sensu communi naturæ, & ratione decentiæ, sive ex eo, quod deceat, vel dedeceat Deum, utrumque ferme æquali claritate probari; nisi quod clarior pugnare ratio videatur, ut Deus perseveret semper esse bonus erga bonos ac probos, quam omnis positivæ benevolentiæ in perpetuum expers erga malos & improbos. Atqui reipsa tamen utrumque ens infinite bonum ex æquo decet; quod tam habere nullum benevolentiæ affectum erga eos convenit, qui libere se cum summo bonitatis ipsius contentu obstinarunt, ut essent mali; quam idem ipsum decet vere & sine mensura bonum esse erga eos, qui omni insuperhabita difficultate in ipso solo ceu felicitatis totius termino acquievere.

* Aliud istius rei argumentum ex ipsa natura & gradu demeriti improborum infra §. 733. subiiciam.

§. 211.

Permittere quis quid dicitur, si, quod ipsi ita displicet, ut id propterea nequaquam ipse velit existere, tamen, etsi probe prævideat citra suam voluntatem id aliunde eventurum, non vult impedire (§. 194.). Quodsi ideo non velit impedire, quia non potest, *permissio involuntaria* dicitur; *voluntaria* vero, si non velit impedire; tametsi posset.

* *Permissio* sequentia in mente eius involvit, qui quid permittere dicitur: 1. Prævisionem eventus alicuius aliunde sine nostro consilio futuri: 2. Displicentiæ odium de tali eventu: 3. Omissionem actionis contrariæ, qua id genus eventus impediretur, vel quod illa actio non sit in potesta-

te,

te, & tunc *involuntaria permissio est*; vel quod suppetant motiva eam omittendi, etsi in potestate esset; & tunc *voluntaria permissio* dicitur. 4. Omissionem omnis desiderii talis eventus, & omnis actionis eum promoventis, quæ post eius prævisionem, vel ante istam, suscipiatur eo fine, ut ille eveniat.

§. 212.

Porro quemadmodum actiones & effectus liberæ voluntatis impediri possunt vel physice, vel moraliter tantum (§. 194.); ita, cum quis, ceteris §. præc. positis iisdem, tantum non vult physice impedire *actiones & effectus liberæ voluntatis creatæ*, vult tamen eas impedire moraliter, *physice tantum, non item moraliter, permittere* eas dicitur. Contra *actiones liberas physice simul & moraliter permittere* ille dicitur, qui nec physice, nec moraliter, eas impedire vult.

* Ill. Wolfius ad præsentem divisionem permissionis advertere animum non potuit (Wolf. Theol. Nat. P. 1. §. 584.); quippe secundum cuius notionem libertas ad suos actus aliter quam physice determinari, aut impediri ab eisdem, nequit.

§. 213.

Deus voluntaria permissione physice permittit mala non solum mere physica, quæ videlicet sine dependentia a libero hominum arbitrio per solas leges naturæ eveniunt (§. 120.), *sed etiam mala moralia, tum mere negativa, tum positiva, uti & ea mala physica, quæ ex malis moralibus tanquam istorum effectus consequuntur* (§. 168.). Deo enim omnia isthæc mala, ceu intuitu infinite perfecto ab eo cognita (ut de Dei omniscientia infra demonstrabitur) ita displicent (§. 205. Psych.), ut eadem propterea ipse nequaquam velit existere (§. 166.); simul tamen non vult ea physice impedire (§§. 145. 196.), tametsi impedire posset (§§.

 122.

122. 138. seq.), atque actu per omniscientiam suam (infra demonstrandam aliunde) prævideat ea esse eventura sive ex malo essentiali (§. 117.), sive ex abusu libertatis (§. 163.), i. e. aliunde & citra suam voluntatem. Atqui hoc est eadem voluntarie physice permittere (§. 211.): ergo &c.

§. 214.

Deus tamen nullo pacto etiam moraliter permittit, nec potest sic permittere, mala moralia, & quæ ex his, ceu illorum effectus (§. 168.), consequuntur mala physica, sive respectu ipsius agentis malum morale, sive respectu aliarum creaturarum rationalium. Vult enim ea impedire, & actu impedit, mediis moraliter sufficientibus (§. 197.), decernendo pro iis, qui ea admittunt constanter ad vitæ huius finem usque, iacturam felicitatis veræ alterius vitæ (§. 204.), quin & positivam infelicitatem (§. 208.), eamque duraturam æternum (§. 210.); quæ esse media sufficientia, ut mediante sui cognitione (ceu caussæ morales, sive motiva §. 266. ont. & §. 198.) sufficienter absterrere quemcunque rationis usu præditum a malo morali insuperhabita etiam istius morali necessitate (§. 148.) possint, extra dubium est (§. 187.); ac certum præterea, Deum istiusmodi media moraliter sufficientia omittere ne quidem posse (§§. 197. 210.). Ergo Deus nullo pacto mala moralia & horum malos effectus moraliter permittit, nec permittere sic omnino potest (§. 212.).

§. 215.

Experientia æque certa ac tristis docet, multo plures homines ex terræ nostræ inquilinis universe sumtis ad vitæ huius finem usque constanter malum morale operari, quam bonum morale: quod vel inde constare cuique facillime potest; tum quod nemo sit, qui non multo maioribus & pluribus malis premi se videat, quas

ex

ex malitia hominum, seu libertatis abusu nascantur, quam malis mere physicis, quæ per solas leges naturæ determinantur: tum ex eo, quod omnium retro seculorum historia teste de bellorum iniuriis, de moribus integrarum gentium a belluarum indole non multum diversis, ex documentis irrefragabilibus compertum habemus.

§. 216.

Itaque ex hominibus huius terræ inquilinis universe sumtis certo certius plures sunt, qui non solum felicitate omni alterius vitæ excidunt, verum etiam; postquam nullam in hac vita unquam vera beatitate potiti sunt (§. 177.), *in vita futura positiva infelicitate ob mala moralia in præsente patrata mactabuntur* (§. 210.).

§. 217.

Deus actu permittit physice, non tamen moraliter, permissione voluntaria, æternam positivam infelicitatem multo plurimarum creaturarum rationalium in vita sequente eventuram. Posset enim illam impedire physice; hoc ipso, quod malum morale, ceu illius caussam, ex libertate completa, ceu malo physico, ortum (§§. 137. 163.), impediendo per miracula ipsam libertatem, impedire absolute posset (§. 138). Nec tamen vult illam impedire physice (§. 215.), sed solum media moraliter sufficientia ad eam impediendam adhibet, nimirum pro motivo boni moralis oppositi statuendo beatitatem æternam vitæ alterius, huiusque cognitionem per sensum communem naturæ nobis ingerendo (§§. 209. 210.). Interim nihilominus per se, & saltem virtute finis, quem creatione ultimum intendit, ipse non vult positivam illam malorum æternam infelicitatem, sed solum veram beatitudinem vitæ sequentis, bono usu libertatis in hac vita tanquam medio morali sufficiente obtinendam (§. 190.); imo per se, quid-

quid

quid vult ipse agere ad extra, vult amore benevolentiæ erga creaturas rationales (§. 88.); simulque libertatis abusum, ceu originem mali moralis unicam (§. 163.), caussam infelicitatis æternæ positivæ naturalem (§§. 205. 208.), mediis moraliter sufficientibus impedire actu conatur (§. 197.). Itaque, cum nihilominus aliunde, ex abusu nempe libertatis (§. 163.), malum morale eveniat, & ex hoc infelicitas positiva æterna malorum naturaliter actu in plurimis consequatur (§§. 205. 215.), quam solum non vult physice impedire (§. 209.), etsi prævideat eandem; patet, Deum actu physice, at non moraliter, permittere permissione voluntaria infelicitatem positivam æternam plurimarum creaturarum rationalium in vita sequente (§. 212.).*

* Aliud est, Deum non mere permittere, ut mali insuperhabita felicitatis omnis iactura in vita altera sint superstites; hoc enim positive decernere eum decet (§. 209. not): aliud, quod mere permittat positivam infelicitatem æternam eorundem. Hanc enim solum non vult physice impedire (§. 209.); quia etsi absolute posset, nempe impediendo libertatem agendi morale malum, tamen impediri non decet ob dicta §§. 196. 207. Consonat huic afferto ipsa S. Srriptura illis verbis Oseæ XIII. 9. *perditio tua, Israel: ex me tantummodo auxilium tuum.* Verbo effectus naturalis vitæ semper moraliter male actæ est positiva infelicitas æterna. Hanc post permissum etiam malum morale impedire physice Deus posset, mere liberaliter donando felicitatem. At, quia hoc non decet Deum, donare eam hoc modo non vult, sed contentus est ipsum malum morale mediis moraliter sufficientibus impedire.

§. 218.

Experientia certissima, interna, & externa, cuique constat, 1. in mundo præsente passim ex malis physicis, bono usu libertatis circa eadem, multa bona moralia

lia evenire, atque vicissim ex libertatis abusu circa eadem multa evenire mala moralia.

§. 219.

Experientia simili cuique constat, 2. ex adverso ex bonis physicis, bono item, vel malo usu libertatis, itidem nunc bona, nunc mala moralia in diversis hominibus, ac sæpe etiam in eodem diversis temporibus, tanquam ex caussis moralibus, vel saltem occasionalibus (§.266.Ont.), *in præsentis vitæ decursu consequi.*

§. 220.

Experientia eadem docet 3., etiam ex ipsis malis moralibus, sive propriis, sive alienis, pro diverso usu libertatis sequente, bono, vel malo, nunc bonum morale, nunc morale malum, seu proprium, seu alienum, itidem tanquam ex caussis seu moralibus, seu occasionalibus, passim in præsentis vitæ decursu consequi.

* Triplicis huius experientiæ exempla, licet per se obvia sint, tamen specialia afferre ob usum eximium iuvat. Quis neget, morbos corporis mala physica esse, contra sanitatem esse bonum physicum? Tamen illis iuxta atque ista alios libere ad morale bonum, alios ad morale malum abuti constat. Idem de frugum, de divitiarum, de honorum affluentia, ac defectu, ex æquo valet. Quis ignorat, malum morale, quod cum iniuriis coniunctum est, quibus improbi probos perpetuo in hac vita insectantur, nunc exercendæ istorum patientiæ, & acquirendis iuxta ac perficiendis aliis virtutibus maxime heroicis servire occasioni, nunc vero imbecilliores animos a virtutis constantia absterrere, istosque non raro odii impiorum metu ad societatem sceleris etiam cetera nolentes allici?

§. 221.

I. *Mala physica & moralia huic seriei eventuum istius mundi propriorum sic innectuntur, ut eadem ceteroquin salva separari ab ea minime possint.* Sunt enim illa

illa, pro diverſo uſu libertatis nunc cauſſæ morales, aut ſaltem occaſionales, boni moralis, nunc mali moralis (§§. 218. ſeq.). Ergo iis ſublatis nec bona eadem moralia evenirent, adeoque nec priore ſerie quoad bonos eventus ſalva tolli ab ea poſſunt. Porro quorum unius exiſtentia tolli nequit niſi ſublata etiam exiſtentia alterius, ea inter ſe nectuntur (§. 195. Ont.). Igitur mala phyſica & moralia &c. &c.

§. 222.

II. *Tam mala phyſica, quam mala moralia huic mundo & præſentis vitæ ſtatui innexa, per bonum uſum libertatis evadunt media & inſtrumenta maioris boni reſpectu eorum, qui libertate circa eadem bene utuntur.* Ex utrisque enim per §§. 218. 220., tanquam ex cauſſis moralibus, vel occaſionalibus, de ſe incompletis ad talem effectum, bonum morale in hominibus probis bono libertatis uſu in vita præſente ſæpiſſime conſequitur, adeoque eadem in cauſſas inſtrumentales (§. 260. Ont.) & media (267. Ont.) boni moralis vertuntur, ex quo ipſa felicitas alterius vitæ æternæ, tanquam ex medio moraliter ſufficiente (§. 190.), conſequitur, quæ utique maior eſt in ratione boni, quam temporanea illa ratio mali, quæ malis phyſicis & moralibus iſtius vitæ ineſt.

§. 223.

III. *Tam mala phyſica, quam moralia, per abuſum libertatis evadunt media & inſtrumenta mali maioris reſpectu eorum, qui libertate circa eadem male utuntur.* Ex utrisque enim per §§. 218. 220., tanquam ex cauſſis moralibus, vel occaſionalibus, de ſe incompletis ad talem effectum, malum morale in hominibus improbis abuſu libertatis in vita præſente multo ſæpius (§. 215.) conſequitur, adeoque eadem in inſtrumenta (§. 260. Ont.) & media (§. 267. Ont.) mali moralis vertuntur; ex quo demum ipſa infe-

infelicitas positiva æterna in vita futura naturaliter, seu vi ipsarum legum naturæ, consequitur (§. 205.), h. e. malum maximum.

§. 224.

IV. *Etiam bona physica improbis abusu libertatis vertuntur in instrumenta summi mali, nec nisi proborum respectu, qui iisdem bene utuntur, vera sunt bona.* Ex iisdem enim similem prorsus in modum mala moralia apud improbos eveniunt abusu libertatis (§. 219.) & ex his ipsa infelicitas æterna consequitur: nec nisi probi eisdem bene ad bona moralia, & his mediantibus ad ipsam felicitatem æternam utuntur.

§. 225.

V. *Quidquid boni vel mali physici, imo & essentialis, huic mundo & præsentis vitæ statui inest, antecedenter ad usum libertatis humanæ non nisi medii & instrumenti rationem in actu primo habet, æque ad malum atque ad bonum usum apti* (§. 222. & seqq.). Bonum enim & malum physicum ex bono & malo essentiali consequitur tanquam ex ratione sua sufficiente (§. 117.).

ARTICULUS IV.

DE PERFECTIONE ISTIUS MUNDI COMPARATE AD ALIOS POSSIBILES.

§. 126.

De bonitate istius mundi physica quoad statum vitæ præsentis ex actuali eius aptitudine in actu secundo ad efficiendam beatitudinem æternam creaturarum rationalium in vita altera sequente iudicari debet, quam ex bono vel malo usu libertatis ab eisdem facto actu obtinet. Mundi enim & vitæ totius præsentis status præsens non nisi medium moraliter sufficiens est respectu beatitatis æternæ creaturarum rationalium in vita altera futuræ (§§. 188. seqq.) tanquam finis ultimi (§. 108.). Jam vero tota medii bonitas non nisi ex aptitudine ad finem metienda est (§. 310. I. Ont.).

Porro

Porro in actu primo & antecedenter ad omnem usum libertatis mundus hic totus omnisque vitæ præsens status medium est æque aptum ad bonum ac malum usum, h. e. fini ultimo consentaneum, vel oppositum (§. præc.); nec nisi per ipsum usum bonum accidentalem libertatis ab hominibus probis vertitur in instrumentum actuale (seu in actu secundo) beatitatis æternæ, ceu finis ultimi (§§. 222. 224.), & ex adverso per abusum libertatis itidem accidentalem apud improbos vertitur in instrumentum actuale infelicitatis eorundem æternæ, quæ fini creationis ultimo recta opponitur. Itaque de bonitate istius mundi, physica &c. Vide §. 111.

* Falso itaque Ill. Wolfius (Theol. Nat. P. I. §. 563.) affirmat, *mala physica in relatione ad mundum integrum non esse mala.* Haud dubie enim simpliciter mala physica manent etiam relate ad integram bonitatem *physicam* istius mundi *absolutam*, & etiam vera mala physica in actu secundo evadunt respectu reproborum libere illis ad malum fini ultimo contrarium abutentium; ex quo ipsius boni finalis magnitudo imminuitur, & finale malum ingens consequitur. Vide infra §. 500. hanc thesin ex instituto demonstratam. Certe tota argumentatio, qua thesin suam Wolfius loc. cit. probare contendit, etiam ad malum morale applicari ex æquo potest, ac perinde inferri, *malum morale non esse malum, si ad mundum integrum referatur;* eo quod & isto boni bene utantur (§. 222.) Ast caute hanc illationem Wolfius dissimulavit. At nimirum Auctor ille, uni mundo materialiter optimo perpetuo intentus, ex huius solius suppositione Dei bonitatem & sapientiam in permittendo malo salvari & explicari posse, sinistro sane & periculoso præiudicio, existimabat. Cum enim omnibus suis diffusis demonstrationibus vix ac ne vix quidem hominibus in Atheismum inclinantibus, quod intendit, persuasurus sit, nempe revera hunc mundum esse optimum; totus conatus, in irritum cedit, lectoresque periculo

expo-

exponit, ne omnino non salvari auctoris mundi infinitam bonitatem & sapientiam posse denique concludant.

§. 227.

De bonitate absoluta mundi istius universa in actu secundo & actu eventura æterna beatitate aliquarum creaturarum rationalium in vita sequente mediante bono usu libertatis in vita præsente, & simul ex multo plurium aliarum infelicitate æterna in vita sequente eventura mediante abusu libertatis in præsente, iudicari debet. Cum enim præsens vitæ status medium, futurus autem vitæ status effectus illius sit tanquam medii moralis (§. 190.): ex effectu totali recte caussæ ipsius, aut medii, bonitas absoluta intelligi & iudicari potest, qualis illa sit in actu secundo (§. 225. IV. Ont.).

* *Neque dicas*, caussæ liberæ aptitudinem & bonitatem absolutam non recte nosci ex effectu libere producto. Nam istud solum de bonitate eiusdem in actu primo verum est, cui non semper commensuratur effectus liber. At nobis sermo est de bonitate ipsius actus secundi; quippe qui revera finis ultimus a Deo intentus est.

§. 228.

De bonitate absoluta istius mundi universe in actu secundo recte iudicari potest ex bono & malo usu libertatis humanæ in vita præsente vulgo ab hominibus fieri solito; quem experientia interna de nobis ipsis, & experientia externa de aliis nobiscum viventibus, ac demum ex auctoritate probatorum historicorum de præteritis seculis compertum habemus. Ex usu enim libertatis bono & malo, tanquam medio unico morali (§. 189.) futuræ vitæ beatitudo, paucioribus vel pluribus communis futura, & eiusdem infelicitas obventura aliis, dependit; ex hac autem utraque mundi absoluta bonitas universa metienda est (§. præc.).

§. 229.

I. *Mundus præsens universe spectatus, ob certam infelicitatem positivam æternam longe pluribus hominibus eventuram, malis veris, gravissimis, & plurimis, mixtus est.*

§. 230.

II. *Si mundus iste ex omnibus possibilibus revera tamen est optimus; oportet, ut in eo creaturæ rationales plures quam in ullo alio possibili ad æternam beatitatem bono libertatis usu mediante, & pauciores quam in ullo alio ad æternam infelicitatem perventuri sint* (§. 227.) *eiusdem libertatis abusu.*

§. 231.

III. *Si mundus iste est optimus; sequitur, mundum optimum ex cunctis possibilibus sine ingentibus malis possibilem non fuisse, nec adeo a Deo creari potuisse.*

§. 232.

IV. *Si Deus, libertate omni in actu primo proximo creaturis rationalibus per miracula sublata, uti poterat* (§. 138.), *beatitudinem eandem, vel similem, per modum meri boni physici sola sua infinite potenti liberalitate universis creatis a se in hoc mundo rationalibus creaturis ceu finem ultimum contulisset; minor quidem ista felicitas minusque æstimabilis respectu singulorum fuisset* (§§. 132. 186.) *quam illa, quæ in præsente rerum ordine probis per modum boni moralis in vita altera obtingit; attamen in tali mundo, ob felicitatem completam* (§.84.) *per modum boni physici communem omnibus, mala moralia & æterna infelicitas innumerabilium abfuisset, quæ nunc in isto rerum ordine mundo præsenti insunt.*

§. 233.

V. *Verisimillime nullus mundus optimus possibilis est, qui malis positivis ingentibus, aut saltem defectibus summis, careat.* Aut enim libertati ad bonum &

malum

malum morale in eo locus futurus est, aut non est futurus? Si primum: verisimillime malum morale, & multorum ex eo æterna infelicitas, non deerit. Si alterum: bono omni morali & ipsa beatitate libere per bonum morale parta talis mundus carebit, quæ multum est præferenda (§. 186.).

§. 234.

VI. *Probari non potest, hunc mundum præsentem non esse ex omnibus possibilibus actu optimum.* Probari enim non potest, in alio mundo possibili aut plures perventuros ad beatitatem æternam salvo non maiore numero infelicium; aut æque multos fore beatos & pauciores tamen infelices; aut denique beatitatem per modum meri boni physici ex sola Dei liberalitate omnibus collatam æstimatione sua æquare beatitatem pauciorum, opera & libertate propria, bonoque istius usu partam. Atqui ex his unice mundi istius absoluta bonitas etiam relate ad quemvis alium possibilem metienda est (§. 227.).

* *Volunt* vulgo, quovis mundo utcunque perfecto alium perfectiorem sine fine possibilem esse; indeque inferunt, hunc præsentem non esse optimum ex omnibus possibilibus. *Probant* assertum ex eo, quod secus Dei omnipotentia effectu finito exhauriretur. *Ast* inane mihi argumentum istiusmodi videtur. Cum enim totum, quod possibile extra Deum est, infinitum esse non possit, finitum id esse prorsus oportet. Ratio enim entis a se communicari enti creato a Deo nunquam poterit. Non ergo quolibet finito aliud perfectius possibile est: secus finito aliquo a Deo creato, cui omnes perfectiones, excepta aseitate, inessent, aliud perfectius finitum creari posset, quod esset denique ens a se; cum non nisi aseitas ad eius perfectionem addenda superesset. Nempe vulgo argumentari non licet a Dei omnipotentia ad possibilitatem rei; sed ante possibilitas rei intrinseca ostendenda, quam Deo possibilitas eiusdem extrin-

ſeca tribuatur. At, *inquiunt*; ſic effectu finito Dei omnipotentia infinita exhauritur. *Itane?* An id exhauriri dicendum eſt, quod totum capit, quod infundi poteſt; ſic, ut nihil ſuperſit, quod infundatur? Si Dei potentia totum creare poteſt, quod poſſibile eſt: etiamſi totum poſſibile finitum ſit, Dei potentia erit infinita; quia nullo laborans poteſtatis creandi defectu reſpectu ullius creaturæ poſſibilis.

** Gravius indicium, hunc mundum non eſſe optimum, illud eſſe poteſt, quod præter boni moralis difficultatem (§. 124.) inſuper poſitiva neceſſitate morali ad malum morale poſitivum in hac vita nos omnes homines huius terræ inquilini premamur (§. 148.); quæ haud dubie ratio præcipua eſt, cur tantus improborum in hac vita, & hoc ipſo tantus quoque numerus futurus infelicium in altera vita ſit. Certe ſtatus ille, quem chriſtianæ religionis divina revelatio docet primis hominum omnium parentibus in prima innocentia originali fuiſſe proprium, ceu immunis a pravis affectibus rationem prævenientibus, ab illuſionibus phantaſiæ nondum corruptæ (§. 225. Pſych.), ab ignorantia confuſæ cognitionis bono & malo apparenti locum facientibus, etſi a malo morali etiam poſitivo omnino liber haud futurus erat, tamen longius abfuturus fuiſſe a periculo videri poteſt, ut mala moralia, & cum his æterna infelicitas hominum, tantopere uti in præſente ſtatu multiplicarentur. Interim ne hoc quidem ullo pacto probari poteſt, quod non in minoribus periculis etiam multo maior hominum ſocordia fuiſſet, aut ſuperbior in bonis præſentibus, illi ſtatui propriis, acquieſcentia; quæ impediviſſet, ne maiori in futura alterius vitæ bona ſtudio homines ferrentur. Certe media a divino Redemtore ſuppeditata, & inprimis ipſum vivum Dei Hominis exemplum, præſentem noſtrum ſtatum, qualem eſſe actu chriſtiana religio docet, ita commendant, ut merito dubites, an plures in felici illo primæ innocentiæ ſtatu beatitudinem æternam fuiſſent conſecuturi; maxime ſi angelorum rebellium iuxta atque Adami exempla, quæ actu ſuppetunt, in conſiderationem adducas.

ARTI-

ARTICULUS V.

DE LIBERTATE DEI IN CREATIONE MUNDI, & DE PRÆSENTIS MUNDI CONTINGENTIA.

§. 235.

Deus, sive velit aliquid agere ad extra, sive nolit, nunquam id vult, aut non vult, nisi ex motivo cum amore suo benevolentiæ perfectissimo (§. 92.) *consentiente, ipsumque decente* (§. 180.). Cum enim, ceu sibi ipse sufficientissimus (§. 86.), amore concupiscentiæ, i. e. ex motivo bonitatis alicuius creatæ respectu sui, seu ad se relatæ, ferri ad creaturæ alicuius existentiam appetendam non possit (§. 88.), sed ex solo amore benevolentiæ erga creaturas rationales (§. 95.); hoc ipso, ut quid velit existere ad extra id ut respective bonum relate ad creaturas rationales cognoscere, & ob eam bonitatem respectivam, ceu motivum (§. 229. seq. Psych.), velle debet. Quodsi quid non velit existere ad extra, vel id cognoscit *mere* malum esse creaturæ rationali; & tum ob ipsum amorem benevolentiæ perfectissimam & obiectivam eius rei malitiam non vult, nec velle potest: vel cognoscit ut *mere* bonum relate ad beatitudinem creaturæ rationalis; & nisi id vellet, defectus foret in perfecto amore benevolentiæ, adeoque, siquid reipsa nolit, quod ex parte bonum esse cognoscit, simul idem ut malum relate ad illum finem cognoscere debet, & propterea nolle. Itaque siquid vult existere, vult ob respectivam bonitatem; siquid non vult existere, non vult ob respectivam malitiam, seu pugnam cum bono creaturæ rationalis, i. e. nnnquam non ex motivo consentiente cum suo amore benevolentiæ perfectissimo, atque adeo ipsum decente.

Aliter sic brevius ostenditur. Motiva non sunt nisi rationes possibilitatis respectu ipsarum volitio-

 num

num & nolitionum; quæ in distincto intuitu boni respectu volitionum, & in distincto intuitu mali respectu nolitionum, consistunt (§§. 230. 231. 276. Psych). Iam vero nihil existere potest usquam, nisi ratio sufficiens possibilitatis eius existat. Ergo nec in Deo volitiones ullæ, aut nolitiones, sine motivis, & quidem consentaneis, existere possunt (§. 233. Psych.). Porro motiva agendi ad extra respectu Dei solum ea locum habere possunt, quæ simul eius amori benevolo consentiunt (§.95.). Ergo &c.

* *Non licet dicere*, Deum etiam bonum quodlibet beatitudini creaturæ rationalis serviturum nolle posse ob solam suam beatitudinem absolutam sibi sufficientissimam ceu rationem finalem. *Nam*, etsi sic bonitas absoluta Dei infinite perfecta salvaretur, non tamen salvatur bonitatis divinæ respectivæ perfectio infinita, quæ ob defectum benevolentiæ cuiusque possibilis, quam Deus sine iactura & damno alterius cuicunque creaturæ rationalis exhibere posset, nec tamen exhibere vellet, necessario ut finita concipitur; nisi ostendas, motivum etiam infinitam bonitatem respectivam decens eique consentaneum suppetere posse, ut illius intuitu etiam aliquod bonum de se possibile Deus creaturæ rationali nolle exhibere possit, quin idcirco in eius bonitate respectiva infinita defectus aliquis nascatur. Atque hoc caput præcipuum difficultatis est, quod in vindicanda Dei libertate circa creationem mundi præ oculis est habendum. Etsi enim Dei libertas ex eo capite facillima probatu videri possit, quod Deus sibi ipsi plane sufficientissimus in nullum bonum creatum necessitate aliqua feratur; tamen hæc sola ratio ita insufficiens est, ut idem Deus a sola hac sua bonitate absoluta ne quidem absolute libere moveri ad creandum possit, nisi a bonitate respectiva ad idem moveatur. Cum ergo bonitas respectiva ratio præcipua creandi sit, circa hanc attentio omnis nostra in Dei explicanda libertate versari debet; utrum nempe spectata

quorum-

quorumcunque possibilium mundorum, ac præsentis imprimis mundi adspectabilis, bonitate respectiva, seu aptitudine ad beatitudinem creaturæ rationalis promovendam, a Deo distincte prævisa, motiva divinæ bonitati etiam infinite perfectæ talia suppetant, quæ illi inferant necessitatem ad creandum hunc vel illum mundum; an vero talia prorsus illa respectu mundi cuiusvis sint, ut plenam nihilominus relinquant libertatem, sine detrimento bonitatis ipsius respectivæ Dei infinitæ. Ubi illud præcipue ostendere incumbit (quod infra §. 246. effectum dabimus) omissionem efficacis benevolæ voluntatis, qua Deus hunc vel alium quemvis mundum creare, & comprehensos in eo homines ad beatitudinem promovere decerneret, nullam in Deo imperfectionem aut defectum importaturam, sed æque bonam futuram esse atque oppositæ voluntatis utcunque benevolæ actuale decretum. Atque hoc illud est, quod evincere iam quam diligentissime elaborabimus, eoque amplius, quod non modo Ill. Wolfius præpostero suo de libertate conceptu Dei quoque libertatem plane everterit, sed & alii post ipsum, ac nominatim D. Robinet, auctor operis gallici, quod *de la Nature* inscribitur (P. VI. Cap.), mundi necessitatem ac coæternam Deo existentiam ex veterum Platonicorum sententia hodie rursus magno molimine sibi defendendam sumserint.

** Difficultas ergo omnis in quæstione isthac ad hoc caput reducitur: qua ratione fieri & concipi queat, ut, cum libertas circa aliquod bonum absolutum Deo intrinsecum evidenter defectum importaret (§§. 134. 135.), libertas tamen voluntatis divinæ ad bonum quodcunque creaturis conferendum, vel non conferendum, dari sine defectu bonitatis respectivæ, imo & ipsius absolutæ, in Deo possit.

§. 236.

Etiamsi mundus præsens omnium possibilium actu esse optimus ponatur; nihilominus Deo etiam summe erga creaturas rationales benevolo motiva sufficientia suppetebant,

petebant, tum ut mundum istum non vellet creare, tum ut eius loco vellet creare alium. Tam enim necesse est, ut enti infinite bono mala, creaturis rationalibus eventura in mundo creando, certo prævisa, pro sua magnitudine displiceant, isque Deus, qui solo amore benevolentiæ eoque perfectissimo (§. 92.), erga creaturas rationales moveri ad creandum mundum quemcunque potest (§§. 89. 94.), per eadem prævisa mala pro eorundem magnitudine absterreatur a tali mundo creando; quam necesse est, ut eidem bona in eodem creaturis rationalibus eventura & prævisa placeant, isque ab eisdem ad creandum impellatur. Cum ergo mundi istius præsentis bonitas universa, tametsi optimus is actu possibilium mundorum omnium esse ponatur, sine ingentibus longe plurium creaturarum rationalium terram nostram incolentium malis atque infelicitate positiva æterna possibilis omnino non esse prævisa a Deo fuerit (§. 231.); mala isthæc tot creaturis rationalibus in hoc mundo eventura, Deo, quo minus hunc crearet mundum, perinde motivorum absterrentium instar esse debuere, atque pro motivis impellentibus erant bona & beatitudo æterna aliis in eodem eventura. Motiva ergo sufficientia, quippe malorum, quæ huic præsenti mundo insunt, gravitati commensurata, Deo suppetebant, quibus absterreri poterat, quo minus præsentem hunc mundum, tametsi possibilium omnium optimus ponatur esse, reipsa procrearet.

2. Quodsi vero tamen mundum aliquem creare volebat, perinde tantorum malorum, quæ huic insunt, absentia in mundo alio possibili (§. 232.), a quo mala physica & moralia ope miraculorum sublata essent, Deum movere poterat ad talem huic præsenti (licet is actu omnium optimus ponatur) præferendum, & absterrere a præsente præferendo

rendo poterat præsentia eorundem; perinde, inquam, atque impulisse ad præferendum actu nihilominus præsentem videri potest maior numerus & magnitudo bonorum huic proprius, & vicissim absterruisse ab altero illo præferendo solus bonorum istiusmodi defectus. Neque ad hoc ergo motiva Deo deerant, ut, volens quidem mundum aliquem creare, huius præsentis loco alium creare vellet.

§. 237.

Hic mundus, seu revera omnium possibilium sit optimus, seu non sit optimus, nulla tamen necessitate antecedente, sed liberrime & absolute contingenter a Deo est creatus. Deus enim sibi ipse erat prorsus sufficientissimus (§. 85.), nec amore ullo concupiscentiæ in mundi istius creationem (§. 87.), sed solum amore benevolentiæ erga creaturas rationales liberas, quæ experientia teste eidem insunt, ferri ad creandum illum potuit. Proin ut est omniscius (quod infra independenter ab his evincetur) nihil ex parte sui intuebatur, quod motivo ad creandum mundum aliquem simpliciter serviret; sed solum ex parte ipsius mundi sibi in bonitate istius, seu aptitudine ad beatas reddendas rationales creaturas, complacebat (§. 95.). Iam vero ex huius parte ceu obiecti voluntatis suæ, iuxta motiva gravia absterrentia, atque allicientia, proposita suo obtutui habebat, quo minus eum creare vellet (§. præc.), eventuram nimirum non minus quam plurimarum creaturarum rationalem positivam infelicitatem, tum huius, tum alterius secuturæ vitæ (§. 208.), atque felicitatem aliarum. Et quidem, quod nostræ terræ inquilinos attinet, experientia ipsa teste & considerata vivendi ratione parti illorum longe maximæ familiari, satis constat, longe ex eis plures futuros, qui felicitate illa vera atque fine creationis suæ excidant, quam qui illa potituri reipsa

ſint (§. 216.). Iam vero ad libertatis ſubſtantiam aliud non requiritur qam intuitus motivorum abſterrentium ſimul & allicientium, cum facultate agendi per ſe ipſam & antecedenter ad motiva voluntati propoſita neutiquam ad agendum determinata, & tamen ſe ipſam poſt motiva rite perſpecta ſine neceſſitate ulla antecedente determinans (§. 307. Pſych.): atqui per §. præc. & ſuppoſita Dei omniſcientia, in Deo dabantur intuitus motivorum abſterrentium iuxta ac impellentium reſpectu creationis iſtius mundi; dabatur facultas agendi ad extra infinita quidem (§. 75.), ſimul tamen antecedenter ad intuitum motivorum, i. e. nullo reſpectu ad obiectum producendum habito, ſecundum ſe nondum determinata ad agendum potius quam non agendum; cum Deus ſibi ipſi ſufficientiſſimus ſit (§. 86.); ac demum Dei facultas iſta etiam poſt perſpecta motiva contraria neque per ipſam omniſcientiam ſuam, qua motiva iſthæc intuetur, nec per bonitatem reſpectivam infinitam (quam itidem Deo infra vindicabimus independenter ab his) nec alia quavis ratione, determinatur neceſſitate antecedente potius ad volendam quam non volendam iſtius mundi creationem; ſiquidem omniſcientia bona ſimul ac mala iſtius mundi perinde exhibet, & bonitas infinita tantundem abhorrere a malis, quantum inclinari ad bona, natura ſua debet: alia autem ratio determinans ſimul & antecedens ex parte Dei non ſuppetit: ut adeo Deus mundum hunc creans, ſive optimus ille revera ſit, ſive non ſit, neceſſario ſolo voluntatis ſuæ arbitrio, nec ulla neceſſitate antecedente, ſe ipſe ſuamque facultatem eſſentialem determinarit ad volendam potius quam non volendam mundi iſtius exiſtentiam, adeoque hoc ipſo liberrime & abſolute contingenter eum actu crearit.

* III. Wolfius hunc mundum esse omnium possibilium optimum demonstrare ubique nititur præcise ex ipsa eius creatione, & præ aliis electione a Deo facta, huiusque demonstrationis principium hoc præstruit ubique: *Deus non potest velle nisi quod est optimum; quia & perfectionem omnium possibilium adæquate intelligit, &, quod perfectius esse aliis intelligit, id ei non potest non magis aliis placere: quod autem magis Deo placet, hoc & vult, & volendo facit existere.* At quis non vel ex hoc ipso, quod *demonstratio quasi a priori* ostentetur, inferat, *necessitatem absolutam* hoc ipso adstrui: econtra contingentiam cum libertate ex parte Dei in mundo optimo producendo penitus everti? Si demonstrari potest ex solis Dei attributis ceu quasi a priori, sive ex iis, quæ Deo invariabiliter insunt, Deum tum mundum aliquem produxisse (uti Wolfius §. 430. & §. 351. not. Theol. Nat. P. I. aperte profitetur a se id demonstrari), tum non nisi optimum produxisse; profecto necessitate absoluta ad utrumque vi essentiæ suæ determinatum fuisse Deum necesse est. Porro his positis, ut hunc, quem incolimus, mundum determinate esse illum optimum demonstret, non nisi unicum principium Wolfius loc. cit. §. 117. superaddit, nempe, *non nisi mundum unum existere posse:* eo quod nempe ratio sufficiens desit, cur, si duo existerent, hoc potius quam alio ordine, cur unus a dextra, alter a sinistra, aut vicissim potius, existat. Tum enim sic revera Wolfius ratiocinatur. *Mundus aliquis, isve optimus, evidenter existit. Porro non nisi unicus existere potest.* Huc usque demonstratio Wolfiana a priori procedit. Pergit porro idem sic a posteriori inferre. *Nostrum vero actu existere, experientia constat. Ergo noster hic mundus est optimus.* Ex quibus vides, in systemate Wolfiano nobis quidem non nisi a posteriori constare, *quod hic* mundus *sit ille optimus* mundus, quem a priori scimus a Deo debere creari; eo quod scilicet huius determinati mundi *existentiam* non nisi a posteriori distincte discamus: nihilominus, sicuti hic mundus vi propriæ essentiæ suæ est

eſt optimus, ita vi eſſentiæ & attributorum Dei (non niſi optimum, & hunc ipſum neceſſario, creantis) idem a Deo actu eſt productus. Atqui quæ vi eſſentiarum immutabilium exiſtunt, eorum exiſtentia abſolute neceſſaria eſt. Aio, *mundum hunc vi eſſentiæ ſuæ in principiis Wolfianis fore optimum*, ſaltem ſtante notione libertatis Wolfiana. Etenim leges naturæ, per quas mutationes mundi non liberæ, harumque ſucceſſio, determinantur, ab eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium, mundum hunc componentium, ac ſimul ex primo modo compoſitionis, univerſe pendent (§§. 259. 295. Coſmol.), i. e. ab eſſentia mundi, tanquam entis compoſiti (§. 291. Ont.). Mutationes liberæ animarum rationalium itidem meris legibus naturalibus, i. e. vi naturæ harum animarum, ſecundum notionem libertatis Wolfianam, determinantur, nempe per motiva fortiora &c. Porro etiam mutationes ſupernaturales, ſiquæ in hoc mundo interveniant, neceſſario interponi a Deo debebunt; eo quod non niſi iſtis ſuperadditis hic mundus omnium poſſibilium optimus futurus ſit. Omnis itaque ſucceſſio quarumcunque mutationum in hoc mundo hypothetice neceſſaria eſt (id quod ipſe Wolfius perinde, ac ſine ullo diſcrimine, tam de liberis actionibus, quam de phyſicis non liberis §§. 554. 552. Theol. Nat. P. I. ultro fatetur), ſub hypotheſi nimirum iſthac unica, *ſi a Deo producatur iſte mundus*, i. e. ex his ſubſtantiis ſimplicibus & hoc præciſe modo primo compoſitus. Cum ergo & hæc ipſa hypotheſis abſolute neceſſario verificetur; eo quod hic mundus, qui neceſſario talis, i. e. optimus, per ſe eſt, a Deo, optimum neceſſario faciente, neceſſario producatur: *totius ſeriei mutationum huius mundi exiſtentia abſolute prorſus neceſſaria evadet*, tam quoad actiones, quas Wolfius non niſi voce tenus vocat liberas, quam non liberas; eo quod omne conditionatum impleta conditione ſua unica, ſub qua ſola conditionatum eſt, tranſeat in prorſus abſolutum. *Fatum* itaque *abſolutiſſimum*, *idemque univerſale*, *ſeu res ad unam omnes omnesque earum mutationes ſingillatim afficiens*,

ex

ex principiis Wolfianis reipsa consequitur; quantumcunque ipse Wolfius ab istiusmodi fato abhorruerit. Quantumcunque, inquam, Wolfius ipse ab omni fato abhorruerit. Absit enim, ut virum tam cetera ingenuum, de re literaria non mediocriter meritum, atque inprimis ab istiusmodi sequela principiorum suorum passim abhorrentem (uti tum ex §§. 351. 430. Theol. Nat. P. I. Wolfiana tum ex aliis locis compluribus perspicuum est, atque inprimis ex toto Cap. II. Sect. II. Theol. Nat. Wolf. P. II. patet), eiusdem sequelæ reipsa nihilominus admissæ contra humanitatis omnis iura importune accusare velim.

** At nempe non sufficit, eiusmodi sequelam in Wolfianis principiis publicam protraxisse in lucem. Fatalistæ enim ultro demonstrationi istius applaudent, & suo bono optime a nobis laboratum esse conclamabunt; nisi tam horribilis sequelæ fontem erroris veneno infectum esse simul demonstremus. Principia ergo sequelæ huius Wolfiana exacte refutare oportuit, quæ sunt duo hæc præcipue, nempe 1. *præpostera notio libertatis in genere, etiam humanæ;* ex qua (sive necessario, sive contingenter, Deus produxerit hunc mundum) iam hypothetica, physica, & vere antecedens necessitas omnium actionum & volitionum humuuarum consequitur, non aliam hypothesin supponens, quam ipsam mundi huius creationem: 2. *notionis eiusdem de libertate applicatio ad Deum, seu,* quod idem prorsus est, *necessitas absoluta a priori demonstrata ex parte Dei mundum aliquem, eumque non nisi optimum, producendi.* Prius præposterum principium in Psychologia iam, ceu in loco proprio, prorsus evertere pro virili elaboravi. Alterum isthac & sequenti proxima thesi me effectum dare prorsus confido.

§. 238.

Deus nulla necessitate antecedente urgebatur, ut ullum mundum absolute produceret, sed liberrime aliquem produxit. Hunc enim mundum, qui actu existit, liberrime & sine omni antecedente necessitate produxit

duxit (§. præc.). Iam vel eſt optimus, vel non eſt? Si eſt; optimum ipſum mundum ob mala ei coniuncta plurima & graviſſima, ceu ob motiva abſterrentia, potuit non producere (§. præc.): ergo & quemvis alium, etiam minus præſente bonum, adeoque ob motiva abſterrentia maiora, potuit non producere. Si hic mundus non eſt optimus; alterutrum ex his ponere debes, aut præter hunc alium inſuper actu exiſtere, qui ſit optimus, aut nullum alium, qui optimus ſit actu exiſtere. Si primum: niſi in eo libertati ad bonum morale & ad malum morale locus ſit, is optimus eſſe non poſſet (§§. 186. 232.): atqui ſi huic libertati ſit locus, mala veriſimillime tam parum quam in noſtro præſente (§. 229.) deeſſe poterunt. Nullus ergo ſtatus mundi optimi veriſimillime poſſibilis eſt ſine malo morali poſitivo; adeoque nullus ſine motivis Deum abſterrentibus ab illius creatione. Sin alterum ponas; videlicet, nullum præterea mundum alium exiſtere, qui ſit omnium poſſibilium optimus: ergo ſicut mundum optimum actu producere omiſit, & hunc præſentem omittere potuit; ita Deus quemcunque alium potuit omittere. Singulos ergo mundos poſſibiles omittere Deus potuit: ergo & omnes ſimul; aut ſin minus, vel omnes ſimul producere debuit, vel aliquem ſaltem ex omnibus? Non primum: adverſus iſtud enim ſimul omnium mala pro motivo abſterrente concurrebant. Non alterum: quia nullus mundus mali gravioris eiusque multiplicis expers poſſibilis, ſimulque Deus ſibi ipſe ſufficientiſſimus eſt. Itaque Deus nulla neceſſitate antecedente urgebatur ad ullum mundum producendum, ſed liberrime aliquem produxit; cum libertas non ſit niſi facultas non faciendi, quod actu facis, ab omni neceſſitate antecedente immunis (§. 106. II. Ont. & §§. 306. 307. Pſych.).

* *Dices.* Si Deus sit infinite benevolus erga homines, tunc, siquidem ob mala moralia & interitum plurimorum in omnibus illis mundis prævisum, in quibus libertati locus fuisset, nullum istorum mundorum libere producere voluisset, hoc ipso vi infinitæ benevolentiæ suæ debuisset creare mundum, in quo omnibus nullo excepto beatitudo summa per modum boni mere physici obtingeret: ergo liber non fuit ad hoc, ut omnino nullum crearet. *Resp.* Infra §. 372. seq. ostendam, Deum per se voluntate benevola antecedente innata voluisse cunctis beatitudinem respective summam, i. e. libere per modum boni moralis obtinendam. Unde hoc ipsum, quod prævideret, in nullo possibili mundo homines libero erga se obsequio universe sibi ad suam gloriam & propriam beatitudinem cooperaturos, sufficiens Deo motivum erat, ne in talium hominum gratiam mundi systema libertatis expers, & beatitudinem instar boni mere physici conferendam decernere vellet.

§. 239.

Deus loco istius mundi alium producere liberrime potuit; etsi præsens iste omnium possibilium optimus esse ponatur. Ipsum enim liberrime produxit (§. 237.), & omnino nullum producere potuisset (§. præc.), &, siquem nihilominus producere voluerit, habuisset motiva sufficientia, cur istius loco alium produceret, in quo quidem cum omni libertate per miracula sublata etiam bona moralia tollerentur, sed simul item per paria miracula sublata essent mala tam moralia, quam physica ingentia, huic mundo propria (§§. 232. 236.). Sive ergo præter hunc mundum existere adhuc alium actu ponas, seu ponas non existere;* sive hic præsens sit optimus omnium possibilium, sive non sit; hunc omittere, & alium producere, atque adeo & huius loco alium sine hoc producere Deus potuit liberrime,

§. 240.

Nisi & citra omnem verisimilitudinem sumas alium mundum actu præter hunc existere, & eundem contra omnem verisimilitudinem ponas esse ita optimum, ut simul malis moralibus plurimis eisdem & grandibus careat (§. 233.); *evidens est, Deum vi sua licet infinita agendi ad extra etiam id, quod ex omnibus rebus finitis possibilibus optimum est, non necessario efficere.* Namque inprimis nulla ne insufficiens ratio aut argumentum nobis suppetit de alterius mundi præter hunc existentia: quodque nullus optimus mundus sit possibilis, qui malis moralibus maximis iuxta ac plurimis careat, omnino potius verisimillimum est (§. cit.): mundum autem quemcunque possibilem, qui malis eiusmodi scateat, etsi cetera alios omnes bonitate excedat, nulla necessitate antecedente producere debere, per §. 238. evidens est: ergo &c.

§. 241.

Nullo verisimili argumento, vel ratione gravi, probari positive potest, hunc mundum solum esse absolute omnium possibilium optimum. Neque enim, cum de ingenti cumulo malorum physicorum & moralium huius vitæ iuxta atque alterius certo secuturæ (§. 216.), quæ huic mundo propria sunt, certo constet, vicissim ex ullo gravi argumento constat, aut in alio mundo possibilia non esse bona quidem moralia paulo minora iis, quæ insunt huic mundo, sed multo etiam minoribus malis coniungenda, aut vicissim. Iam vero si hoc ita sit, cum universa cuiusque mundi bonitas physica ex bonis & malis simul sit mensuranda, quæ cuique conveniunt (§. 227.); nihil obstabit, quo minus alter ille possit bonitate absoluta esse saltem huic nostro æqualis: sicuti vicissim poterit alius esse maioribus bonis, sed simul & maioribus malis abundans. Ergo nullo verisimili &c.

§. 242.

I. *Volitionis divinæ, qua quid agere ad extra vult, motivum est præscientia beatitudinis veræ creaturæ rationalis inde eventuræ, coniunctæ cum ipsius Dei gloria* (§§. 99. 108.).

II. *Nolitionis divinæ, qua quid non vult, agere ad extra, motivum est præscientia infelicitatis creaturæ rationalis inde eventuræ, aut minoris futuræ felicitatis.*

§. 243.

III. *Si Deus non vult producere aliquem mundum, motivum nolendi sunt mala multis creaturis rationalibus in eo eventura, & a Deo omniscio prævisa, aut certe bona minora eventura illis in hoc, quam in alio mundo.*

IV. *Si Deus vult producere aliquem mundum, motivum volendi sunt bona ex eo multis creaturis rationalibus eventura, & item a Deo omniscio prævisa; aut maiora eventura in hoc, quam iu alio mundo.*

§. 244.

V. *Tam volitiones, quibus Deus vult mundum aliquem producere, quam nolitiones, queis alium non vult producere, sunt in Deo absolute contingentes.* Liberæ enim omnes sunt (§§. 237. 238. &c.): ergo hoc ipso contingentes (§§. 95. & 104. II. Ont.).

§. 245.

VI. *Mundus præsens est ens contingens, sive contingenter existit.* Nec enim existit per essentiam propriam, nec caussam efficientem necessario agentem habet; quippe quæ voluntas Dei est, cuius volitiones agendi ad extra sunt contingentes (§. præc.).

* Atque hic demum locus erat afferendi contingentiam istius mundi (§. 26. not. 3.). Ill. D. Wolfius mundi atque ordinis naturæ totius contingentiam in Cosm. §§. 527. 561. unice ex eo revocat, quod leges motus, secun-

dum quas ordo naturæ exigitur, præcise per principium rationis sufficientis, non per principium contradictionis (i. e. per ipsas rerum possibilium essentias) determinentur. Interim ratio ultima sufficiens secundum ipsum est nihilominus etiam respectu legum motus istarum in specie non alia, nisi quod per has leges mundus optimus constituatur, & Deus per essentiam voluntatis suæ non possit velle nisi optimum. Vide sis iam, an non ratio sufficiens ista ex ipsis essentiis Dei & mundi optimi repetatur; numque abs re iam §. 34. Ont. contra Ill. Wolfium illud assertum stabiliverimus, scilicet principium rationis sufficientis æque se ad rerum possibilitates extendere ac principium contradictionis, atque si mundus non optimus existere non potest vi principii rationis sufficientis, nec vi principii contradictionis eum esse possibilem posse. Itaque nec mundus ideo contingens erit, quod per principium rationis sufficientis eius existentia determinetur.

§. 246.

Volitiones divinæ, queis Deus vult aliquem mundum creare, non magis respective bonæ sunt, quam nolitiones, queis alium non vult creare; quamquam respectu diversarum creaturarum rationalium sint bonæ. Tam enim is simpliciter benevolus est, qui bonum aliquod aliis non vult evenire, eo quod id non sine aliorum malo eventurum prævideat; quam benevolus is erga alium est, cui bonum idem evenire vult, etiamsi ex eodem aliis malum eventurum prævideat. Atqui ita volitiones & nolitiones divinæ se habent circa eundem mundum producendum, vel non producendum (§. 242. præcipue III. & IV.). Interim tamen volitio producendi mundum solum respective bona est iis creaturis rationalibus, queis ex eo beatitas vera, ceu finis creationis, eventura est; nolitio vero eiusdem mundi bona respectu eorum est, quibus ex eo eventura malum, seu infelicitas (§. cit. præcipue I. & II. tiem §. 85. Ont.).

§. 247.

Bonitas Dei absoluta nec augetur volitionibus contingentibus Dei, quibus vult aliquem mundum producere, nec minuitur nolitionibus, quibus eundem non vult producere. Deus enim sibi ipse ex una parte sufficientissimus est, i. e. omnis perfectionis & bonitatis suæ absolutæ eiusdemque infinitæ (§§. 84. 86.) rationem sufficientem existentiæ ultimam ut in sua possibilitate continet, ut nulla prorsus re extra se, nec ullo effectu volitionum suarum contingentium, i. e. nulla creatura, indigeat, per quam illa ratio ultima compleatur (§§. citt.): ex altera parte tam bona est nolitio quam volitio eiusdem mundi, respectu diversarum videlicet creaturarum rationalium in eodem mundo complectendarum (§.præc.): ergo bonitas Dei absoluta nec maior, nec minor est, sive velit, sive nolit Deus quemcunque mundum creare.

§. 248.

Maior tamen est bonitas Dei respectiva erga creaturas rationales huius mundi præsentis, quæ finem creationis, i. e. beatitudinem veram reipsa in eo consecuturæ sunt, dum hunc mundum voluit creare, quam esset erga easdem, si eundem noluisset creare: multo vero maior est erga ipsas, quam est erga eas, qui in hoc ipso mundo amissa omni felicitate in alterius vitæ miseram infelicitatem lapsuræ sunt (§. 216.). Si enim noluisset Deus hunc mundum creare, erga primas nullam efficacem benevolentiam, sed tantum erga alteras exhibuisset (§. 242. II. III. §. 246. & §. 90.). Nunc autem, cum illum producere voluit, erga primas benevolus fuit, & quidem multo magis quam erga alteras; quippe queis melius voluisset, si producere mundum hunc potius noluisset (§§. 242. IV. 216.).*

* Inde illud S. Scripturæ: *melius ei fuisset, si natus non fuisset homo iste.* Hæc eadem origo explicandi singu-

larem benevolentiam Dei erga electos; de qua in Theologia supernaturali tam multa dicuntur. Sed de hac infra.

§. 249.

Deo summa libertas, ab omni necessitatis specie immunis, in agendo ad extra competit. Absque omni enim necessitate metaphysica, physica, aut morali, hunc mundum produxit (§. 237.) ita, ut nullum producere potuisset (§. 238.), vel huius loco alium (§. 239.). *Neque* enim *absoluta necessitate* essentiæ suæ *metaphysica* ad unum potius ex his quam alterum, ceu sibi ipse sufficientissimus (§. 85.), ferebatur; neque vi essentiæ ullius mundi, quippe quæ respectu omnium mundorum possibilium tum per se indifferens est ad existendum & non existendum, nec rationem existentiæ ipsa in se continet (§. 256. Cosmol.), nec bonitate sua, quæ nunquam non malis grandibus ac defectibus laborat (§. 233.), Deum necessitate antecedente determinare potest ad sui creationem (§. 237.). *Necessitas physica* naturæ creatæ existentiam iam ceu hypothesin supponit (§. 141.), atque adeo in Deo ante creationem ipsam naturæ mundi locum non habet. *Necessitas moralis* item in Deum non cadit; quippe quæ in magna difficultate agendi libere, vel libere non agendi, consistit, atque ex magno excessu tædii aut voluptatis circa motiva impellentia, vel absterrentia, exoritur (§. 146.). Etenim cum voluptas Dei ex sui ipsius intuitu sit infinita (§. 68.), & infinita quoque sit vis agendi ad extra (§. 75.); nec difficultatis in agendo, aut non agendo Deus est capax, quæ limitationem caussæ efficientis arguit (§. 337. & seqq. Psych.), nec eiusmodi excessus tædii, qui voluptatem illam infinitam turbet, nec voluptatis, quam ex ipsa primum creatione mundi accipiat; quippe qui ad summam voluptatis suæ perfectionem nullius rei extra se existentia

indi-

indigeat (§. 86.), & cuius respectu res extra ipsum possibiles universae nullam respectivam bonitatem habent (§. 87.), cuius caussa appeti ab ipso amore concupiscentiae possint (§. 88.). Denique neque amore benevolentiae ullo necessario fertur in ullius mundi actualem productionem, aut in unum prae cunctis aliis; cum non magis respective bonae sint eiusdem volitiones, queis mundum quemcunque creare vult, quam nolitiones, queis illum non vult creare (§. 246.), sed ambae prorsus contingentes (§. 244.); atque insuper plures mundi aeque boni esse possint, ac simul ceteris adhuc possibilibus meliores, quin idcirco malis gravibus ullius eorum careat (§. 233.). Competit ergo Deo facultas seu vis agendi ad extra infinita quidem (§. 75.), sed ita, ut possit non agere omnino, seu nullum mundum creare (§. 238.), & unum creare prae alio (§. 239.), eaque ab omni necessitatis specie immunis, h. e. summa libertas (§§. 306. 307. Psych.).

§. 250.

Deus est ens primum liberum. Ens primum liberum quippe est, quod ita liberum est, ut ceu ens a se potentiam & agendi & non agendi, i. e. libertatem ipsam, non acceperit ab ente alio, sed habeat a se ipso. Sed tale est Deus, ut ex demonstratis huc usque patet. Ergo Deus est ens primum liberum. Vide §. 103. Ont.

§. 251.

Animae rationales humanae, in huius vitae statu existentes, usu rationis & libertate vera praeditae, non sunt nisi entia libera secunda. Ens enim liberum secundum per §. cit. Ont. est, quod libertatem ipsam, seu utramque potentiam, & agendi, & non agendi, acceperit ab alio ente libero sic, ut hoc eam ceu ratio ultima illius dare pro arbitrio libero potuerit, & non dare potuerit. Atqui tale ens liberum

rum secundum sunt quævis animæ hominum in præsentis vitæ statu usu rationis & vera libertate præditæ (§§. 301. 312. Psych.). Etenim cum sint entia ab alio (§. 24.); essentiæ suæ existentiam, i.e. libertatem in actu primo remoto (§. 123.) accepere ab ente a se, hoc est, a Deo; libertatem vero in actu primo proximo (§. 126.), quæ priori intuitus boni & mali apparentis iuxta ac veri superaddit, i. e. motiva absterrentia & impellentia, accepere *partim* ex impressione corporum extraneorum in organa sensuum, & his mediantibus in ipsam animam; quæ impressio leges naturæ sequitur, a Deo per ipsum mundi huius primum compositionis modum determinatas (§. 259. Cosmol.); atque adeo & ipsa in Dei actione rationem existendi ultimam adæquatam habent; *partim* actione non libera ipsius animæ rationalis, qua hæc iam ante usum libertatis ideas factitias boni & mali physici, uti & ipsius Dei (§. 113. Log.) ex ideis sensualibus secundum leges naturæ propriæ effingit, quæ itidem per compositionis eiusdem cum suo corpore ac toto universo modum, Deo auctore factum, determinantur (§. 63. Psych.) atque adeo rursus in Deo rationem ultimam existentiæ habent. Porro Deus ipse est ens liberum; a quo proinde cum libertatem acceperint tanquam ab eius ratione ultima omnes animæ rationales humanæ eius usu in hac vita præditæ, ens liberum non nisi secundum sunt singulæ.

§. 252.

Deus solus est ens primum liberum. Solus enim est ens a se, & quæcunque præter ipsum sunt entia libera, sunt entia ab alio (§§. 24. 26.), ac facultatem liberam tam quoad substantiam quam quoad accidentia ab ipso tanquam a ratione sufficiente ultima saltem partiali accepere.

* Evicta iam prorsus & Dei libertate in agendo ad extra, & mundi istius omniumque eius eventuum vera contingentia absoluta, superest, ut alteram adhuc aurem contrariis Wolfianorum argumentis, atque etiam aliorum argutiis, præbeamus; qui Dei libertatem aut aperte, aut subdole, una cum mundi contingentia evertere nituntur, atque hoc ipso etiam eversa libertate hominum, generale fatum rebus universis inducunt.

§. 253.

Argumentatur itaque 1. Wolfius cum Leibnitio hunc in modum. Deo omniscio non nisi mundus omnium possibilium optimus magis omnibus aliis placere potest: atqui quod magis Deo placet, id vult producere præ aliis: ergo Deus mundum non nisi optimum præ aliis producere voluit. 2. Porro evidens est, Deo magis placuisse cuiuslibet mundi existentiam, quam non existentiam: ergo voluit potius producere aliquem mundum, nempe optimum ex omnibus (cum plures simul existere non possint ex sententia Wolfii), quam nullum. Minor propositio primi discursus notionem libertatis Wolfianam continet. Maior evidens videtur, si per verba, *magis placere*, non intelligatur nisi intuitus maioris perfectionis (§. 204. Psych.).

Respondeo: dist. mai. ut simul idem Deo omniscio magnopere displiceat, & fortasse magis displiceat, quam plerique alii item possibiles, *conc. mai.* secus, *neg. mai. & dist. min.* si tantum placeret, nec simul ob mala plurima & gravissima commixta plurimum displiceret, *concedo;* si res ita sit, *nego min. & conseq.* Wolfius non nisi sub relative ad id, quod bonum in quovis mundo inest, Dei intuitum, ex qua complacentia exsurgit, considerat, atque inde concludit, illum solum intuitum motivi instar prævalere, atque ad creandum obiectum suum de-

terminare Deum, qui summum bonum ex omnibus in quovis mundo possibilibus Deo exhibet. Quaecunque ceteroquin mala in eo mundo cum bonis commixta insint, qui bona maxima ex omnibus includit, ea, inquit Wolfius, non impedire, quo minus nihilominus in tali mundo summum insit ex omnibus bonum; sed potius, quia cum bonis nexu continuo implicantur sic, ut sine malis illis eadem bona eventura non essent, id genus mala pro mediis boni maximi servire, atque adeo relate ad totum mundum mala non esse. Subtilis me hercle ratiocinatio! An ergo non ipsa bona, quæ mundo optimo insunt, i. e. felicitas creaturarum rationalium, quæque rationem finis & motivi habent, cur mundum hunc Deus producere velit; an, inquam, non ipsa bona minuuntur, per mala bono finali opposita, i. e. per infelicitatem multo plurium hominum terram incolentium, eamque positivam & æternam? An bonitas istius mundi, seu perfectio, quæ tanquam finis efficienda est, ac pro regulis seu mediis in sui efformatione tot mala & determinationes negativas (i. e. tot mala physica & moralia temporanea, imo & infelicitatem æternam positivam tam innumerabilium hominum, ceu saltem permittenda a Deo) præscribit, non est tanto magis limitata, seu imperfecta, etiam in toto spectata (§. 305. Ont.)? Esto, fingas per me, in aliis Planetis existere creaturas rationales homine etiam nobiliores, quæ e. g. a necessitate morali ad malum positivum (de qua §. 234. not. 2.) immunes, longe maiore numero ad felicitatem æternam perventuræ sint, quam homines terræ inquillini, & fatali illa necessitate constricti. Certe si modo libertate ad malum morale positivum simpliciter illæ instructæ sint, iam plurimas quoque ex illis æternum perituras verisimillimum solo lumine natu-

ræ

ræ est; actu vero ex Angelis homine multo felicioribus quam plurimos periisse, ex fide divina religionis Christianæ certum. Certe bonum infinitum, quod sibi ipsum plenissime sufficit, iam satis absterretur, ut simpliciter abstinere a creando quocunque mundo possit, si non aliter creando bene facere etiam quamcunque multis possit, quin simul una innumeris ex creatione eiusmodi mala ultima & æterna eventura certissime prævideat. Quis vero dixerit, in alio mundo possibili, in quo sublatis per miracula malis moralibus cunctis omnes ad felicitatem mere physicam admittendi essent (§. 232.), boni moralis seu libertatis opera obtenti rationem, quæ a tali felicitate abest, generalitate felicitatis physicæ omnibus communi, & absentia omnis mali moralis & æternæ infelicitatis non abunde fore compensandam? Nonne sic bonitas summa mundi ex omnibus possibilibus optimi sine summis malis possibilis non erit (§. 233.)? Itaque idem mundus, qui ob summa bona Deo maxime placet, simul ob summa mala in eodem permittenda maxime displicebit. Wolfius ergo duo prius probet necesse est, quam rite suo ratiocinio illo concludat; 1. enti sibi sufficientissimo & infinite bono, ut a creando satis absterreatur, non sufficere posse, quod mundus etiam omnium possibilium optimus sine malis veris & ingentibus quam plurimarum creaturarum rationalium possibilis haud omnino sit; uti revera possibilis absque his non est, si mundus præsens est ille omnium optimus: 2. bono universo huius mundi proprio; quod in eo maxime consistit, quod beatitudo æterna boni moralis & boni usus propriæ libertatis effectus sit, haud æquivalere in alio mundo posse beatitudinem mere physicam omnibus sine exceptione communem, & absentiam æternorum immanium malorum, quæ nostri mundi optimi bonitati adhærent; aut certe probet, Deum

 beati-

beatitatem æternam ſine prævio libertatis merito conferre univerſis non poſſe. Quin *tertio* quoque loco probare debebit, fieri non poſſe, ut tertius quidam mundus a Deo præviſus fuerit, in quo par hominum beatitudo conſecutura, atque in iſto, fuerit.

§. 254.

Urget vero Ill. Wolfius. Deus nihil vult ſine motivo ipſius omniſciam ſapientiam decente: ergo & motivum decens ſuppetere debet, cur unum mundum creare præ alio velit. Atqui id genus motivum non niſi maior unius mundi bonitas & perſectio, omnium aliorum poſſibilium perſectionem excedens, eſſe poteſt. Certe ut minus perfectum præ perſectiore eligat, nihil eſt, quod Deum movere poteſt. Deinde neque removere attentionem Deus, uti homo (§§. 301. 302. Pſych.), a maiore bono poteſt, & ad ſolum minus bonum affigere, ut hoc more hominum præ maiore eligat. *Reſpond. Conceſſo enthymemate primo, nego min. ſubſumt.* 1. Ut nullum mundum producat, ſufficit pleniſſima entis infiniti ſufficientia in exiſtendo, iuncta imperfectioni & defectibus, quin & malis poſitivis, quæ cuivis mundo poſſibili veriſimilius neceſſario inſunt. 2. Ut etiam minus perfectum mundum (qui in ſenſu Wolfii is eſt, qui minora bona complectitur, etſi etiam malis paucioribus fuerit infectus) præ perſectiore producat, motivum ipſius ſapientiæ prorſus conveniens eſſe poteſt diſplicentia ex malis, quæ veriſimiliter in mundo optimo maiora quam in aliis inſunt neceſſario, ut maxima poſſint exinde bona evenire. Deinde ſi in mundo, in quo bona ſunt minora, quam in alio, etiam mala proportione pari minora ſint, hoc ipſum, Deo pro motivo ſufficiet, ut hunc præ illo eligat. Demum plures mundi æque boni Deo non deerunt, inter quos libera optio ſit. Etſi ergo Deus abſtrahere

here ab inæqualitate perfectionis diversis mundis possibilibus propriæ non possit, nulla tamen necessitate urgebitur ad unum præ alio eligendum.

§. 255.

Instat porro Wolfius. Voluntas perfectissima non nisi in optimum ferri debet. Atqui talis est voluntas divina: ergo &c. *Resp.* Imo vero voluntas perfectissima, & sibi soli iam sufficientissima, nec ulla re extranea ad perfectam voluptatem fruendam indigens, ad nullum bonum extra se necessitate aliqua per se ferri debet ratione sui sed sola benevolentiæ liberalitate. *Unde dist. mai.* siquod extra ipsam possibile sit bonum purum & omnis defectus expers, *transeat;* si omnia possibilia extra ipsam bona defectibus essentialibus laborent, & accidentalibus; *nego mai.* Voluntas infinite bona non nisi puri boni amore rapi potest, quod Deo intrinsecum est. Extraneo bono uti non eget, ita neque id necessario creaturis rationalibus vult; quia nec istis velle id ipsum potest, quin quam plurimis aliis malum æque magnum inde simul eveniat: quod ut Deus infinite bonus permittat, nihil profecto esse potest, quod saltem eidem necessitatem imponat.

§. 256.

Pergit Wolfius. Decet Deum eligere ex omnibus possibilibus mundum perfectissimum, quia omniscius est; cum ex adverso, quod minus perfectum, eligi etiam ab eo possit, qui eligibilium perfectionem non intelligit, nec nisi cæco quodam modo unum ex eis eligit. Unde solius Dei ceu omniscii est, ut eligat mundum perfectissimum, atque adeo in omniscientia eius ratio continetur, ex qua intelligitur, quod optimum eligere debeat. Ita Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 333. *Resp.* demonstrationem prætensam aliud non probare, quam solum Deum

ex

ex certo consilio eligere, quidquid eligit, & sic posse etiam ex certo consilio eligere optimum, siquod optimum revera possibile sit: cum contra, qui omniscius non est, nec eligibilium perfectionem integre perspectam habet, nec summum perfectionis gradum, nec alium quemcunque determinatum, eligibilibus diversis proprium, ex certa destinatione animi, sed non nisi incerta electione divinando eligere possit: neutiquam vero probari, aut quod aliquis mundus ita optimus sit, ut summis malis careat, aut quod talem quemcunque etsi malis abundet ipse quoque, eligere Deus debeat, aut quod plures æque boni possibiles non sint, inter quos libera sit optio.

§. 257.

Addit idem Wolfius. Mundus optimus solus signum esse potest Spiritus perfectissimi, h. e. Dei, intellectu & voluntate infinite perfecta præditi: ergo is solus aptum medium est Dei gloriæ manifestandæ; quæ manifestatio finis est creationis totius. Atqui Deus non nisi media apta, imo aptissima, ad finem a se intentum eligit. *Resp.* omnis mundus possibilis, sicut in solo ente infinito rationem sufficientissimam habere potest, ita aptum eiusdem manifestandi signum per existentiam suam est. Porro Deus quidem media fini aptissima eligit, quem sibi semel proposuit, sed uti finis modum certamque rationem, sic & ipsa media illi præ ceteris convenientissima, liberrime eligit.

§. 258.

Repetit denique Wolfius illud in Psychologia iam decantatum. Debet esse ratio quædam sufficiens, cur unum præ alio mundo Deus creare velit: atqui alia esse non potest quam maior perfectio unius præ altero; cum nec æqualitas perfectionum, nec defectus unius ab altera ratio hæc sufficiens

esse

esse possit. *Resp. dist. mai.* debet esse ratio sufficiens existentiæ voluntatis creandi unum præ alio ab ipsa Dei voluntate adæquate distincta, *nego absolute;* sic enim libertas hoc ipso tollitur; ut abunde in Psych. §. 329. n. 2. ostensum: debet adesse ratio possibilitatis, eaque existentiam voluntatis creandi nequaquam a priori se sola determinans, *concedo.* Ratio solum possibilitatis est mundi cuiusvis possibilitas intrinseca, perfecte a Deo cognita. At si hæc sola determinat Dei voluntatem, ex rerum essentiis ratio repetitur, cur unus mundus præ alio existat, adeoque universalis & absoluta necessitas inducitur. Dei voluntas ergo rationem existendi a se distinctam in intellectione mundi optimi habere nequit, quin libertate exuatur. Ipsa ergo ratio sui ultima est. *At* sic casu accidet, *inquit* Wolfius, ut Deus unum mundum præ alio creare velit. *Repono* ego, casum ex ipsius Wolfii mente esse, quod ratione sufficiente caret. Atqui Dei voluntas idcirco ratione sufficiente non caret, eo quod ipsa sui ratio ultima sit: secus Deus ipse ceu ens a se casu item existere dicendus erit.

§. 259.

Huc usque Wolfius, Leibnitii vestigia perpetuo secutus. Ast quæstio hæc, uti ex tota pertractatione huc usque satis patet, difficillima, inde ab utriusque auctoris istis temporibus a summis ingeniis, sed valde diversis sententiis, est agitata. Hos inter cum auctor operis gallice scripti *De la Nature* (is in tertia editione operis sui Amstelodamensi ad an. 1766. nomen suum prodidit I. B. Robinet) singulare systema proposuerit; id ipsum refutandi proprium hunc esse locum duxi. Systema istud sequentibus præcipuis capitibus absolvitur. *THESIS* I. *Auctor naturæ prohibere non potest a mundo quocunque possibili malum, seu physicum* (Auctor

ctor cit. Part. I. cap. XXI.) *seu morale* (ibid. cap. XXII.) *Primum* sic probat. Si Deus potest tollere malum physicum, poni potest id ab eo in aliqua hypothesi actu sublatum. In hac ergo hypothesi bonitas Dei uno gradu maior erit quam in præsente. Igitur in præsente hypothesi, in qua actu positi in hoc mundo adspectabili sumus, Deus non est infinite bonus. Hæc est huius auctoris *ostensio indirecta* de thesi posita. Ecce tibi vero etiam aliam *directam* ab eodem propositam. Mundus quiscunque, ceu finitus, per essentiam defectibus involvitur. Atqui defectus essentiales tam parum quam ipsa essentia tolli a mundo quocunque possunt. Item: bonum expers mali esset infinitum: atqui omnis mundus possibilis nonnisi finitus est. Vide loc. cit. cap. XXI. *Alterum* quoque his argumentationibus auctor evincere se prorsus existimat. Errores intellectus & vitia voluntatis oriuntur ex incompleto statu harum facultatum, i. e. ex earum finitudine. Atqui essentiæ creatæ nequeunt esse infinitæ. Ergo Deus non potest mala ista impedire. *Rursus.* Non datur medium inter voluntatem absolute & ex natura sua bonam, & inter voluntatem natura sua capacem mali moralis. Voluntas absolute bona est infinita. Ergo omnis voluntas finita est natura sua capax mali. Cum ergo Deus voluntatem infinitam creare non possit, non potest creare voluntatem, quæ non sit natura sua capax mali moralis. Ita cap. XXI. cit. *Præterea* cap. XXII. hæc adduntur. Voluntas non posset ita invariabiliter figi in amore boni, quin amitteret facultatem volendi malum. Atqui voluntati humanæ facultas tam volendi, quam non volendi bonum, item facultas tam volendi malum, quam non volendi malum, essentialis est. Ergo, quia mutetur eius essentia, figi ita in amore boni non

potest

potest invariabiliter. *Addit* denique & hoc argumentum. Pone, Deum posse cogere (dicamus, necessitate urgere) humanam voluntatem ad bonum. Atqui hoc ipso eidem eripiet facultatem merendi per bonas actiones, atque adeo meriti honorem illi invidebit; quod cum divinis eius attributis pugnat.

§. 260.

Pro responsione pono *THESIN OPPOSITAM. Auctor naturæ, non quidem qua talis, attamen pro vi agendi ad extra infinita* (§. 75.), *potest absolute tollere a mundo quodam omne malum physicum, & morale.* Est enim utrumque malum non nisi accidentale, h. e. in defectu boni accidentalis consistens (§. 111.); qui licet ex defectu essentiæ oriatur (§. 117.), h. e. ex eo, quod in ipsa essentia, quippe finita, ratio adæquata boni oppositi non contineatur (cum secus accidentale bonum non esset, sed instar attributi) tamen, cum nec essentiæ repugnet, a vi saltem Dei infinita suppleri potest, bonum oppositum determinante, seu producendo caussam eius sufficientem creatam, seu per miraculum istius defectum supplendo. Et vero mala physica miraculis amoveri posse, per se clarum est. Atqui etiam proxima facultas ad malum morale positivum non nisi ex malo physico oritur (§. 137.); proxima vero facultas ad malum morale negativum, licet ipsa malum physicum non sit (§. 136.), tamen defectum facilitatis agendi bonum, sive habitus, mere accidentalem supponit (§. 124.), qui etiam ipso exercitio frequenti emendari potest (§. 129.), adeoque multo facilius miraculo suppleri. Unde omnium a D. Robinet propositorum argumentorum fallacia in eo consistit, quod malum essentiale ab accidentali non distinxerit. Atqui is mundus in ratione entis finiti & in ordine ad creationis finem expers a ma-

lo

lo physico & morali est, qui praeter bonitatem essentialem habet omne bonum accidentale, cuius creaturae rationales per essentiae suae finitudinem capaces sunt; sive id habeat per vires proprias naturae suae creatae, sive ope miraculorum per vires immediate ipsius Dei.

Itaque *ad primi membri ostensionem indirectam respono*, *dist. min.* bonitas Dei in tali hypothesi maior erit respectu eorum, qui malis physicis abusu libertatis utuntur ad accersenda sibi mala maiora alterius vitae sequentis (§. 223. III.); *concedo:* respectu omnium, i. e. eorum etiam, qui eisdem libere utuntur ad maius bonum (§. 222. II.), aut absolute loquendo; *nego. min. & cons.* Ostensum iam supra, volitiones & nolitiones Dei, queis ob diversa motiva quemcunque mundum vult creare, aeque magnam Dei respectivam relinquere bonitatem (§. 246.). Vide dicta §§. 247. 248. *Ad* eiusdem primi *ostensionem directam* iterum *distinguo:* defectus omnes essentiales tolli absolute nequeunt, & bonum expers omnis mali etiam essentialis esset bonum infinitum; *conc.* defectus accidentales non possunt tolli saltem per miracula; & bonum expers solum omnis mali accidentalis esset infinitum, *nego.*

Ad alterius membri probationes respondeo Defectus mere accidentales intellectus & voluntatis non oriuntur ex solo statu incompleto essentiali harum facultatum, sed vel maxime ex defectu caussae efficientis creatae simul & increatae, atque adeo stante finitudine facultatum tolli possunt. Atqui de defectibus solum accidentalibus hic agitur; quos si omnes removeas oppositis bonis substitutis, felicitas creaturarum rationalium completa erit, quantaecunque capaces sunt. *Deinde* datur medium inter voluntatem absolute & per essentiam bonam, & inter voluntatem non per essentiam absolute bo-

nam

nam sed mali capacem, nimirum voluntas eadem posterior actu omni fruens bono sibi accidentali & compossibili, sed beneficio alterius caussæ efficientis, nempe increatæ. Aliud vero est, quod omnis voluntas finita sit capax mali natura sua; aliud, quod actu cum malo mere accidentali sit composita. *Rursus* potest voluntas, actione Dei saltem, ita invariabiliter figi in amore boni, ut amittat facultatem proxime completam liberam mali, quippe mere accidentalem (§§. 111. 137.); quin propterea amittat facultatem mali remotam, quæ sola essentialis est, nec unquam amitti potest. *Denique* etiamsi Deus eripiendo libertatem proxime completam, atque una facultatem merendi, iis minus bonus esset, qui ea sunt bene usuri; tamen hoc ipso tanto magis beneficum se exhiberet iis, qui eadem abusuri sunt. Neutrum ergo bonitati eius aut quibuscunque attributis repugnat, sed volitio & nolitio libertatis æqualiter bona est (§. 246.).

§. 261.

THESIS 2., quam D. Robinet adstruit Parte I. tota, & præcipue cap. XXV. & seqq. *Possibile non est, ut vel plus, vel minus boni, aut mali, in rerum natura insit, quam actu inest.* Hanc sequentibus fulcit argumentis. 1. In ente finito omnis boni gradus mixtus est cum aliquo gradu mali, nullus est gradus puri boni. Ergo quot sunt gradus boni, tot etiam sunt gradus mali. Qualiscunque ergo natura ponatur, sive augeas bona, augebis & mala; sin minuas bona, minues & mala; ambo tamen semper manebunt æqualia. Atqui omnes mundi; in quibus tantundem boni ac mali, absolute æquales sunt bonitate totali, quæ ex subductione bonorum simul & malorum metienda est. Quod demum sophisma erit, si hoc non est? 2. Entia finita aliis excellentiora in perfectione etiam eisdem vi-

tiositate tantundem præstant. Substantia rationalis animali præstat non magis perfectionibus spirituum propriis, quam vitiis seu malis moralibus eorundem. Animal inanimatis rebus antecedit adiunctis animalitatis, tam doloribus scilicet quam voluptatibus sensitivis. Homo præstat muscæ centum perfectionibus & centum defectibus; abundat præ illa mille deliciis, sed & mille miseriis. 3. Non decebat auctorem naturæ cum partialitate affectus distribuere bona & mala, sed æqualitatem servare erga omnes species & individua creaturarum. *Respondeo* in genere, eodem vitio isthæc argumenta laborare, quo laborabant §. præc. explicata. Confundit adversarius ille bona & mala essentialia cum accidentalibus; ex quibus cum posteriora nunc inesse, nunc non inesse eidem substantiæ possint; evidens est, nunc maiora, nunc minora mala dari seu in uno aliquo ente, seu toto in mundo aliquo posse. Unde *in specie respondeo ad* 1. Quot sunt gradus boni essentialis, tot possibiles sunt gradus mali accidentalis privativi, ut vocant, h. e. talis, quod bono in eo ente possibili opponatur; istud quidem verissimum est: nec nisi pro gradu crescentis boni essentialis finiti crescit capacitas malorum privativorum. Sic ignorantia in lapide non *malum privativum* est, sed in solo homine; quia hic solus ob perfectionem essentiæ suæ est capax scientiæ, ceu boni oppositi. Contra in lapide eadem ignorantia merum *negativum malum est*. At falsum evidenter est, aut bonum essentiale utrobique & in omnibus esse æquale iuxta ac malum essentiale; aut, omne malum privativum, quod possibile est in existente substantia, eidem semper actu inesse; aut bono opposito accidentali actu præsente non crescere bonum entis absolutum (§. 85. Ont.). *Ad* 2. Ex hoc sequitur quidem, hominem omni bono accidentali, cuius

cuius est capax, actu destitutum, sicuti pluribus bonis essentialibus bruto praestat, sic & eodem pluribus malis privativis laborare: at idem tamen secundum essentiam bruto perfectior est, & bonis accidentalibus, quorum est capax, reipsa ornari potest, & sic ornatus absolute melior non solum bruto, sed etiam alio homine est, qui caret eisdem. *Ad* 3: Si non decebat auctorem naturae perfectiorem uni essentiam quam alteri creaturae tribuere, mera profecto elementa corporea sine vita creare ipsum oportebat, non bruta, non homines. At nugae nugarum! partialitas affectuum in res inanimas, aut etiam in bruta verae felicitatis incapacia (§. 91.), num cadet; ut meliores illis substantias producere auctor naturae nequeat? Solum ergo de creaturis rationalibus dici potest, non decuisse auctorem naturae, ut praecise ex partialitate aliqua affectus uni plus mediorum accidentalium suppeditet ad finem creationis, i. e. ad felicitatem aeternam, sive ad omne bonum accidentale actu consequendum, cuius est capax per suam essentiam. Atqui nemo istud quidem affirmat, quod mera ex partialitate affectus aliis maiora, aliis minora media eiusmodi distribuat; siquidem salva libertate humana hoc ipso in hypothesi parium etiam mediorum diversus boni malique moralis gradus in diversis hominibus, aut quibuscunque creaturis rationalibus erit; quin & alia eorundem proportio in diversis mundis possibilibus pro diversa hominum, ipsorumque bonorum & malorum physicorum combinatione.

§. 262.

THESIS 3. D. Robinet haec est. *Mundus unicus & possibilis est, & necessario a Deo producitur.* Probat 1. ex eo, quod, ut supra iam ex hoc auctore relatum (§. 62. in notis), ex ipsius mente in Deo nec intellectus, nec voluntas, proin nec bonitas,

nec libertas detur, ceu quæ non nisi entis finiti sint notæ propriæ. Unde negat, aliter a nobis Deum cognosci quam sub notione caussæ primæ seu rationis ultimæ sufficientissimæ istius mundi. Quoniam ergo libertas non nisi entis finiti est nota, inquit; sequitur, Deum non voluntate, sed natura sua esse caussam ultimam istius mundi, eamque completissimam. Necessitate ergo naturæ suæ produxit, quidquid potuit. Porro effectus entis infiniti necessario agentis, etsi infinitus esse nequeat, tantus tamen esse debet, quantus possibilis est. Mundus ergo, ceu effectus totalis entis infiniti, omne, quidquid extra Deum possibile est, in se complectitur. Unicus ergo est, & necessario a Deo productus. Vide auctoris præfati P. VI. cap. 29. 32. 56. *Resp.* Si suppositum auctoris subsisteret, videlicet, voluntatem ac libertatem vi notionis suæ genericæ non nisi enti finito convenire, neutiquam vero enti quoque infinito propriam esse posse; recte utique auctor præfatus concluderet. At quam parum voluntas ipsa secundum dicta (§. 69. not.) ab ente infinito ceu essentialis imperfectio excludi potest; tam parum potest probari, libertatem in genere ad merum bonum, sive ad volitiones & nolitiones æque bonas (§. 246.), imperfectionem ipso in conceptu involvere. In homine quidem libertas omnis, non solum ad malum positivum, sed etiam ad bonum ipsum, imperfectionem essentialem supponit; quia circa bonum intrinsecum sibi & absolutum (§. 134.) homo liber est. Ast Deus liber est solum quoad bonitatem respectivam, seu circa actus voluntatis oppositos, quibus creaturis rationalibus his præ aliis, hoc vel alio modo, respective bonus est) §. 85. Ont.); quorum tamen oppositorum licet actuum quiscunque præ altero in Deo pro eius arbitrio insit, invariata manet infinitudo bonitatis Dei absolutæ,

lutæ; imo ne quidem magnitudo, sed sola qualitas bonitatis respectivæ, variatur. Vide dicta §§. 246. seqq.

§. 263.

Probat eandem thesin præfatus auctor 2. P. VI. cap. 32. Potentia creandi proprietas est ipsius naturæ divinæ, & quidem potentia talis, quæ non sit mera facultas incompleta, sed perfecte sufficiens & adæquata ratio efficiens sui effectus. Jam vero ens per essentiam creatrix necessario creat id omne, cuius creandi habet facultatem. 2. Quidquid in Deo inest, per essentiæ ipsius necessitatem inest; nihil in eo contingens est. Sicut existit per essentiam, sic nihil in eo existit, nisi per essentiam. 3. Si actus creandi non per essentiam inesset Deo, hoc ipso incompossibilis cum isthac esset. Illa enim plenitudinem existentiæ in Deo determinat. Quod ergo per essentiam in Deo non determinatur, hoc ipso non ita compossibile eidem est, ut existere in Deo possit. *Resp. concedo*, facultatem creandi liberam, infinitam, & completam, ad essentiam Dei pertinere; *nego* autem pertinere ad eandem facultatem *efficientem* completam (§. 322. & seqq. Psych.). Cum enim volitio creandi non sit melior, neque in ratione bonitatis absolutæ, nec in ratione bonitatis respectivæ, quam nolitio creandi (§§. 246. 247.), neutra ad essentiam entis infinite boni pertinet; etsi facultas volendi & nolendi, id est, potentia alterutrum ex duobus actibus æque bonis, sed non nisi seorsum essentiæ compossibilibus, ad eius essentiam pertineat, quæ necessario facultatem ad omnem boni compossibilis speciem complectitur. *Ad* 2. *resp. nego*, enti etiam infinite bono necessario & vi essentiæ inesse actum bonum, qui melior non est actu sibi opposito, & proin æque compossibili cum essentia. Atqui per §§. citt. volitio creandi me-

 lior

lior non est nolitione creandi. Unde licet Deus per essentiam existat quoad naturæ substantiam, tamen contingentes in eo actus existere possunt, quibus creare aliquem mundum vult, & unum præ alio. *Ad* 3. *resp. nego assertum.* Quodsi enim actus oppositi æque boni sint, nec quidquam mali omnino per se contineant; sicuti unus, ita & alter, cum ente infinito bono non pugnat. Ambo ergo, non quidem simul, ceu oppositi, attamen divisim essentiæ divinæ compossibiles sunt. Cum ergo essentia Dei neutrum præ alio determinet, sed potius ex parte objecti voliti ratio motiva suppetat & volendi & non volendi, eaque sufficiens (§. 254.); id genus volitio iuxta ac nolitio in Deo inerit per modum contingentis, sive ad accidentis similitudinem, quod videlicet, etiam cum actu inest, sic inest, ut non inesse possit; quia, etsi cum essentia compossibile est, per eam tamen non magis quam ipsius oppositum determinatur.

§. 264.

Probat idem eandem thesin 3. P. VI. cap. 33. & 39. sic. Actus creationis grande aliquod bonum in Deo est, ergo nisi hic per essentiam Deo insit, Deus non est per essentiam infinite bonus ac perfectus. 2. Agens non est completum in existendo, nisi actu agat: ergo neque Deus &c. 3. Ens necessarium in existendo etiam necessarium esse debet in agendo; quia sicut ad existendum non potest ab alio præterquam a propria natura sua determinari, ita neque ad agendum. 4. Pari iure dicam, Deum libere se determinare, ut existat, si libere ipse se determinat, ut agat potius, quam non agat. *Resp.* quamdiu quis actum creationis, seu volitionem creandi sibi repræsentat ut privative bonum, tamdiu valitura id genus argumenta istiusmodi. Ast quamprimum advertet, sicuti creando Deus bonum se

se respective exhibet illis, qui in altera sequente vita sunt futuri æternum beati, ita eundem ex æquo fore non creando beneficum erga illos, qui æternum infelices futuri sunt; intelliget, puto, utrumque actum, volitionis, & nolitionis, esse æque bonum relate ad absolutam bonitatem Dei, & relate ad diversas creaturas rationales. Unde sequitur, Deum potius non fore agens completum in existendo, si non per essentiam haberet facultatem ad utrumque ex his actibus æque bonis, i. e. nisi liber esset ad utrumque agendum pro arbitrio. Hinc ad 1. *dist. antec.* actus creationis est grande bonum in Deo, non tamen melior creationis nolitione; *conc.* secus, *nego.* Ad 2. Agens non est completum in existendo, nisi actu producat effectum sibi absolute competentem, cuius productio melior est quam non productio, *conc.* secus, *nego.* *Ad* 3, Deus ad agendum ad extra neque a sola sua essentia, neque ab alia re a se distincta, determinatur; sed actus liber, quo creare quid vult, instar actus liberi humani, est præter essentialem volendi facultatem partialis ratio sui ipsius ultima, perinde atque actus liber humanus. *Ad* 4. Ratio existentiæ Dei ultima ita boni rationem habet, ut eius oppositum evidenter sit malum: ergo abesse ab essentia entis infinite perfecti non potest. At contrarium de volitione creandi mundum ostensum est.

* Ceterum mirum denique non est, D. Robinet displicere, quod Deo voluntas, huiusque vera libertas, tribuatur; quippe qui in P. IV. cap. 23. actum voluntatis iuxta atque intellectus humani per motum fibrarum, quas intellectuales & volitivas vocat, explicare non dubitat; quin ipsum instructum moralem, seu principium moralitatis actionum liberarum, in sensatione externa quadam P. III. cap. 3. & seqq. reponit, huicque organum sensorium proprium, sensumque sextum adhuc incognitum, affingit.

Quo usque demum insaniæ provehere metas hominibus iubebit!

§. 265.

I. *Absque ratione sufficiente asseritur, Deum omnia creasse, quæ creare potuit, aut mundum istum complecti omnia, quæcunque possibilia sunt.* Quod enim liberum Deo est facere, nisi a posteriori ab eo factum esse constet, factum revera esse a priori profecto demonstrari non potest. Atqui a posteriori non constat, omnia possibilia ab eo actu creata esse, & alioquin liberum Deo est aliquid creare (§. 238. seq.): ergo &c.

* Legem continuitatis etiam hic obtendunt, vi cuius nullo saltu facto Deus gradus perfectionis omnes possibiles, ab imo & summo intermediis diversis totidem creaturis actu creatione impertiverit. At libertas proprie talis leges physicas ignorat. Præterea limites perfectionis magnitudini minori æque ac maiori inesse absque saltu possunt.

§. 266.

II. *Non probatur, mundum non nisi unicum possibilem fuisse;* eo quod non probetur, Deum, huius præsentis mundi malis motum, quæ ex libertatis abusu actu consequuntur, condere alium non potuisse, in quo citra usum libertatis beatitudo vera ab eo mera liberalitate creaturis rationalibus a se creatis universis conferretur (§. 232.).

ARTICULUS VI.

DE MUNDI ISTIUS IN TEMPORE CREATIONE, SIVE DE INITIO MUNDI, EIUSQUE DURATIONE.

§. 267.

Ens æternum secundum dicta §. 22. est, quod existit sine initio & fine existentiæ. Ibidem ostensum, ens a se, atque adeo *Deum, esse ens æternum*. Vide etiam §. 58. III.

§. 268.

§. 268.

Mundus non est ens æternum, i. e. non extitit ab æterno, imo nec potuit ab æterno existere. Est enim ens per essentiam mutabile (§. 245. Cosmol.). Pone ergo, extitisse ab æterno. Mutatione ergo perenni in mundo succedente series eventuum in mundo extitisset sine initio, i. e. quin regrediendo unquam ad primum eventum aliquem perveniri posset, imo, quin, quantocunque eventuum numero deducto, unquam propius ad primum aliquem accedatur. Atqui hæc non nisi numeri infiniti, qui certo repugnat (§. 151. not. Ont.), proprietas est. Mundus ergo ab æterno existere non potuit.

* *Opponit* D. Robinet (P. VI. c. 56.), mundi coæternitatem cum Deo asserens, numerum eventuum seu generationum in mundo nihilominus fore finitum, etsi initio careat: eo quod semper novi eventus ac generationes addi eidem sine fine possint; quod certo non conveniret numero infinito. *Resp.* bella argutia! hoc ipsum ergo probat, neque initio carere seriem eventuum mundi. Cum enim finitam esse vel ex eo constet, quod addi quid possit; initio carere item non potest; quo si careret, esset hoc ipso infinita.

** *At, inquit* idem auctor, cum ratio sufficiens adæquata existentiæ mundi, nimirum Deus, huiusque tum voluntas creandi illum, existat ab æterno, eiusdem quoque effectus caussæ suæ adæquatæ non item coëxistere ab æterno non potest. *Resp.*; quæ impossibilia sunt, rationem æternam in Deo habere non posse. In Deo itaque non nisi voluntas condendi mundum in tempore, seu cum existendi initio aliquo, locum habet, eademque hoc ipso nonnisi mundi in tempore existentis ratio sufficiens esse potest. Potuit itaque Deus aliud quodvis initium mundo diverso ac alteri a præsente facere, at sine initio condere, aut hunc numero mundum cum alio initio condere,

non potuit. Vide infra §. 513. Extitit ab æterno in Deo ratio sufficiens, sed non alia, quam ex qua præcise intelligatur, cur cum isto initio hic mundus existat. Si necessitate naturæ Deus creasset mundum, vim habere argumentum videri posset: at, cum libere crearit, ex volitione libera ratio contingentis initii mundi, iuxta atque istius determinati mundi, non dicam distincte & complete, attamen ceu non impossibilis saltem, intelligi abunde potest.

§. 269.

Mundus iste corporeus tum annihilatione omnino interire, tum sine annihilatione per novam præcise partium eius compositionem miraculo introductam in alium prorsus converti potest. Deus enim illum liberrime creavit; ergo & absolute annihilare potest, saltem quatenus elementis corporeis constat. Etsi enim hominum animæ beatitudini æternæ superstites mansuræ sint (§. 182.); hæ tamen nec per se ad sui immortalitatem corporeo influxu indigent (§. 406. seqq. Psych.), nec Deus mediis a se extraneis opus habet ad eas felices reddendas (§. 75.).

2. Sicut porro prima compositio a Deo mundo huic libere inducta fuit, ex qua deinceps omnis successio mutationum per statas leges in eo consequitur; ita miraculo, i. e. divina virtute, successio ista quovis momento abrumpi, & præsens compositio quævis in aliam tota specie diversam converti potest. Iam vero tali casu mundus posterior, quippe nullo nexu cum priore coniunctus, sed solo Dei arbitrio constitutus, idem compositum, atque adeo nec eundem mundum (§. 266. Cosmol.), cum isto conficiet. Mundus ergo præsens corporeus non solum annihilari, sed etiam sine annihilatione in alium mundum converti divina virtute potest.

§. 270.

Quatenus mundus præsens etiam ex substantiis spiritualibus, intellectu præditis, nimirum animabus rationali-

nalibus componitur, nunquam prorsus annihilabitur, sed quoad istas saltem sine fine extiturum, etiam naturali lumine certum est: quippe sine quo beatitas istarum animarum æternum perdurare non posset.

* Porro ut tum quoque tempori æterno locus detur, i. e. successioni mutationum in animabus vera actu beatitudine fruentibus, necessarium non existimo. Ad felicitatem enim completam (§. 84.), intuitus beatifici propriam, non tam mutatione quam perduratione immutabili est opus. Certe Deus sine mutatione beatissimus est. Unde nec illud necesse erit, ut tempus sine fine admittamus; maxime cum & sacræ paginæ tempus non fore amplius non doceant, postquam præsentis vitæ status ab omnibus hominibus creandis aliquando fuerit integre absolutus.

CAPUT III.

DE INTELLECTU DIVINO.

ARTICULUS I.

DE UNIVERSITATE OBIECTI INTELLECTUS DIVINI, ET SCIENTIARUM DIVINARUM DIVERSITATE.

§. 271.

Deo omnium cognoscibilium, seu totius veri metaphysici (§§. 5. 7. III. 15. 19. Ont.), non solum ideam (§. 63. III.), sed & conscientiam (§. 65.), atque adeo veram cognitionem, eamque adæquatam & distinctissimam, seu intellectum purum ac perfectissimum (§. 155. Psych.), omnis expertem ratiocinii (§. 168. Psych.), ceu enti infinite perfecto, tribuendum esse, iam locis modo citatis ostensum est. Itaque I. *obiectum divini intellectus est omne verum metaphysicum, seu omnis rerum possibilitas, & existentia.*

II. *Modus cognoscendi universa Deo mere intuitivus competit, ac immediatus* (§. 132. Psych.), *omnis discur-*

diſcurſus ac ratiocinii expers, quo unicus cognitio ex cognitione alterius derivatur.

III. *Unde nec ſcientia eidem formaliter, ſed eminenter ſolummodo, convenit*, i. e. immediatus intuitus & notitia omnis veri.

* Hoc ergo ſenſu unice deinceps intelligi volo, cum ſcientiam cuiuscunque rei Deo in particulari tribuo.

§. 272.

Ex rationibus cognoſcibilibus, ſeu ſufficientibus, entium ac rerum cognoſcibilium univerſis (§. Ont.) aliæ ſunt meræ rationes poſſibilitatis intrinſecæ cuiusque rei, realitatis, vel entis (§. cit. not. 2.), aliæ præterquam quod ſint rationes poſſibilitatis eiusdem rei intrinſecæ, etiam ſunt rationes exiſtentiæ, vel ſui ipſarum, uti eſt poſſibilitas Dei (§. 57.), vel alterius rei, realitatis, vel entis, i. e. rationes poſſibilitatis extrinſecæ (§. 36. Ont.). Et quoniam ſub his rationibus meris poſſibilitatis, & rationibus exiſtentiæ, omnes rationes veri metaphyſici comprehenduntur, ut patet: idcirco *prima maximeque generalis*, *Logica* (§. 154. Log.), & *ex noſtro concipiendi diverſo modo orta, diviſio totius obiecti divini intellectus recte fit in meras rationes poſſibilitatis rerum intrinſecas qua tales, & in rationes exiſtentiæ rerum qua tales.*

* Cum omnes rationes exiſtentiæ etiam ſint rationes poſſibilitatis intrinſecæ reſpectu ſui ipſius, etſi non viciſſim omnes rationes poſſibilitatis intrinſecæ ſint etiam rationes exiſtentiæ (§§. 19. II. 27. Ont.); patet, membra huius diviſionis per ſe non eſſe mutuo excludentia (§. 160. Log.) niſi præciſe ſecundum noſtrum concipiendi modum. Interim hæc ipſa capacitas obiecti intellectus divini realiter eiusdem, ut modo ceu ratio mere poſſibilis, & modo ceu ratio exiſtentiæ concipiatur, hoc ipſo, quod non omnibus obiectis utraque ſit communis, etiam aliquod diſtinctioni rationis fundamentum præbet (§. 72. Ont.).

§. 273.

§. 273.

Porro ex universis rebus possibilibus aliarum ratio sufficiens existentiæ absolute necessaria est (§. 96. Ont.), qualis est solus Deus quoad essentiam & attributa (§. 158. I.); aliarum vero absolute contingens, quales sunt non solum res omnes finitæ, i. e. tam præsens iste, quam alius quilibet possibilis mundus (§§. 237. 238.), cum omnibus elementis, & creaturis rationalibus, tam quoad substantiam, quam quoad omnes circa eas possibiles mutationes intrinsecas, & relationes extrinsecas spectatis, sed etiam ipsæ volitiones, seu decreta, Dei libera de creando hoc vel alio mundo, & singulis istius eventibus disponendis (§. 244.). Ut adeo, quoniam absolute necessarium & absolute contingens sibi contradictorie opponuntur (§. 96. 97. III. Ont.), recte *obiectum universum divini intellectus quoad rationes existentiæ possibilium spectatum, subdividatur* 1. *in absolute necessarium quoad existentiam, &* 2. *in absolute quoad existentiam contingens, seu non absolute necessarium* (§. 159. seqq. Log.).

* Patet ex his, tam ad divisionem obiectorum divini intellectus, quam scientiarum, seu cognitionum, eiusdem genuinam, & regulis Logicæ conformem, adornandam, necessarium fuisse, prius contingentiam existentiæ rerum omnium finitarum, atque ipsorum decretorum Dei de hoc vel alio mundo creando libertatem cap. præc. accurate demonstrari: in qua tota demonstratione aliud non sumsimus interea, nisi Deo rerum omnium in se cognoscibilium universalem ac perfectam notitiam, creaturis vero rationalibus in hoc mundo veram libertatem competere. *Libertatis in genere* notionem idealem iam §. 103. Ont. fiximus, eiusque realitatem cum entis contingentis existentia absolute connexam esse, & vicissim existentiam *liberi primi* cum existentia entis *liberi secundi* itidem absolute connexam esse, itidem §. 104. Ont. ostendi. Porro eandem

dem realitatem & existentiam *entis liberi creati* vere talis (§. 103. Ont.) ex libertate vera animæ humanæ (a §. 301. seqq. Psych.) demonstravi. Inde demum ex sumta interim Dei scientia, non solum de possibilitate, sed etiam de existentia conditionate futura omnium actuum vere liberorum in omnibus creaturis rationalibus, Cap. præc. ostendimus, *Deum esse ens primum vere liberum*; ac vicissim ostendimus plane, si Deo decernenti creationem mundi, cunctorumque eius eventuum, sola possibilium qua talium scientia, ex ipsis rerum essentiis hausta, præluxerit (quam solam Ill. Wolfius in Deo præter scientiam visionis, seu rerum actu existentium, admittit Theol. Nat. P. I. §§. 226. 230. 232. seqq.), cum rerum possibilitas sit immutabilis, fatum universale in mundo necessario exoriturum (§. 237. not.); siquidem & libertatis humanæ notio huic principio Wolfiano de sola possibilium scientia Dei decretis prælucente conformis adstruatur. Contra si germana illa libertatis notio, ab ipsa sensus intimi experientia §. 30. & seqq. Psych. derivata, semel adstruatur; *evidens est, Deo quemcunque mundum creare libere decernenti solam possibilium scientiam non sufficere*, sed aliam insuper prælucere debere, qua scilicet iam ante decretum actu & reipsa absolute conceptum prævideat, quid creaturæ liberæ in omnibus decernendi mundi eventibus libere sint acturæ: siquidem libertas completa est facultas ad opposita æque possibilia ex æquo expedita. Unde in Wolfiano systemate possibilitas immutabilis mundi optimi, istiusque qua talis præscientia item immutabilis, Deum vi suæ infinitæ bonitatis etiam respectivæ infinitæ determinat, motivi instar, ad concipiendum decretum creandi mundum optimum; ipsum porro decretum hoc determinat, ceu ratio existentiæ sufficiens, existentiam mundi optimi una cum omnibus actibus creaturarum rationalium; quos Wolfius hoc solo nomine adhuc liberos vocat (perinde atque ipsum decretum Dei) quia omnes eliciuntur ab intrinseco ex motivo eius, *quod magis placet*; etsi existentia huius motivi

eum

cum omnibus suis circumstantiis vi solius illius decreti iam tanquam ex ratione sua ultima sit determinata, & motivum ipsum fortius electionis ipsum actum tanquam ratio sufficiens natura prior determinet. Ex adverso in nostro systemate, cum actus liber per essentiam non nisi is sit, qui ab omni determinante prævio, tanquam a ratione existentiæ ultima adæquata & adæquata a se ipso distincta, immunis sit (§. 302. seqq. Psych.); antequam Deus videat, quis mundus optimus reipsa & in actu secundo sit futurus, immediate prævidere debet, quem libertatis usum quælibet creatura rationis in quovis possibilium mundorum possibili actu primo proximo sit factura (§.226. seq.). Tum vero data prævisione mundi præsentis, vel alterius cuiusque, ceu omnium optimi. cum in eiusmodi prævisione, ob prævisum tam bonum quam malum usum libertatis, in eventuris inde tam malis quam bonis maximis etiam perfectissima Dei erga creaturas rationales benevolentiæ tam impellentia quam absterrentia motiva decernendæ creationis huius mundi, licet optimi, sortiatur (§§. 236. 92.), sic demum libertati divinæ, seu entis primi liberi, locus esse apertissime intelligitur (§§. 237. seqq.), eademque, quodlibet decreverit, seu hunc, seu alium mundum (§.238.) perinde cum infinita & perfectissima bonitate respectiva, imo & cum hypothesi, quod præsens mundus reipsa omnium sit optimus (§.241.) perfectissime combinatur (§. 246.): cum vicissim, si sola possibilium scientia præluceat creationi, atque vera libertas rationalibus creaturis a nobis asserta ad notionem Wolfianæ similem detorqueatur, nec mundus iste optimus haberi, nec summa Dei benevolentia salvari queat (uti Cap. VII. de bonitate Dei §§. 551. seqq. ostensuri sumus), atque una cum notione entis liberi secundi etiam notio entis liberi primi pariter necessario evertatur; id quod hoc ipso præsente Capite Artic. II. §. VI., ut opinor, manifesto evicturi sumus. Illud certissimum, quod, qui libertatem creatam non nisi a quocunque prævio deter-

terminante determinatam (cuiuscunque id nominis & speciei sit) cum Wolfio admittunt, aut nullam in Deo, aut certe item non aliam quam Wolfianam, i. e. itidem a scientia prævia prædeterminatam, in eodem Deo probare possint; ut ipsimet certo experientur, si quæstionem præc. Cap. pertractatam in systema redigere, i. e. distincta & propria scientiis methodo pertractare & ipsi velint; ad quod Wolfius suos adversarios cum tanta ostentatione non semel provocat.

§. 274.

Quoniam porro ex eis, quæ absolute contingentia sunt, non omnia actu & absolute existentiam fortiuntur, etsi illorum omnia absolute existere possint, uti ex possibilitate plurium mundorum patet (§. 260. seqq. Cosmol.); idcirco *recte obiecta divini intellectus absolute contingentia ulterius subdividuntur* 1. *in aliquando absolute existentia*, i. e. in ea, quorum ratio ultima adæquata existentiæ aliquando vere existit, nec mere possibilis manet (§. 40. Ont.), *&* 2. *in nunquam absolute existentia*, sive in ea, quorum ratio ultima adæquata existentiæ, etsi possibilis sit, tamen nunquam vere existit, sed mere possibilis manet.

* Etiam hæc subdivisio, uti prior divisio §. præc., per membra contradictoria procedit, adeque per regulas Logicas ibid. citatas non genuina esse non potest.

§. 275.

Quoniam ulterius rei omnis absolute contingentis ratio ultima existentiæ in ente necessario libero inest (§. 104. l. Ont.), quod est solus Deus (§§. 58. 250.), eaque vel omnino adæquata in ratione ultimæ, uti est respectu omnium rerum, tam substantiarum, quam accidentium, quæ ab actibus liberis creaturarum rationalium, horumque effectibus, distinguuntur, vel saltem inadæquata, uti

est respectu ipsorum actuum liberorum creatorum, qui ipsimet sunt partialis ratio existentiæ suæ ultima, & in quibus libertas creata cum libertate divina concurrit in eorum existentiæ ratione ultima adæquata determinanda (§. 329. not.); idcirco *obiecta divini intellectus absolute contingentia*, tam quæ absolute aliquando existunt, quam quæ nunquam existunt absolute, recte ulterius *dividuntur* 1. *in ea, quæ rationem ultimam existentiæ suæ adæquatam habent in solo Deo eiusque decreto libero, & 2. in ea, quæ rationem ultimam existentiæ suæ adæquatam non habent in solo Deo eiusque decreto libero, sed partialem ultimam rationem existentiæ suæ habent etiam in libertate creaturæ rationalis.* Priora vocantur *obiecta absoluta divini intellectus soli Deo libera*, altera *obiecta absoluta non soli Deo sed etiam creaturis rationalibus libera.*

§. 276.

Porro ex obiectis, quorum ratio ultima adæquata existentiæ in solo Deo eiusque decreto libero inest, i. e. *obiecta soli Deo libera* (§. præc.), rursus *vel talia sunt* 1. *ut non solum eorum existentiæ ratio ultima adæquata, sed etiam immediata & proxima, in solo Deo eiusque decreto libero insit;* ut sunt tum omnes substantiæ finitæ qua tales, quæ una cum primo coëxistentiæ aut compositionis suæ modo rationem ultimam & immediatam existentiæ suæ adæquatam habent in ente infinito, seu necessario libero (§§. 232. I. 104. I. Ont.), tum ipsa decreta Dei libera universe omnia, quæ, etsi partialem rationem existentiæ in ipsa Dei essentia habeant, tamen item more omnis actus liberi & vi notionis libertati essentialis rationem ultimam partialem existentiæ suæ ipsimet conficiunt: *vel sunt talia 2. ut, eorum quidem ratio existentiæ ultima adæquata* (in ratione ultimæ), *sed non item immediata & proxima* (saltem hæc non adæquata), *in solo Deo eiusque decreto libero insit;* ut

ſunt omnes modificationes, & mutationes tam intrinſecæ, quam extrinſecæ, ſeu relationes novæ, quæ in ſubſtantiis finitis coëxiſtentibus ex primo earum compoſitionis modo, ſemel libero Dei decreto una cum prima ſubſtantiarum coëxiſtentia determinato, deinceps per naturæ leges & ex actionibus ipſarum virium ſubſtantialium (§§. 97. 98.) per omnem temporis decurſum neceſſitate antecedente phyſica eveniunt (§. 141.). Prima iſtorum vocantur *obiecta abſoluta ſoli Deo & quidem immediate libera*, altera *obiecta abſoluta ſoli quidem Deo, ſed non immediate, libera* vocantur. Poſteriora hæc vulgo etiam *obiecta ſeu eventa abſoluta naturalia*, priora vero ſimpliciter *obiecta abſoluta ſoli Deo libera*, vocari poſſunt.

*** De diviſionum iſtarum bonitate iuxta ac notionum realitate ii dubitare non poſſunt, quibus & regulæ diviſionis logicæ (§. 159. Log.) & notiones metaphyſicæ a me citatæ ſatis ſunt familiares.**

§. 277.

Etſi ſola ratione ultima, vel adæquate, vel etiam ex parte tantum, ſublata, nec rationes proximæ, nec rationatum ipſum abſolute exiſtere poſſint (§. 13. IV. Ont.), atque adeo ſolo Dei decreto libero (ceu ratione ultima ſaltem partiali exiſtentiæ rerum omnium finitarum) ſublato omnium rerum creatarum abſoluta exiſtentia tollatur; nihilominus, cum rationes exiſtentiæ, ſeu ultimæ partiales (uti quæ actibus liberis creatis inſunt) ſeu immediatæ & proximæ, ſufficientes, vel inſufficientes (uti quæ ipſis viribus ſubſtantialibus, aliquando iam cum certo primo compoſitionis modo creatis, reſpectu novarum mutationum inſunt) propriam eamque a Deo eiusque omni decreto vere ac realiter diſtinctam cognoſcibilitatem habeant, & quidem ſub formalitate (§. 72. not. Log.) rationis exiſtentiæ, non quidem abſolutæ, ſeu completæ,

aut

aut ſufficientiſſimæ (§. 13. not. Ont.), ſed partialis & conditionatæ (§. cit. IV.), i. e. talis, quæ una cum ceteris partialibus, proximis, mediatis, & ultimis rationibus exiſtentiæ rationati ſui exiſtentiam determinatura eſſet: idcirco *rationes ipſæ exiſtentiæ incompletæ, tam ultimæ partiales, quæ creatis actibus liberis, quam immediatæ & proximæ, quæ viribus creatis ſecundum leges naturæ agentibus reſpectu mutationum ſeu obiectorum & eventuum naturalium* (§. præc.) *inſunt, etiam ſeorſim ceu obiecta & rationes exiſtentiæ cognoſcibiles, non abſolute exiſtentes, ſed conditionate extituræ, concipi cum fundamento in re poſſunt* (§. 72. Log.), *abſtrahendo a ratione ultima, adæquata, vel partiali, ex parte Dei eiusque decreti ſe tenente, an hæc ad illas acceſſura, atque adeo illæ abſolute extituræ aliquando ſint, nec ne.*

§. 278.

I. *Sequitur* ergo ex fundamento §. præc. explicato alia *diviſio genuina abſolute contingentium obiectorum divini intellectus* 1. *in obiecta abſolute contingentia præciſe ut conditionate aliquando extitura, vel non conditionate, extitura, ſub certa videlicet conditione*, per rationes exiſtentiæ proximas & incompletas, easque vel ultimas, vel non ultimas, 2. *in obiecta abſolute contingentia abſolute aliquando extitura, vel abſolute nunquam extitura;* quæ diviſio etiam magis eſt immediata reſpectu rationum exiſtentiæ in genere, quas diviſionibus iſtis, ceu obiecta divini intellectus, in ordinem redigimus (§. 163. n. 1. Log.), quam §. 275. immediate tradita de abſolute contingentibus; uti ex porro dicendis patebit.

§. 279.

II. *Obiecta contingentia conditionate extitura recte ulterius ſubdividentur* 1. *in obiecta conditionata creaturis rationalibus libera*, & 2. *in obiecta conditionata*

non libera, *ſed naturalia*, i. e. lege naturæ & per vires creatas neceſſitate antecedente hypothetica ſub data hypotheſi extitura.

§. 280.

Quoniam volitiones Dei agendi ad extra, i. e. creandi hunc vel alium mundum ſunt contingentes ac Deo immediate liberæ (§§. 237. 244. 249.); illæ quæ nunc exiſtunt abſolute, poſſent non exiſtere (§§. 95. IV. Ont.), & poſſent loco earum exiſtere volitiones producendi mundum quemcunque alium item poſſibilem (§§. 262. ſeqq. 238.). Porro quoniam nihil vult Deus unquam ſine motivo ipſum decente (§. 235.); idcirco, cum volitionis creandi mundum præſentem motivum fuerit beatitudo creaturarum rationalium (§. 242. I.) conferenda a ſe, ceu a cauſſa efficiente (§. 190.), præciſe illis, quæ libertatis bono uſu ceu medio morali ſufficiente ſe ad eam recipiendam diſponerent (§§. 193. 203. ſeqq.), deficiente hoc motivo, ceu ratioue poſſibilitatis reſpectu præſentis decreti abſolute exiſtentis de hoc mundo creando (§. 231. ſeq. Pſych.), etiam volitio, ſeu decretum, de hoc mundo creando non exiſteret in Deo abſolute, ſed eius loco exiſteret nolitio creandi hunc mundum, aut etiam quemcunque alium, vel etiam volitio alia alium quemvis poſſibilem creandi, eaque item contingens (§. 237.). Atqui poſſibile erat, ut hoc motivum deficeret, i. e. ut creaturæ rationales huius mundi, quæ nunc propter bonum uſum libertatis beatitudinem promerituræ prævidebantur, præviderentur eandem non promeritruæ, ſed potius maximam partes contrario eiusdem abuſu privandæ omni felicitate, & infelicitate perpetua mactandæ: quod enim liberum, idem contingens, & variabile eſt (§§. 104. II. 47. Ont.). Igitur *ſub conditione de ſe prorſus poſſibili deficientium motivorum creandi hunc mun-*

mundum, quæ in præsens movebant Deum ad volendam eius creationem, & existentium aliorum motivorum vel hunc non creandi, vel creandi alium, existerent in Deo aliæ volitiones & nolitiones, quæ nunc absolute non existunt.

* Quisquis genuinam libertatis negat aut evertit notionem, admittere non potest, possibile esse, ut motiva hunc mundum creandi, quæ Deus nunc absolute habuit, scilicet bonum usum libertatis & inde oriturum beatitudinem saltem quam plurimarum creaturarum rationalium, non habuerit. Nempe si mundi optimi existentia a sola eius possibilitate pendet (§. 74. not.), cum possibilitas nuda omnis sit immutabilis, motivum hoc quoque invariabile erat. At si a contingente maxime usu bona libertatis est, quod hic mundus etiam reipsa optimus sit; possibile erat, ut talis non esset; quia possibile erat, ut in eodem mundo creaturæ rationales multo plures potius abuterentur libertate, quæ nunc eadem bene utuntur: adeoque beatitudo earundem inde dependens, i. e. motivum decreti divini, variabile erat &c.

§. 281.

I. *Sequitur* ergo *ex fundamento §. præc. demonstrato divisionis obiectorum contingentium conditionate existentium membrum tertium, duobus §. 297. traditis iungendum, neque in obiecta conditionata soli Deo immediate libera*, ut sunt volitiones seu decreta Dei libera de alio mundo producendo, i. e. de creandis aliis substantiis, aut de primo compositionis & coëxistentiæ modo alio in huius mundi substantiis determinando (ex quo alius prorsus mundus per §. 259. Cosmol. consequeretur) aut de non nullis saltem eventibus, aut requisitis ad actus primos proximos liberorum actuum per miracula commutandis &c. si alius in præsente mundo extiturus libertatis usus in creaturis rationalibus prævisus esset.

§. 282.

II. *Completa ergo divisio & subdivisio obiectorum divini intellectus conditionate existentium, perinde atque absolute existentium, aut absolute non existentium* (§§. 275. 276.) *erit* 1. *in obiecta conditionata soli Deo immediate libera*, 2. *in obiecta conditionata libera immediate creaturis rationalibus*, 3. *in obiecta conditionata immediate simpliciter non libera, sed naturalia. Ad primam classem* spectant decreta Dei ceu rationes existentiae ultimae & proximae substantiarum alterius mundi &c., *ad alteram* actus liberi creaturarum sub aliis actibus primis proximis liberis in alio mundo extituris futuri, *ad tertiam* eventa naturalia in alio quovis mundo, aut in isto suppositis variis miraculis futura &c. &c.

* Ut completa sit divisio, in singulis membris intelligenda sunt tam quae futura sunt, quam quae non futura conditionate sub quavis posita conditione de se possibili, seu circa obiecta soli Deo libera, seu circa libera creaturis rationalibus, seu naturalia.

** Realitas quidem notionum de his tribus classibus obiectorum conditionate existentibus traditarum ultro ex dictis §§. 277. 280. evidens est: nihilominus maioris claritatis caussa eandem quoad singulas classes minutim Art. seq. demonstrabimus.

§. 283.

Ex definita universitate iuxta ac diversitate totius obiecti intellectus divini per se fluit divisio scientiae totius divinae, in se quidem realiter simplicissimae & indistinctae, quippe propriae enti infinito (§. 110. IV. Ont.), *formaliter tamen diversae, & in totidem formalitates cum fundamento in re distinguibilis ratione obiecti*, realiter, aut formaliter distincti (§. 72. Ont.).

§. 284.

Itaque Dei scientia dividitur 1. in intellectionem

nem omnium rationum possibilitatis qua talium (§. 272), quae vulgo vocatur *scientia simplicis intelligentiae*, & in intellectionem omnium rationum existentiae qua talium, quae *scientia visionis in genere* recte appellari potest, quatenus tam scientias existentiae rerum absolutae, quam conditionatae, complectitur.

§. 285.

Scientia visionis divina in genere porro vi §§. 273. 278. subdividitur 2. in *scientiam visionis absolutam*, qua Deus cognoscit obiecta omnia ratione absolutae existentiae suae, eamque vel *positivam*, qua cognoscit, quae absolute extitura sunt, vel *negativam*, qua cognoscit, quae absolute non sunt extitura; & *in scientiam visionis conditionatam*, sive in *scientiam conditionatorum* simpliciter, qua cognoscit obiecta ratione existentiae suae tantum conditionatae.

§. 286.

Scientia visionis absoluta, eaque positiva (§.praec.) *subdividitur* 3. *in absolute necessariam, & in absolute contingentem*; quarum priore Deus cognoscit existentiam absolute necessariam suae ipsius essentiae & attributorum, altera vero existentiam absolutam simul & contingentem decretorum suorum liberorum agendi ad extra & ipsarum rerum finitarum quarumcunque (§§. 58. I. 244.).

* *Scientia visionis absoluta negativa* mera contingentia attingit absolute nunquam existentia, eo quod omnia possibilia absolute existere possint, nullum autem necessario non existat; quod ipsum ad fundamentum divisionis conditionate existentium §. 277. propositum spectat; siquidem omnia certis conditionibus, item possibilibus, reipsa positis existerent.

§. 287.

Scientia visionis positiva absolute contingens (§. praec.) ulterius *subdividitur* 4. *in scientiam visionis absolu-*

ſolutam ſoli Deo liberam, qua Deus videt obiecta abſoluta ſibi ſoli quoad exiſtentiam libera, *& in ſcientiam viſionis abſolutam non ſoli Deo, ſed creaturis etiam rationalibus liberam*, qua videt obiecta abſoluta iſtis immediate libera (§. 275.). *Prior* ex his vi §. 276. & ratione obiecti ſui rurſus 5. *ſubdividi poteſt in ſcientiam viſionis abſolutam obiectorum abſolutorum ſoli Deo immediate liberorum, & in ſcientiam obiectorum abſolutorum naturalium*, quæ non immediate, ſed mediate ſolum quoad exiſtentiæ ſuæ abſolutæ rationem libera ſunt.

§. 288.

Similem in modum ratione obiecti (§. 282.) *ſcientia viſionis conditionata* (§. 285.) *ſubdivititur* 1. in ſcientiam obiectorum conditionatorum ſoli Deo immediate liberorum, ſeu ut vulgo iam recepto nomine in ſcholis appellatur, *in ſcientiam mediam reflexam*, 2. *in ſcientiam mediam directam*, ſeu obiectorum conditionatorum immediate liberorum creaturis rationalibus, 3. *in ſcientiam mediam naturalem*, ſeu conditionatam, *obiectorum conditionatorum* immediate ſimpliciter non liberorum, ſed *naturalium*.

* Porro *omnes iſtæ tres ſcientiæ conditionatæ iterum in poſitivas & negativas ſubdividi poſſunt*, prout nimirum ſub quavis conditione obiectorum ſibi reſpondentium aut exiſtentiam, aut non exiſtentiam, futuram cognoſcunt.

** Nomen *ſcientiæ mediæ* (ſaltem *quoad directam*) haud aliunde derivatum eſt, quam quod inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu poſſibilium mere qua talium & inter ſcientiam abſolutam viſionis abſolute contingentem quamlibet, imo inter ſcientiam meram poſſibilium & inter ipſa decreta Dei libera (quæ ad omnem rerum finitarum exiſtentiæ rationem adæquatam ſeu partialis ſaltem ratio requiruntur) intercedere, ac Deo libere volenti cuiuscunque creaturæ exiſtentiam prælucere debeat univerſa ſcientia

tia visionis conditionata obiectorum, seu actuum, creaturis rationalibus liberorum (n. 2.). Inde factum, ut idem *mediæ* nomen etiam primæ speciei scientiarum conditionalium (n. 1.) tribueretur. Interim de nomine contendere nemini Logicæ genuinæ perito in mentem veniet, si realitatem notionis secundum legem definitionum nominalium (§. 147. Log.) demonstrari infra advertet.

*** Porro *realitas tam* notionis huic vocabulo *scientiæ mediæ directæ* subiectæ, *quam ceterarum scientiarum conditionalium*, unice *a realitate obiectorum* pendet, quæ illis scientiis substant; de qua Artic. seq. ex instituto quam curatissime agetur. Realitate enim obiecti cuiusque scientiæ ex §§. 284. 286. 287. & 288. semel demonstrata secundum leges definitionum nominalium §. 147. Log., alio porro opus non erit, nisi ut *realitas* quoque *ipsius cuiusque scientiæ* itidem demonstretur, quod Artic. III. exequi ad amussim curabimus.

**** *Scientiam mediam obiectorum naturalium* quam dixi, quamque inter scientias visionis conditionatas recensui, alii passim cum scientia simplicis intelligentiæ confundunt, seu ad meram possibilium scientiam referunt. Attamen qui fundamentum primæ divisionis scientiarum, & nominatim ipsius scientiæ simplicis intelligentiæ, §.272. propositum, rite perpendet, sentiet profecto, iure a me actum esse, & scientiam illam mediam obiectorum naturalium prorsus conceptu obiecti a scientia simplicis intelligentiæ differre; siquidem per illam Deus non præcise possibilitatem mutationum accidentalium (§. præf. n. 3.), sed rationem existentiæ proximam, viribus activis substantiarum finitarum sub conditione certi actus primi proximi lege naturæ inextituram, intuetur; id quod scientiæ visionis in genere (§. 284.), non scientiæ simplicis intelligentiæ qua tali, proprium est. Unde & ista Scientia media obiectorum naturalium, æque ac celebris illa Scientia media directa, Deo libere creanti, seu inter sci-

entiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis absolutam absolute contingentem media, prælucere debet (§. 286.).

ARTICULUS II.

DE REALITATE, & RATIONE SUFFICIENTE ADÆQUATA, SEU COGNOSCIBILITATE, OBIECTORUM CUIUSLIBET SCIENTIÆ DIVINÆ.

§. I. *De ratione sufficiente seu cognoscibilitate, obiecti Scientiæ simplicis intelligentiæ.*

§. 289.

Ratio sufficiens adæquata totius obiecti Scientiæ simplicis intelligentiæ, sive eiusdem cognoscibilitas adæquata (§. 5. Ont.) *est intrinseca possibilitas* (§. 36. Ont.), *seu immunitas a contradictione, determinationum essentialium & attributorum cuiuslibet entis, tam infiniti* (ipsius nempe Dei) *quam finiti, item compossibilitas earundem cum varia serie modorum, & istorum ipsorum variabilitas.* Præter hæc enim nihil ulli enti inesse potest, seu nihil aliud possibilie est (§. 51. IV. Ont.), adeoque his omnis & universa possibilitatis ratio, quæ una Scientiæ simplicis intelligentiæ obiectum est, absolvitur.

§. 290.

Possibilitates intrinsecæ rerum finitarum adæquate realiter distinguuntur a possibilitate intrinseca Dei, sive entis infiniti. Ipsæ enim res finitæ, cum existunt, adæquate distinguuntur ab ente infinito, cuius possibilitas ipsa eiusdem existentia est (§§. 111. seqq. 35. Ont.), ceu a contradictorie opposito (§§. 110. IV. 60. Ont.). Iam vero non distinguuntur adæquate realiter ab eo secundum rationem existentiæ, quam potius, ceu entia ab alio (§. 114. II. Ont.), quoad substantiam suam prorsus in ente infinito habent (§. 232. Ont.). Ergo distinguuntur ab eo præcise quoad possibilitatem intrinsecam.

* *Fal-*

* *Falsum ergo est*, quod Ill. Wolfius §. 192. Theol. Nat. P. I. affirmat, *ideo præcise quid possibile esse, quod eius idea detur in intellectu divino*, & quæ inde porro deducit in §§. seqq. Certe finita etiam per se possibilia sunt, i. e. contradictionis expertia, non præcise ideo, quod Deus eorum idea polleat. Nec vero quemquam prætensa Wolfii demonstratio huic thesi §. cit. adiuncta multum convincet.

§. 291.

In tota universitate obiecti Scientiæ simplicis intelligentiæ continentur etiam omnes rationes existentiæ quorumcunque possibilium; etsi a nobis, obiectum huius scientiæ mente concipientibus, non concipiantur ut tales, sed mere ut rationes possibiles, i. e. contradictionis expertes. Sunt enim & illæ revera quid reale atque possibile, atque ad determinationes entium possibilium vel essentiales, vel ad attributa, aut modos (vel certe in ente infinito ad modorum analoga §. 118. II. not. Ont.) pertinens, adeoque per §. 289. ad scientiæ prædictæ obiectum pertinent; etsi distinctione rationis ratiocinantis a nobis scientiam illam concipientibus mere ut rationes possibilitatis, non ut rationes existentiæ concipiantur (§. 80. Ont.). Vide etiam §. 272.

§. II. *De ratione sufficiente, seu cognoscibilitate, Obiecti Scientiæ Visionis absolutæ, tam necessariæ, quam soli Deo liberæ.*

§. 292.

Ratio sufficiens adæquata obiecti scientiæ visionis absolutæ necessariæ (§. 286.) *est ipsa infinitudo possibilitatis entis infiniti qua talis, seu omnes realitates puras sine defectu complectens.* Sola enim ratio sufficiens existentiæ Dei absolute necessaria, atque adeo huius scientiæ adæquatum obiectum est (§. cit.). Atqui hæc in ipsa infinitudine prædita qua tali consistit per §. 115. Ont.

* Realitas huius obiecti ex ipſa eius demonſtrata alias poſſibilitate & exiſtentia patet (§. 147. Log.).

§. 293.

Eadem infinitudo eſſentiæ ſeu poſſibilitatis divinæ eſt etiam partialis ratio exiſtentiæ ultima ipſorum decretorum Dei liberorum, quæ obiectum Scientiæ viſionis abſolutæ ſoli Deo liberæ (§. 287.) conficiunt; quin tamen ipſam rationem ſufficientem ſeu cognoſcibilitatem immediatam obiecti eiusdem ſcientiæ formaliter conſtituat. Vis enim activa ad intra infinite perfecta, tam intellectiva, quam volitiva, ceu invariabilis in ſe, ad ipſam eſſentiam ſeu poſſibilitatem infinitam Dei pertinet (§§. 64. 67. 69. hic, & §. 49. Ont.). Atqui hæc utraque partialis ratio exiſtentiæ ultima eſt decretorum Dei liberorum, quæ obiectum Scientiæ viſionis abſolutæ ſoli Deo liberæ conficiunt: quippe quæ decreta ſunt actiones immanentes ipſius voluntatis divinæ, & cum ſint libera (§.249.), cognitiones prævias motivorum impellentium & abſterrentium (§. 307. Pſych.), ceu rationes ſuæ poſſibilitatis proximas (§§. 231. 232. Pſych.), ſupponunt, quarum ratio exiſtentiæ eſt vis intellectiva Deo eſſentialis, & item infinite perfecta (§.67.). Itaque ipſa infinitudo eſſentiæ ſeu poſſibilitatis divinæ partialis ratio exiſtentiæ ultima eſt decretorum Dei liberorum, quæ ſunt obiectum Scientiæ viſionis abſolutæ ſoli Deo liberæ: *quod primum.* Quia tamen tota infinitudo eſſentiæ ſeu poſſibilitatis divinæ abſolutæ neceſſaria abſolute in exiſtendo eſt, eatenus quoque tota ad obiectum Scientiæ viſionis abſolutæ neceſſariæ, nullo autem modo ad obiectum Scientiæ viſionis abſolutæ contingentis, quæ ſoli Deo libera eſt, pertinet: *quod alterum.*

§. 294.

Nulla ſcientia actualis, quæ decretis Deo ſoli liberis motivi inſtar prælucet, obiectum ipſum Scientiæ viſionis

sionis absolutæ soli Deo liberæ (§. 287.), *aut ipsam eius cognoscibilitatem, seu rationem sufficientem formalem constituit.* Solæ enim scientiæ actuales, seu cognitiones, motivorum vices agentes, qua tales, meræ sunt rationes possibilitatis, non existentiæ, respectu volitionis seu decreti liberi divini (§§. 231. 232. Psych.). Atqui solæ rationes existentiæ, & quidem contingentes, ac Deo liberæ, sunt obiectum Scientiæ visionis Deo soli liberæ (§§. 287. 285.). Ergo &c.

* In hac thesi *actus scientiæ*, seu intellectio ipsa divina, a *vi intellectiva* distinguitur, asseriturque, licet vis intellectiva per §. præc. sit ratio partialis existentiæ ultima decretorum Dei liberorum, tamen ipsos actus intellectionum nullo modo rationem existentiæ eorundem conficere; adeoque, etsi aliqui illorum actuum scientiæ, qui Deo libere volenti prælucent, contingentes sint, tamen hoc ipso nomine ad ipsum obiectum Scientiæ visionis Deo liberæ nullo pacto pertinere; quippe quæ ut talis meras rationes existentiæ Deo liberas pro obiecto habeat.

§. 295.

Ratio ergo sufficiens adæquata formalis, seu tota cognoscibilitas, obiecti Scientis visionis absolutæ soli Deo liberæ in solis decretis Dei liberis consistit, quatenus hæc instar actuum liberorum sunt partialis sui ipsorum ratio existendi ultima simul & contingens (§.329. not.Psych.), simulque ratio existendi contingens respectu omnium substantiarum finitarum, ac primæ compositionis earundem, eaque ultima (§. 232. Ont. & §. 276. hic.).

* Possibilitatem talium actuum in Deo atque actualem existentiam, adeoque *realitatem huius obiecti Scientiæ visionis Deo soli liberæ*, Cap. præc. §. 249. ex præsentia motivorum impellentium & absterrentium ostendi, quæ

Deus

Deus habuit, ut hunc mundum, etsi optimus is omnium possibilium esse ponatur, vellet creare.

§. III. *De ratione sufficiente, seu cognoscibilitate, obiecti Scientiae visionis absolutae obiectorum absolutorum naturalium.*

§. 296.

Ratio sufficiens obiecti Scientiae visionis absolutae obiectorum naturalium non est sola ratio sufficiens existentiae immediata talium obiectorum, quae ipsis viribus activis substantiarum finitarum inest ad producendas modificationes suas mutuis in se actionibus, transeuntibus, aut immanentibus (§. 287. hic, & §. 233. Ont.), *sed etiam ipsa decreta Dei libera, quae existentiam & conservationem substantiarum ipsarum finitarum determinant.* Ut enim absoluta visionis scientia a Deo videatur existentia talium obiectorum naturalium, quae in meris mutationibus modorum immediate, & mediantibus his etiam in mutationibus relationum extrinsecarum, consistunt (§. 276. n. 2.), necesse est, ut etiam ratio sufficiens absolutae existentiae ipsarum substantiarum, quae ratio illorum obiectorum proxima sunt, a Deo videatur; secus enim non absoluta, sed conditionata solum visionis scientia oriretur (§. 285.). Atqui ratio sufficiens existentiae absolutae, eaque contingens adhuc, sunt decreta divina libera: ergo & haec ad cognoscibilitatem absolutae existentiae obiectorum illorum pertinent, quae obiectum huius contingentis scientiae est.

§. 297.

I. *Scientia ergo visionis obiectorum naturalium absoluta a scientia visionis absoluta soli Deo libera non adaequate distinguitur, sed sicut ex parte commune cum illa obiectum habet, nempe Dei decreta libera; ita ex parte eadem cum illa est* (§. 295.).

§. 298.

§. 298.

II. ***Eadem scientia visionis absoluta obiectorum naturalium a scientia visionis absoluta soli Deo libera ex parte distinguitur, eidemque novi obiecti scientiam visionis superaddit:*** eoquod posterior solam substantiarum finitarum & ipsorum decretorum Dei liberorum absolutam existentiam una cum primo mundi totius compositionis modo Deo repræsentet; prior vero omnem seriem mutationum per vires solas naturales ex naturæ legibus eventuras insuper Deo absoluta visionis scientia cognitas proponat.

* De huius quoque scientiæ eiusque obiecti realitate atque existentia tota Cosmologia & Psychologia nos convincunt.

** Falsum ergo & illud, quod Ill. Wolfius §. 225. Theol. Nat. P. I. affirmat, nempe *Deum res ut existibiles solum cognoscere, quatenus sibi suæ omnipotentiæ est conscius.* Quasi vero hæc rerum omnium ratio esset adæquata.

§. IV. *De ratione sufficiente, seu cognoscibilitate, obiecti scientiæ visionis absolutæ obiectorum creaturis rationalibus liberorum.*

§. 299.

Ratio sufficiens, seu cognoscibilitas, obiecti scientiæ visionis absolutæ obiectorum creaturis rationalibus liberorum in ipsis volitionibus liberis creaturarum rationalium ex parte consistit; quatenus eæ sunt more omnium liberorum actuum partialis suæ ipsius existentiæ ratio ultima (§. 329. not. Psych.). Scientia enim ista, de qua hic sermo est, existentiæ horum actuum rationem immediatam & absolutam pro obiecto habet (§. 287.). Atqui ratio huius existentiæ partialis, immediata, & ultima, inest ipsis hisce actibus (§. cit. Psych.). Ergo &c.

* Dixi,

* Dixi, rationem obiecti huius scientiæ *ex parte* ipsis actibus liberis creatis inesse: non enim in his adæquate & solis consistere, mox ex seq. §. 301. patebit.

§. 300.

Nulla ergo cuiuscunque obiecti, ab ipsis istis volitionibus formaliter (cum fundamento in re §. 72. Ont.) aut realiter adæquate distincti, scientia esse revera scientia visionis absoluta horum obiectorum seu actuum ipsis creaturis immediate liberorum potest, nisi quæ rationem existentiæ illorum eam ipsam partialem ultimam immediate intueatur, quæ ipsis istis actibus solis immediate, & in nullo alio ab eis formaliter aut realiter distincto obiecto, inest.

* Salva semel notione agentis liberi eiusque actuum liberorum, quam §. 103. Ont. ex eius oppositione cum agente necessario dedimus §. 104. II. Ont., & §. 243. Ont. cuius realitas in Psychologia a §. 301. seqq. stabilita prorsus est, corollario præsente evidentius nihil esse potest. Quæcunque enim ratio existentiæ ipsum actum liberum natura prior præcedat, seu ultima, seu non ultima, complete sufficiens illa esse nequit, quamdiu seu dicto modo formaliter, vel omnino realiter, ab ipso actu creaturæ libero distinguitur; nec adeo ea licet per aliquam quamcunque scientiam cognita ipsius actus liberi existentia cognoscitur; quippe quod rei existentia neutiquam nisi cognita istius completa sufficiente ratione cognosci queat.

§. 301.

Ipsæ tamen volitiones liberæ creaturarum rationalium, quatenus etiam sunt partialis ratio existentiæ sui ultima, non sunt ratio sufficiens adæquata, qua tota cognoscibilitas obiecti scientiæ visionis absolutæ talium actuum creaturis rationalibus liberorum absolvitur; sed ista insuper rationes sufficientes existentiæ totius actus primi proximi liberi & remoti complectitur: quorum prior tum existentiam substantiæ & facultatis liberæ, tum cognitio-

gnitionum motiva impellentia & absterrentia proponentium, involvit; posterior vero omnem seriem caussarum mediatarum existentiae ipsius actus primi proximi usque ad ultimam, quae ipsi Deo eiusque decretis liberis inest, queis ille tum ipsam substantiam finitam liberam, tum caussas mediatas, quae substantiae sunt, cum primo illo compositionis modo creare, ac deinceps durante tota actionum serie ac successione conservare decrevit, donec evolutis omnium caussarum intermediarum actionibus ad ipsum actum primum proximum liberum determinandum pervenerint. Scientia enim visionis talium actuum creaturis rationalibus liberorum existentiam eorundem absolutam videre debet (§. 285.): atqui hanc non videre potest, nisi visa ratione existentiae illius adaequata ultima, tam parum scilicet, atque illud obiectum, vel aliud quodcunque, absolute existere sine ratione sufficiente existendi adaequata & ultima potest (§§. 11. 13. IV. Ont.). Porro haec ratio ultima adaequata rationes omnes in thesi assertas complectitur: ergo &c.

§. 302.

I. *Scientia ergo visionis absoluta obiectorum creaturis rationalibus liberorum adaequate sumta non modo scientiam visionis absolutam soli Deo liberam, sed etiam scientiam visionis absolutam obiectorum naturalium eorum omnium involvit, quae rationes illorum obiectorum creaturis rationalibus liberorum mediatas & ultimas constituunt.*

§. 303.

II. *Eadem tamen scientia visionis absoluta obiectorum creaturis rationalibus liberorum ceteris duabus scientiis visionis absolutis praecedentibus* (§. praec.) *visionem illius rationis existentiae partialis ultimae superaddit, quae ipsis actibus creaturarum rationalium liberis inest, atque adeo etiam inadaequate ab eis distinguitur.*

§. 304.

Relationes loci, quas ſubſtantiæ finitæ in tota exiſtentiæ ſuæ duratione ſubeunt, iuxta atque relationes temporis mutuæ, quibuscum earum modificationes non liberæ ſibi ſuccedunt, rationem exiſtentiæ ſuæ ultimam item in decreto Dei libero, primum compoſitionis modum inter creatas ſubſtantias determinante, mediatas vero & proximas in viribus activis ſubſtantiarum finitarum non liberarum partim, partim vero etiam ſubinde in ipſis actibus liberis creaturarum rationalium, habent. Patet partim ex §. 264. Coſmol., partim ex eo, quod loci & temporis relationes, æque ac ipſæ mutationes reales, aliæ atque aliæ ſæpe etiam in actibus liberis hominum rationem proximam, vel remotam, habeant experientia teſte.

§. 305.

I. *Ad relationes ergo loci & temporis, quas obiecta creaturis rationalibus non immediate libera abſolute exiſtentia identidem abſolute ſubeunt, abſoluta viſionis ſcientia* (§. 285.) *videndas, quamdiu illæ ab actibus liberis earundem creaturarum rationalium ceu a ratione partiali ſuæ exiſtentiæ, proxima, vel remota, non dependent, ſufficit ſcientia viſionis abſoluta, tum Deo ſoli libera, tum obiectorum naturalium* (§. 287.).

§. 306.

II. *Ad eas vero relationes loci, aut temporis, abſoluta ſcientia viſionis cognoſcendas, quæ in actibus creaturarum liberis partialem exiſtentiæ rationem habent, proximam, vel remotam, etiam ſcientia viſionis abſoluta horum actuum creaturis rationalibus liberorum requiritur* (§. 303.).

§. 307.

Quoniam ad relationis cuiusque exiſtentiam exiſtentia utriusque termini, ſeu ratio ſufficiens exiſtentiæ utriusque termini relationis, requiritur (§§. 126. 127. Ont.); idcirco *ſola ratio exiſtendi proxima*

xima actus liberi creaturæ rationalis, quæ partim in facultate libera, partim in ipso actu libero inest, nondum est ratio sufficiens seu relationis extrinsecæ loci eiusdem ad alias res simul coexistentes, seu relationis extrinsecæ temporis eiusdem actus liberi ad alia tempore se priora, vel posteriora.

§. 308.

Itaque scientia visionis absoluta actuum liberorum creaturis rationalibus secundum eam formaliter solam, secundum quam illa inadæquate a scientia visionis absoluta tam soli Deo libera, quam obiectorum naturalium, distinguitur (§. 303.), *videt actus creaturis liberos sine omni relatione loci, aut temporis, ad alias substantias, harumque modificationes, sed præcise ut libere connectendas cum ipsa facultate libera completa aliunde (unde demum) ad existendum determinata.* Quatenus enim sic inadæquate ab illis scientiis distinguitur, ceteris duabus scientiis visionis absolutis solum intuitum illius rationis existentiæ partialis superaddit, quæ posito (unde unde) actu primo proximo libero inest ipsis actibus liberis creaturarum rationalium respectu sui ipsius (§. cit. II.), & vi cuius inexistere incipient in ipsa voluntate ceu modificationes in suo subiecto, sine discrimine loci, aut temporis. Atqui hæc ratio existentiæ unum tantum relationis (temporis, aut loci) terminum, nempe ipsum actum liberum creatum respicit, nullo modo vero existentiam, seu coexistentiam, aliarum rerum, simultaneam, aut successivam, determinat. Ergo per §. præc. scientia visionis absoluta actuum creaturis rationalibus liberorum, secundum eam formalitatem, secundum quam illa a ceteris visionis scientiis absolutis inadæquate distinguitur, nullam relationem loci, aut temporis, obiecti sui, seu actus liberi ad alias res coexistentes extra ipsam creaturam rationalem liberam, sed solam futuram respe-

ctu ipsius voluntatis seu facultatis liberæ completæ, iam aliunde (undecunque demum) existentis, cum actu libero connexionem, seu coexistentiam, & quidem in voluntate eadem ceu subiecto, & citra loci, aut temporis discrimen involvit.

§. 309.

I. *Relationum ergo loci, ac temporis, actuum creaturis rationalibus liberorum non videntur nisi per scientias tres visionis absolutas simul sumtas; sicuti non nisi per decreta Dei libera, & vires substantiarum creatarum, tam non liberarum, & lege naturæ cum hypothetica necessitate antecedente agentium, quam liberarum, simul sumtas, ceu per rationem sufficientem determinantur, ut existant.*

§. 310.

II. *Ratio ultima adæquata omnium relationum, loci, & temporis, substantiarum finitarum, absolute existentium, quæ a liberis actibus creaturarum rationalium nullo modo dependent, eadem est, nempe decretum Deo soli liberum, quo primum compositionis modum in mundi creatione determinavit* (*§*. 276. *n*. 1.); 2. *proxima vero ratio existentiæ earundem relationum, seu immediata, in ipsis viribus creatis cum certo discrimine loci & temporis in actu primo proximo ad agendum constitutis, & actione ipsa novi discriminis, loci, aut temporis, existentiam determinantibus, consistit* (§. cit.)*: atque adeo* 3. *hæ ipsæ rationes, nempe ultima illa, & hæc proxima, diversa duo obiecta sunt, in quibus Deus scientia visionis absoluta relationes loci & temporis omnium rerum finitarum absolute existentium a creaturarum rationalium libertate nec immediate, nec mediate, dependentes, absolute videt, & cognoscit, ita quidem, ut* 4. *scientia visionis absoluta sibi soli libera easdem videat in suo decreto libero ceu in ratione existentiæ ultima & remota, adæquata tamen (in ratione ultimæ & remotæ), &, ut loquuntur vulgo veteres, ceu in sua caussa prima;* 5. *si-*

mul vero per scientiam visionis absolutam, quam obiectorum naturalium vocavimus (§. 287.) *easdem relationes videat in praedictis viribus agentibus creatis, ceu in ratione existentiae earundem proxima, immediata, &, ut loquuntur, formali.*

* Ut evidentia huc usque a §. 304. dictorum magis in oculos incurrat, iuvabit relegere, quae in Psychologia §. 48. not. 4. pag. 44. & 45. de cognoscibilitate motus respectivi diximus, qui non nisi per motum absolutum, seu rationem absoluti motus, cognoscibilis est. Revera enim motus respectivus meris relationibus extrinsecis loci & temporis constat, quae non nisi per res, locum mutantes, & sibi succedentes, & per modificationes earum reales, quarum mutationum & successionum eiusmodi ratio existentiae immediata & formalis sunt, intelligi & cognosci possunt.

§. 311.

III. Ex adverso, quia ratio ultima existentiae actus liberi, saltem adaequata, non inest in ullo praevio determinante, adeoque nec in essentia, nec in decretis Dei liberis, nec in ipsis viribus substantialibus creatis ullis, aut istarum modificationibus, sed pars aliqua illius inest (instar vere ultimae rationis partialis) ipsi actui libero (§.329. not. Psych.): idcirco nec ullius relationis eiusdem, seu temporis, seu loci, ratio existentiae sufficiens, seu proxima, seu ultima, ceu utriusque termini existentiae rationem sufficientem necessario involvens (§§.126. 127. Ont.), adeoque *nec relatio ipsa ulla, temporis, vel loci, absolute existens ipsius actus liberi a Deo videri potest aut sola scientia visionis absoluta ipsi soli libera in decretis propriis liberis, aut iuncta eidem scientia visionis absoluta obiectorum naturalium in viribus creatis earumque actu primo proximo naturali, vel etiam in ipso actu primo proximo libero completo; sed non nisi per coniunctam utrique scientiae visionis absolutae, (soli Deo liberae*

videlicet, & obiectorum naturalium) scientiam visionis absolutam actuum liberorum tam ipsi actus liberi secundum se, quam eorundem relationes loci, ac temporis, seu præsentis, seu præteriti, seu futuri, & quidem non nisi immediate in ipso actu libero, ceu illarum omnium partiali ratione existentiæ immediata iuxta atque ultima, & hoc ipso etiam ceu in obiecto immediato, cognosci possunt.

* Hæc rursus omnia evidentia sunt, quamdiu rationem ultimam existentiæ saltem adæquatam nequaquam adæquate distingui ab ipso actu libero, sed potius simul eidem *immediate* (i. e. nulla alia mediante) inesse admiseris: id quod admitti debere, & experientia ipsa doceri a §. 301. Psych. seqq. ostendimus, & nemo probe catholicus hodie inficiari potest. Siquidem si res ita est, cum rei existentia absolute videri nequeat, nisi visa aut ratione sufficiente immediata adæquata, aut saltem ultima adæquata, simul vero hæc utraque saltem ex parte insit ipsi actui libero; actus liber nec secundum se, nec secundum ullas relationes temporis, aut loci, ut absolute existens in alio obiecto, quam immediate in se ipso formaliter a Deo videri potest.

** Similiter evidens omnino est, relationes temporis omnes, seu præsentis, seu præteriti, seu futuri, quoad rationes suas existentiæ tam ultimas, quam immediatas, sive in actibus creatis liberis, sive in non liberis, perinde in ordine ad scientias visionis absolutas sibi respondentes se habere. Sicut enim eadem res existens non nisi respectu habito ad diversos terminos est *præsens*, id est, simul coexistens, *præterita*, i. e. existens ante alteram, & *futura*, i. e. post alteram existens; ita omnium harum relationum ratio existentiæ ultima adæquata in decretis Dei liberis, creationem substantiarum mundum componentium & compositionis istarum seu coexistentiæ simultaneæ primum modum determinantibus, inest, saltem quæ a creaturis liberis non dependent. Et ratio quidem ulti-

ma

ma relationum compræſentiæ temporis multorum inter ſe mutuo ab ea formalitate decreti divini pendet, qua plura ſimultanea viribus activis ſimultaneis prædita creare decrevit: ſic enim ſemper aliquæ tum ſubſtantiæ, tum modificationes ſubſtantiarum ſibi præſentes, ſeu eodem tempore, extituræ erant. Ratio vero ultima relationum determinatarum temporis præteriti, & futuri, ineſt in ea decreti divini liberi formalitate, qua ſub hoc præciſe compoſitionis modo coexiſtentes ſubſtantias activas creare primitus determinavit; quippe ex quo mutationes primæ, & ex his ſecundæ, atque ex iſtis rurſus tertiæ determinantur, unæ poſt alteras ſecuturæ, i. e. relationes præteriti primis reſpectu ſecundarum actu exiſtentium convenientes, & relationes futuri ſecundis ac tertiis &c. convenientes reſpectu exiſtentium actu primarum. Porro eodem modo res prorſus ſe habet circa relationes loci, ac temporis, ſeu præſens, ſeu futuri, aut præteriti, actibus creaturarum liberis convenientes; niſi quod earum ratio, neque ultima, neque immediata, extra ipſum actum liberum adæquata, perinde reſpectu unius earum relationum, atque alterius cuiuscunque, nequaquam habeatur. *Idem* ergo *modus, eadem ratio obiecti, & eadem ſcientia in Deo eſt, quibus videt futura, ac queis videt præſentia, & præterita, abſolute exiſtentia; nimirum omnia hæc videt immediate & formaliter in rationibus immediatis exiſtentiæ rerum finitarum ad ſe invicem comparatis, mediate vero in cauſſa iſtarum prima, ſeu in ratione exiſtentiæ earundem rerum finitarum ultima;* hoc ipſo, quod in iſtis rationibus diverſis exiſtentiæ abſoluta cognoſcibilitas, immediata, & mediata, exiſtentiæ harum omnium relationum, i. e. fundamentum (§. 127. Ont.), iuxta atque ipſorum terminorum relationis (§. cit.), conſiſtat.

*** Qui obiecta naturalia ut abſolute exiſtentia quocunque loco & tempore negant a Deo etiam ſpeciali modo videri per ſcientiam viſionis abſolutam eorundem obiectorum

ctorum naturalium immediatam & formalem, de qua §. 287. n. 5. diximus, admittere perinde debent, Deum non tantum futura, sed & præsentia, & præterita qua talia, i. e. ipsa obiecta naturalia sub his relationibus spectata; neutiquam immediate in se ipsis & secundum immediatam rationem formalem existentiæ suæ, sed solum in decretis suis liberis, ceu in eiusdem ratione ultima adæquata, i. e. ceu in caussa tantum earum prima, remota, & ultima per scientiam visionis absolutam sibi soli liberam videre: ex quo absurdum illud sequitur evidenter, Deum res existentes non videre secundum omnes suas rationes cognoscibiles, nec vero etiam secundum illas, secundum quas nobis hominibus illarum plurimæ, & quidem unice, cognoscibiles sunt, nimirum illæ, quæ a propria animæ nostræ agendi facultate actione immanente intra se ipsum ad existendum determinantur. (Cetera enim extranea ne nos quidem secundum rationes existentiæ earum formales, sed solum in effectibus, quos in anima nostra producunt, existere cognoscimus).

**** Qui denique actuum etiam creaturis rationalibus liberorum existentiam negant a Deo videri scientia visionis absoluta his obiectis creaturæ rationalibus propria & in ipsis actibus liberis, ceu existentiæ sui ipsorum ratione partiali ultima æque ac immediata; illi alterutram sequelam, sed ex æquo veritati adversam, evidenter admittere debent, videlicet, *aut actuum creaturis rationalibus liberorum existentiæ ultimam rationem completam & adæquatam a Deo omnino non videri* (*adeoque eorum existentiam*, quæ videri sine visione rationis eius adæquatæ, saltem ultimæ, omnino non potest, *a Deo prorsus ignorari*) eo quod illa nulli enti, vel rei, seu infinito, seu ullis finitorum, ab ipso actu libero saltem formaliter cum fundamento in re distinctorum, nequaquam insit; *aut*, si tamen sola scientia visionis absoluta soli Deo libera in ullis quibuscumque decretis divinis soli Deo liberis actu eos videri, ceu in

in caussa illorum prima, velint, *supponere debent, in iisdem decretis divinis contineri eorundem actuum liberorum existentiæ rationem remotam atque ultimam omnino completam & adæquatam, perinde atque existentiæ obiectorum naturalium ratio remota & ultima adæquata in eisdem continetur;* ob quam ipsam istorum existentia per solam scientiam visionis absolutam Deo soli liberam iam a Deo in ipsis decretis, ceu in earum caussa prima & ultima adæquata videtur. Atqui *sic tota libertatis ratio ab id genus creaturarum rationalium actibus removebitur, eademque prorsus necessitas hypothetica antecedens in actus eosdem, quos hactenus liberos dicebamus, recidet, quæ obiectis naturalibus ob eam ipsam rationem propria est;* idque contra manifestam sensus intimi experientiam a §. 301. in Psychologia a nobis demonstratam, & ipso catholicæ Ecclesiæ magisterio infallibili confirmatam; quo ipso Ecclesiæ istius magisterio de Dei quoque libertate certissime edocemur.

§. 312.

Quoniam *tres istæ scientiæ visionis absolutæ* (§. 287.) intuitu suo omnes rationes cognoscibiles existentiæ absolutæ contingentis rerum finitarum complectuntur (§. 285.); *patet, quod* illæ *universe sufficiant, nec præter illas alia scientia visionis absoluta contingens asseri porro queat.*

§. V. *Ratio sufficiens & realitas obiecti scientiæ mediæ, naturalis* (§. 288.) *ostenditur directe & indirecte.*

§. 313.

Obiecti scientiæ visionis conditionatæ (*seu mediæ* §. 288.) *naturalis ratio sufficiens & cognoscibilitas adæquata sunt rationes illæ existentiæ proximæ & immediatæ certorum effectuum sive modificationum, quas substantiæ finitæ, seu caussæ naturales, in suis viribus activis continerent* (§. 233. Ont.), *si libero Dei decreto sub*

congruo primo compositionis modo ipsæmet a Deo crearentur. Namque *rationes illæ existentiæ* proximæ certorum effectuum, quas substantiæ finitæ sub conditione existentis eiusmodi decreti divini continerent, *non pertinent* qua tales *ad obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ*, quæ solas *rationes possibilitatis* qua tales cognoscit (§. 284.), *neque se solis pertinent ad scientiam ullam visionis absolutæ*; eo quod omnis scientia visionis absoluta pro obiecto suo adæquato exigat & habeat non solum rationem proximam, immediatam, & formalem, sed etiam omnes remotas cum ipsa ultima, ut patet tum ex §. 296. hic supra, tum etiam ex ipsis iam §§. 11. 13. V. Ont. porro in illis ipsis rationibus sufficientibus proximis, caussarum naturalium propriis, cognoscibilitas existentiæ inest, quam ipsi effectus naturales, seu obiecta naturalia (§. 279.), lege naturæ & necessitate hypothetica antecedente essent habitura sub conditione, si existeret liberum decretum Dei ante memoratum, ceu ratio ultima existentiæ earundem ipsarum caussarum naturalium (§. 277.); patet, *obiectum hoc ipsissimum* obiectum *scientiæ visionis conditionatæ (seu mediæ) naturalis qua talis esse* (§. 288.). Demum, quia sub illa ratione sufficiente proxima, caussis naturalibus insita, de qua dictum, ceu sub communi genere, omnium obiectorum naturalium ratio mere conditionata existentiæ continetur, patet, etiam rationem sufficientem *adæquatam* obiecti totius scientiæ illius conditionatæ (seu mediæ) naturalis comprehendi.

§. 314.

Obiectum scientiæ mediæ naturalis §. præc. declaratum reale est ac vere cognoscibile. Non enim solum possibile est secundum se, ut patet ex eo, quod illæ rationes sufficientes proximæ caussis naturalibus insitæ contradictione laborare non possint, quæ accedente

dente ratione ultima, ſeu decreto Dei creante ipſas cauſſas illas, actu & abſolute exiſtentiam formalem realium & vere poſſibilium effectuum naturalium determinant (§. 15. l. Ont.); verum etiam eſt vera ratio exiſtentiæ, non mea ratio poſſibilitatis, reſpectu effectunm naturalium, ſeu modificationum, quos determinaret ad exiſtendum; denique (quod rei præſentis caput eſt) reipſa cauſſæ illæ naturales pro quovis tempore, præſente, præterito, vel futuro, ex æquo prorſus vi rationis illius ſufficientis proximæ determinarent formalem exiſtentiam id genus effectuum naturalium; ſi modo accederet prævie ratio ultima, i. e. decretum Dei libere easmet creans, ſine qua nulla ratio proxima exiſtere abſolute poteſt. Etenim ſub conditione actu exiſtentis eiusmodi rationis ultimæ, ſeu decreti divini determinantis exiſtentiam ipſarum ſubſtantiarum ſeu cauſſarum naturalium, neceſſitate hypothetica antecedente omnes effectus naturales ex inſitis eisdem rationibus ſufficientibus proximis reipſa lege naturæ ineluctabili (§. 295. Cosm.) eventuri reipſa eſſent. Itaque obiectum ſcientiæ mediæ naturalis &c. &c.

§. 315.

Idem obiectum ſcientiæ mediæ naturalis qua tale diſtinguitur realiter a tota infinitudine poſſibilitatis eſſentiæ divinæ, nec in iſta ineſt ſub cognoſcibilitate rationis exiſtentiæ, ſecundum quam ſcientiæ mediæ naturalis obiectum eſt. Primum patet ex §. 290. Alterum ex eo evidens eſt, quod, tametſi rationes illæ reales & perfectiones, quæ in cauſſis naturalibus efficientibus ut rationes exiſtentiæ variarum modificationum inſunt, etiam Deo inſint ſeparatæ a ſuis limitibus, tamen Deo non inſint ut rationes immediatæ exiſtentiæ harum modificationum, ſed ut meræ rationes poſſibilitatis & exiſtentiæ ipſius Dei. Atqui

qui non nisi sub cognoscibilitate rationum existentiæ eiusmodi modificationum revera obiectum sunt peculiari modo cognoscibile per scientiam mediam naturalem (§. 288. not. 4.).

§. 316.

I. *Scientia media naturalis qua talis pro obiecto habet ipsam insufficientiam rationum sufficientium proximarum & immediatarum, quæ caussis & substantiis finitis lege naturæ insunt ad quævis obiecta naturalia, seu ad quosvis effectus naturales producendos, ipsam, inquam, illarum insufficientiam ad determinandam existentiam istorum effectuum absolutam sine decreto Dei libero* (§. 313.).

§. 317.

II. *Scientia media, seu conditionata, naturalis positiva* (§. 288. not.) *transit in scientiam visionis absolutam positivam obiectorum naturalium* (§. 287) *per præsentiam solam scientiæ visionis absolutæ soli Deo liberæ de decreto Dei libero creandi substantias finitas sub eo compositionis primæ modo, sub cuius conditione eadem obiecta naturalia rationes sufficientes proximas in viribus activis earundem substantiarum habituræ per eandem scientiam mediam naturalem iam prævisæ fuerant* (§§ 313. 296. seqq.).

§. 318.

Scientia media naturalis ab omni visione absoluta abstracta una cum scientia simplicis intelligentiæ prælucere debet decreto Dei libero, quo Deus decernat actu creare substantias & caussas finitas sub eo primo compositionis modo, sub quo per rationes sufficientes proximas & immediatas ipsismet proprias quædam obiecta naturalia absolute eventura sunt. Cum enim scientia simplicis intelligentiæ non nisi rationes possibilitatis mere qua tales repræsentet (§. 284.), nisi per istam scientiam mediam naturalem una prælucentem videret, quid sub conditione id genus decreti sui liberi concipien-

di

di in caussis naturalibus esset eventurum, idque antequam detur visio absoluta de actuali existentia, vel non existentia decreti eiusmodi, i. e. antequam hoc decretum ab ipso Deo iam concipiatur ut absolute existens, vel ut absolute non existens, Deus evidenter decerneret aliquid libere, nempe existentiam caussarum naturalium quoad substantiam & cum certo aliquo ac determinato primae compositionis modo, quin adhuc sciret, qui inde essent effectus extituri. Atqui tale decretum evidenter imperfectum, improvidum ab infinita Dei sapientia & perfectione alienum foret. Itaque scientia media naturalis &c. &c.

* Sufficit ad thesis huius demonstrationem confusa notio de Dei providentia & sapientia infinita in omnibus suis decretis concipiendis, ipseque defectus ille praescientiae satis imperfectionem decreti divini, ente infinite perfecto indignam, sub oculos ponit. Atque haec ipsa simul est indirecta illa demonstratio realitatis obiecti scientiae istius mediae naturalis, in inscriptione tituli huius §. V. promissa; cum ea, quae §. 314. data est, directae vicem habeat (§§. 279. 280. Log.)

§. VI. *Ratio sufficiens & realitas obiecti scientiae Dei mediae directae (§. 288.) item directe at indirecte ostenditur.*

§. 319.

Obiecti scientiae mediae directae qua talis (i. e. quatenus abstrahit ab omni nexu cum scientia visionis absoluta ratio sufficiens formalis, seu cognoscibilitas, adaequata sunt rationes illae partiales, ultimae simul & immediatae, existentiae sui ipsorum, quas actus omnes liberi, sub quovis possibili actu primo proximo libero a cuiuscunque possibilis creaturae rationalis libera voluntate eliciendi, continerent in se ipsis, si libero Dei decreto, ceu per rationem ultimam, & per ipsas vires convenientium caussa-

rum

rum naturalium, ceu per rationes ſufficientes immediatas exiſtentiæ, totus quilibet eiusmodi poſſibilis actus primus proximus liber completus ad exiſtendum determinaretur. Namque rurſus (uti §. 313. de ſcientia media naturali ſimiliter dictum) rationes illæ exiſtentiæ, ipſis futuris actibus illis liberis creatis inſitæ, qua tales *non pertinent ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, quæ ſolas rationes poſſibilitatis reſpicit (quo nomine ipſam ſcientiam viſionis neceſſariam ab ipſa ex communi ſententia diſtinximus §. 286.); *neque* eædem pertinent *ad ſcientiam ullam viſionis abſolutæ* poſitivæ (§. 287.), ut patet ex dictis ſupra §. 313. de obiectis ſcientiæ mediæ naturalis. Porro eodem modo patet, hanc obiecti totam cognoſcibilitatem (ſi modo realis ſit, quod mox §§. ſeqq. demonſtrabitur) hoc ipſo, quod in ratione exiſtentiæ incompleta actuum creatorum liberorum conſiſtat, *ad ſcientiam mediam directam qua talem pertinere*, & cum omnes rationes exiſtentiæ talium actuum ipſis creaturis rationalibus ſub conditione quorumcunque poſſibilium actuum primorum proximorum completorum liberas futuras complectatur, etiam *adæquatum iſtius ſcientiæ obiectum conficere.*

* Dixi: *ſi modo memorata hæc ratio ſufficiens obiecti realis ſit.* Iſtud ergo demonſtrare nunc totius præſentis negotii eſt caput. Quodſi enim obiecto huic realitas, ſeu cognoſcibilitas vera, convenit, etiam ſcientia viſionis conditionata ei reſpondebit vere realis.

§. 320.

Hypotheſis poſſibilis eſt, ut Dei decretum, a quo actus primus proximus completus liber quilibet creaturæ actu & abſolute aliquando exiſtens tanquam a ratione ſua ultima partiali exiſtentiæ dependet, & ſub quo creatura quævis rationalis aliquando actum liberum abſolute exiſtentem exercet, ut, inquam, tale Dei decretum nunquam extiterit, atque adeo nec ipſe actus primus proximus

mus liber completus creaturæ rationalis a tali decreto Dei dependens. Patet ex §. 238. & notione liberi §. 104. II. Ont.

* Notabis vero, amice lector, me quidem toto capite præcedente suppoſuiſſe in Deo præſcientiam actuum humanorum vere liberorum ſecundum notionem *libertatis* in Pſhychologia præſertim §. 329. not. ſtabilitam. Enimvero hoc uno principio manente ſalvo tota ſeries demonſtrationum ibidem ſalva manet, atque adeo recte a me præſentis hypotheſis poſſibilitas hoc §. aſſeritur. At etiam hoc everſo uno ruit omne ædificium velut ſublato fundamento. Libertate enim vere tali, & immuni ab omni neceſſitate (ſeu determinante adæquato) antecedente, ſublata, nec pœnæ alterius vitæ, nec longe plurimorum æterna infelicitas, nec adeo motiva unica Deum a creando hoc mundo abſterrentia, naturali lumine probata ſubſiſtunt, nec adeo libertas & contingentia decretorum Dei de hoc mundo creando; ſaltem ſi Deum quoque a ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, per motivum mundi optimi præciſe in ratione poſſibilis ſpectati propoſitum, determinari abſolute ad decernendam creationem, ceu a ratione antecedente prorſus ſufficiente, cum Wolfio defendas; quod ipſum non reipſa fieri, vix ac ne vix quidem certo ac diſtincto argumento amplius evinces, ſalvo, qui negari non poteſt, Dei in creaturas rationales amore benevolo eſſentiali infinite perfecto. Jam vero vide ſis, quomodo & quam aperte modo ſim *oſtenſurus directe*, eadem veræ *libertatis creatæ* notione ſuppoſita aliam actuum liberorum creatorum conditionalem præſcientiam quam deſcriptam, tum ſupra §. 287., tum §. præc. ope obiecti ſui, ſcientiam mediam directam in Deo haud poſſibilem eſſe; & quam item aperte idipſum *indirecte* evicturus ſim, *oſtendendo*, libertatis creatæ notione illa genuina quocunque modo ſemel everſa, aliaque conditionali actuum liberorum creatorum præſcientia (quæ a prædicta ſcientia media directa aliena ſit) aſſerta, incidi in alterutrum ex his abſurdis,

vide-

videlicet, ut aut Dei libertas cum totius mundi ac eius eventuum omnium contingentia exemplo Wolfii evertatur, simulque hoc ipso alterius vitæ propriæ malorum pœnæ omnino probari nequeant; aut ut Dei respectiva quoque infinita bonitas nullo pacto salvari queat, nec præsentis vitæ status ad alterius vitæ futuræ statum subordinatio ullo pacto explicari.

§. 321.

Evidens est, sub hypothesi eadem reipsa existente, quam §. præc. possibilem esse dixi, iudicium hoc, creatura hæc rationalis, si existeret sub isto actu primo proximo libero completo, hoc vel illud libere ageret (*id nimirum, quod nunc ob oppositam hypothesin absolute existentem absolute & actu sub eodem actu primo proximo libero completo libere agit; etiamsi ob defectum existentis decreti divini, a quo existentia actus primi proximi liberi completi pendet, nunquam id absolute aget*) *evidens* 1., *inquam est, hoc iudicium in dicta hypothesi obiecti rationem aliam quam §.* 319. *descriptam non habere: evidens est* 2. *totam obiecti huic iudicio respondentis rationem realem fore, i. e. non solum possibilem, sed reipsa sub ea conditione existentiam habituram, sub qua hanc iudicium istud affirmat* (§. 147. Log.). Neque enim totum hoc iudicium affirmat existentiam absolutam decreti divini, ceu rationis ultimæ inadæquatæ respectu actus liberi creati, ipsamque existentiam absolutam tum actus primi proximi liberi completi, tum ipsius actus secundi liberi, sed ab hoc toto abstrahit; neque aliud idem iudicium *affirmat* nisi rationem illam ultimam partialem & immediatam existentiæ, quam actus liber creaturæ rationalis a se ipso habiturus esset sub conditione existentis decreti Dei & actus primi proximi liberi completi, ut patet. Atqui hæc est mera & sola ipsissima illa ratio obiecti §. 319. descripta: *quod primum.* Eandem vero etiam realem fore stante hypo-

hypothesi dicta, rursus evidens est, eo quod nihil sub conditione seu pro hypothesi existentis reipsa decreti divini & actus primi proximi liberi completi affirmaret, nisi quod modo hypothesi ista actu existente absolute reale est, & absolute actu existit, nempe actus eiusdem liberi creaturæ partialem a se ipso existentiam (§.329. not. Psychol.): *quod alterum.*

* **Adverte, amice lector, in huius argumenti parte altera illud præcipuum, nempe *reale* illud, quod prædictum iudicium conditionatum affirmaret, idem ipsum prorsus formaliter obiectum esse, quod modo in apposita hypothesi absolute existentis decreti divini & actus primi proximi liberi completi affirmat absolute hoc iudicium, *actus liber creaturæ existit absolute*, quodque prius iudicium non differat ab isto nisi quod non item uti hoc implicite affirmet absolute existentiam Divini decreti & actus primi proximi liberi completi, quam ipsam quoque hoc alterum iudicium absolutum (siquidem distinctissimum esse concipiatur) affirmat; per quod ipsum unicum discrimen prius illud iudicium conditionatum, hoc vero posterius absolutum, efficitur.**

§. 322.

Vicissim quoque hypothesis possibilis est, ut absolute existat Dei decretum, quod nunc absolute non existit; quo tamen absolute existente vi solius naturæ legum & per vires caussarum naturalium determinaretur etiam hoc ipso existentia actus primi proximi cuiusdam liberi completi respectu cuiuscunque creaturæ rationalis (qui ipse actus primus proximus liber tamen in præsente actu hypothesi nunquam absolute existit) possibilis, inquam, est hypothesis, ut tale Dei decretum actu existat, eoque existente etiam existat totus quisque actus primus proximus liber completus respectu cuiuscunque creaturæ rationalis, a tali decreto, more obiectorum naturalium, tanquam a ratione sua ultima adæquata ad existentiam determinan-

dus (§.301. & §. 13. Ont. I. Patet rurſus tum ex abſoluta poſſibilitate intrinſeca actus talis primi proximi, tum ex poſſibilitate decreti divini, cuius omiſſio præſens eſt libera Deo (§. 238. §. 104. II. Ont.).

§. 323.

Evidens eſt, ſub hypotheſi eadem reipſa exiſtente, quam §. præc. poſſibilem eſſe diximus, creaturam liberam, ſub tali actu primo proximo completo libero ſub quavis relatione loci aut temporis ſibi non libera abſolute poſitam, reipſa & abſolute id ipſum vel determinate libere acturam, cuius agendi liberam haberet & completam facultatem, vel determinate id libere non acturam, i. e. idem libere omiſſuram, perinde prorſus atque in aliis actibus primis proximis liberis completis actu abſolute exiſtentibus in præſentis huius vitæ ſtatu, & quovis eius tempore præterito, præſente, vel futuro, abſolute id vel determinate egit, agit, & actura eſt, vel determinate non egit, non agit, non actura eſt, cuius agendi liberam completam facultatem habuit, habet, & habitura deinceps eſt; imo evidens eſt, creaturam liberam in dicta hypotheſi perinde libere ſe ad aliquod determinatum ex duobus contradictoriis (ad agendum videlicet, vel non agendum) electione propria reſoluturam, atque evidens eſt, cauſſas naturales ſub quovis poſito actu primo proximo completo non libero neceſſitate antecedente phyſica acturas determinate id, ad quod lege naturæ tunc forent determinatæ (§.295. Cosm.). Ratio eſt, quod in tali ſtatu abſoluto & reali neque neutrum ex contradictoriis (§. 21. Ont.), neque utrumque ſimul (§. 32. III. Ont.), ſed alterutrum determinate (actio nempe, vel non actio eius, cuius libere agendi completa ſuppeteret facultas) neceſſario ponendum eſſet (§. 22. Ont.), hoc ipſo, quod hypotheſis illa aliquis poſſibilis & vere realis ſtatus futura eſſet (§. præc.).

§. 324.

§. 324.

Evidens quoque est, eadem licet hypothesi iam actu absolute non existente, quam §. 322. possibilem solum esse diximus, tamen iudicinm hoc, creatura rationalis, si existeret hypothesis illa actu, libere hoc vel illud determinate ageret (*id nimirum, quod hypothesi eadem absolute existente absolute actura esset libere; etiamsi ob defectum existentis ipsius hypothesis, i. e. decreti divini & actus primi proximi liberi completi, nunquam idem absolute aget) evidens, inquam, est, hoc iudicium aliam obiecti rationem non habere, quam §. 319. descriptam: evidens est 2. totam obiecti istius huic iudicio respondentis rationem fore vere realem.* *Primum* patet ex §§. 319. 321. *alterum* ex eo, quod nihil sub conditione existentis illius hypothesis, nunc mere possibilis iudicium istud affirmet, nisi quod prorsus existente eadem absolute reale futurum esset, & absolute eo modo extiturum esset, quo iudicium enuntiat, nempe actum liberum ex decreto divino & actu primo proximo secuturum (§. praec.).

* Nihil obstat realitati huius obiecti, quod actu non existat; secus enim nec scientia simplicis existentiæ reale obiectum haberet. Nempe aliud est cognoscibilitas obiecti, quæ eadem est ac realitas, aliud existentia absoluta; illa enim etiam in ratione insufficiente inest, hæc non nisi ex sufficiente oritur.

§. 325.

I. *Scientia media directa qua talis pro obiecto habet ipsam rationis illius ultimæ partialis insufficientiam, quæ actui libero creato cuique propria est respectu existentiæ suæ, & quæ absolutæ istius existentiæ determinandæ se sola ob defectum decreti divini non sufficit; quod partialis ratio ultima est, sine qua adæquate existente nulla ratio sufficiens proxima absolute existere potest* (§. 13. IV. Ont.).

§. 326.

II. *Scientia media directa, seu conditionata actuum liberorum creatorum, transit in eorundem istorum scientiam visionis absolutam* (§. 287. n. 4.) *per solam præsentiam scientiæ visionis absolutæ soli Deo liberæ de decreto divino creandi substantias rationales liberas sub eo primæ compositionis modo, ex quo per leges naturæ & actiones caussarum naturalium eventurus esse actus primus proximus liber completus, instar hypothesis a scientia media directa enuntiatus, iam ante decretum illud absolutum a prælucente huic scientia media naturali prævidebatur* (§. 318.).

* Cum actus primus proximus liber unus sæpe ab aliis actibus præviis item liberis dependeat, utique iam patet, solam scientiam mediam naturalem ad prælucendum tali decreto divino universe non sufficere, sed ipsam scientiam mediam directam ab omni visione absoluta abstractam requiri. Esto ergo

§. 327.

Scientia media directa non est eadem cum scientia simplicis intelligentiæ. Hæc enim videt solas rationes possibilitatis actu cuiusque liberi, seu absolute, seu conditionate extituri, seu etiam non extituri sub data conditione, easque prorsus perinde & sine discrimine videt, sive existant aliquando, sive nunquam, sive existerent sub data conditione, sive non existerent (§. 291.).

§. 328.

Obiectum scientiæ mediæ directæ, nempe ipsa partialis ratio ultima sui ipsorum, quæ singulis actibus liberis creatis respectu existentiæ propriæ inest, realiter distinguitur a tota infinitudine possibilitatis essentiæ divinæ, nec in ista inest sub ea ratione, sub qua est obiectum scientiæ mediæ directæ. Primum ex eo patet, quod ipsi actus liberi creati, quibus illa ratio existentiæ propriæ

priæ ineſt, a Deo adæquate realiter diſtinguantur. *Alterum* inde evidens eſt, quod, etſi ratio iſta exiſtentiæ omnibus actibus liberis inſita, prout realitatis & boni alicuius accidentalis rationem habet, more omnium perfectionum entibus finitis propriarum, etiam in Deo ceu ente infinito ut ſeparata a ſuis limitibus inſit, tamen Deo non inſit ut ratio immediata exiſtentiæ actus liberi creati, ſed ut mera ratio poſſibilitatis & exiſtentiæ ipſius Dei (§. 115. Ont.). Atqui non niſi ſub cognoſcibilitate rationis exiſtentiæ ipſorum actuum liberorum revera illa obiectum eſt ſcientiæ mediæ, ſimulque ſub hac ipſa peculiari ratione vere cognoſcibile quid eſt (§. 324.). *Adde*, in Deo rationes omnes cognoſcibiles ineſſe per modum abſolute exiſtentium: atqui ſcientia media directa rationem cognoſcibilem etiam non abſolute exiſtentem attingit.

§. 329.

Scientia media directa ergo etiam formaliter cum fundnmento in re diſtinguitur ratione obiecti a ſcientia viſionis abſoluta neceſſaria, nec per hanc eius obiectum qua tale cognoſci poteſt in ipſo Deo, ceu obiecto adæquato (§§. 292. 328.).

§. 330.

Obiectum proprium ſcientiæ mediæ directæ realiter diſtinguitur ab omni decreto Dei libero, ſeu actu abſolute exiſtente, ſeu exiſtente ſolum conditionate, nec ineſt in ullo eorum ſecundum ſe præciſe ſpectato propria iſtius obiecti cognoſcibilitas qua talis, ne quidem ut in ſua cauſſa efficiente completa. Obiecti enim illius proprius conceptus qua talis vi notionis genuinæ actus liberi creati eſt, quod ſit complementum rationis ultimæ exiſtendi ipſi actui libero ita inſitum immediate, ut & diſtinguatur non ſolum a toto actu primo proximo libero completo, ſed etiam ab omni alia ratio-

ne ultima partiali antecedente ac natura priore, adeoque ab omni decreto divino, ſimulque ut nullius determinationis antecedentis natura prioris ſeu cauſſæ efficientis completæ, effectus (aut rationatum) ſit, hypothetica neceſſitate antecedente determinatus (§. 307. 329.). Omni ergo ratione exiſtentiæ cognita, ſeu ultima, ſeu proxima, quæ ſive Dei eſſentiæ, ſive decretis liberis abſolute exiſtentibus, vel conditionate exiſtentibus, aut horum effectibus, item ſeu abſolute, ſeu conditionate, exiſtentibus (i. e. toti actui primo remoto, & proximo libero §. 243. Ont.) ineſt, nondum ulla *ſufficiens* ratio, ſeu ultima, ſeu proxima, natura vere prior (§. 242. Ont.), vel cauſſa efficiens completa, nexus abſoluti eorundem cum actus liberi exiſtentia cognoſcitur, hoc ipſo, quod actus ipſe liber quilibet ſit partialis ratio ſui ultima (§. 329. not Pſych.), i. e. talis, quæ nullam aliam *ſufficientem* rationem ſe priorem, vel cauſſam efficientem completam (§. 322. ſeq. Pſych.) habeat, ſeu proximam, ſeu ultimam, & ita, ut quæcunque Dei decreta non ſint niſi partialis ultima ratio, & quæcunque rationes mediatæ, & proximæ (ad totum actum primum pertinentes) non ſint niſi ſe ſolis adhuc ita inſufficientes, ut illis omnibus licet abſolute poſitis adhuc poſſit non exiſtere actus liber ille, cuius illæ ſunt rationes exiſtentiæ inſufficientes. Itaque obiectum proprium ſcientiæ mediæ directæ non ſolum realiter diſtinguitur (perinde ac ipſe actus liber, cui ſoli formaliter ineſt) ab omni quocunque decreto, abſolute vel conditionate exiſtente, ſed nec ulli iſtorum ineſt propria illius cognoſcibilitas; quippe quæ ſolum actum primum proximum & remotum quemcunque liberum, non vero ipſum actum ſecundum, ceu rationes exiſtendi ſufficientes natura priores, determinant.

* Quisquis ergo thesin præsentem impugnare in animum inducit, is præcise ipsam notionem actus liberi huc usque traditam aggrediatur necesse est. Secus enim, dum illa inconcussa steterit, ratiocinio probationis nostræ omnis demonstrationis dignitas & evidentia manebit salva.

** *Qui prædeterminationes physicas defendunt*, i.e. qualitates menti humanæ libere agenti divini solius decreti liberi virtute inditas, & natura sua connexas cum ipso actu libero, *in* quarum *decreto, quod prædeterminativum appellant*, & prædeterminationem & *actum liberum* cum hac connexum, ceu in caussa prædeterminationis completa efficiente, *a Deo cognosci volunt*; hi, inquam, prædeterminationum patroni, ne actus liberi notionem evertant, vi cuius ipse per essentiam immunis sit ab omni determinatione prævia, seu natura priore, completa & sufficiente, *vulgo dicunt*, prædeterminationis id genus qualitatem, seu realitatem, non ad actum primum, sed ad ipsum actum secundum, iuxta atque ipsum actum liberum, prorsus pertinere. *Sed* vereor, ne, notionibus *nexus* a priori, a posteriori, & a concomitanti, semel a §. 195. Ont. distincte traditis, istud afferendi locus iam non relinquatur. Nimirum id genus qualitas prædeterminans, uti ipsi quidem volunt, *non a priori* cum actu libero, *nec* iste cum illa *a posteriori*, connexus erit, sed ambo inter se *a concomitanti* (§. cit.). Ad hoc vero necesse erit, ut nec prædeterminans qualitas respectu actus liberi, nec iste respectu illius, indolem rationis sufficientis existentiæ habeat, sed ut utriusque existentia perinde sit rationatum alicuius tertii entis, seu rationis sufficientis existentiæ natura prioris respectu utriusque. Atqui hoc ipsum impossibile est ut fiat salva notione recepta ac certa actus liberi, eiusque immunitate ab omni determinatione absolute sufficiente natura priore. Siquidem tertia illa ratio sufficiens utrique communis (prædeterminationi nimirum & actui libero prædeterminato) e. g. decretum prædeterminans, sicut ratio *sufficiens* natura prior erit respectu ipsius prædetermina-

minationis, seu qualitatis prædeterminantis, istamque prædeterminat sic, ut ipsa ex illo necessitate antecedente consequatur; ita etiam idem decretum erit ratio *sufficiens* natura prior respectu actus, qui dicitur liber, huncque ceu talis itidem prædeterminabit cum illa simul, seu concomitanter connectet, item necessitate vera antecedente: secus enim notio *nexus a concomitanti* sub nullo conceptu intelligibili salvabitur, & cassa atque omnis realis significatus inania verba ac phrases pro rei veritate obtrudentur.

*** *Qui* econtra *admittunt*, *prædeterminationis qualitatem* (quam haud dubie instar modificationis alicuius menti a Deo immissam habere debent) *ex parte actus primi proximi*, ceu vere natura priorem actus secundi liberi rationem existentiæ, *se tenere;* vel admittunt eam esse rationem proximam omnino se sola absolute sufficientem, saltem ut toti reliquo actui primo proximo completo coniuncta est, sic, ut ipse actus secundus liber sit merum rationatum illius actus primi proximi per prædeterminationem completi, nec sit ullo modo partialis ratio sui immediata æque ac *ultima* eo sensu, ut posito licet toto illo actu primo proximo per prædeterminationem completo tamen pro arbitrio mentis liberæ omitti queat? Vel istud non admittunt, ac tenent potius, stante licet ac posito toto actu primo proximo per prædeterminationem quoque completo, tamen actum liberum per eum non uti per rationem omnino sufficientem sic absolute determinari, ut iam omitti nequeat, sed potius ipsum esse rationem partialem sui ultimam talem, quæ actui primo proximo etiam per prædeterminationem iam completo coniungi, vel non coniungi, pro mero agentis arbitrio queat? *Si primum:* evidens est, ratione prorsus *sufficiente* existentiæ proxima, & caussa efficiente proxima completa, iam aliunde & antecedenter prorsus ad actum liberum secundum, ceu illius effectum, posita, non posse non poni ipsum effectum seu actum liberum, atque adeo hunc ex tali actu primo proximo, perinde atque alium quemvis effectum

natura-

naturalem ex sua caussa efficiente completa, necessitate antecedente & lege naturæ consequi. Illud quoque longe certissimum, nullum iam assignari posse discrimen inter caussam necessariam & caussam libere agentem, nec inter caussam efficientem & inter caussam liberam completam, de quo §. 321. seq. Psychol. abunde diximus. *Si vero alterum* dicatur: cum decretum Dei liberum decernens existentiam actus primi proximi, & prædeterminationem illum complentem, æque parum sit ratio *ultima* completa *sufficientissima* actus ipsius liberi, quam parum ipse talis actus primus proximus per prædeterminationem completus est ratio completa *proxima & immediata sufficiens* actus liberi (hoc ipso, quod iste sit *partialis* tam *ultima*, quam *immediata* sui ipsius, i. e. quod complementum ultimatum utriusque rationis existentiæ suæ, tam ultimæ, quam immediatæ ipse primum per se ipsum superaddat: idcirco nec in ullo Dei decreto tali prædeterminante cognoscibilitas completa absolutæ existentiæ actus cuiuscunque liberi inerit, ceu in eius caussa ultima efficiente completa, nec etiam in ipso actu primo proximo per prædeterminationem ipsam completo; sed quatenus partialis illa ultima & immediata ratio existentiæ inest soli ipsi actui libero, eatenus hæc cognoscibilitas nunquam non ab omni decreto prædeterminante, & ab ipso toto actu primo proximo per prædeterminationem licet completo, prorsus distinguetur; atque adeo nec in tota decreti cuiuscunque eiusmodi cognoscibilitate videri per quamcunque Dei scientiam poterit.

**** Qui *prædeterminationes* velut rationes determinantes proximas respectu actus liberi, *& decreta prædeterminantia* (seu existentiam & collationem prædeterminationum decernentia) in ipso Deo statuerunt, sive absoluta, sive conditionata, ceu obiecta immediata, in quibus ceu caussis primis & ultimis, absoluta, vel conditionata, existentia actuum liberorum creatorum a Deo per *scientiam* aliquam *visionis absolutam* cognoscerentur, ulterius

rius talis prædeterminationis indolem diſtinctiore notione non definierunt, nec in illuſtratione intellectus, aut in delectatione voluntatis, divinitus immiſſa, & voluntatem ad actum aliquem liberum prædeterminante, eam conſtituerunt; ſed contenti fuere illam dicere *qualitatem* ſeu realitatem aliquam *phyſicam*, quam alias etiam *motionem* dicunt (forte quoad modum agendi habitibus non diſſimilem, licet non per modum habituum ſit permanens, ſed cum ipſa actione voluntatis tranſiens) a ſolo Dei libero arbitrio pendentem, abſolute neceſſariam ad omnem actum liberum creatum, non impedibilem ab arbitrio creato, & cum ipſo actu libero abſoluto & infallibili nexu connexam; ipſi vero *decreto prædeterminanti prælucere ſolam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.*

***** Ill. Wolfius tenuit omnem actum liberum, tam creatum quam increatum, ipſius nempe Dei, determinari per motivum melioris boni, quod non eſt niſi item *qualitas* quædam vere *phyſica*, i. e. realis modificatio, cognitio videlicet maioris boni, *in Deo* quidem virtute omniſcientiæ omnium poſſibilium, ſeu Scientiæ ſolius ſimplicis intelligentiæ, exiſtens, *abſolute neceſſaria ad actum Dei liberum* (quippe qui nec vult ſine motivo, nec niſi quod optimum eſſe ex omnibus poſſibilibus cognoſcit) *inimpedibilis*, quippe in ſola rerum invariabili poſſibilitate fundata, & *cum actu Dei libero abſoluta neceſſitate connexa. Secundum Ill. Wolfium* igitur *Deus ipſe non vult libere niſi vere prædeterminatione phyſica prædeterminatus*, hoc uno diſcrimine, quod prædeterminatio, i. e. cognitio maioris boni, Deum determinans ad volendum, non ab aliquo prævio decreto Dei libero determinetur ad exiſtendum, ſed abſolute neceſſario exiſtat ceu actus ſcientiæ abſolute neceſſariæ, nempe ſolius ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. *Porro* eodem prorſus modo Wolfius vult omnem *actum liberum creatum* determinari per cognitionem (ſeu motivum) maioris boni, ceu per *qualitatem phyſicam* ac veram prædeterminationem, cuius exiſtentia ſit *ſoli Deo* ceu cauſſæ

caussæ primæ ac ultimæ completæ *libera, nec impedibilis ab arbitrio creato*, quippe decreta a Deo prælucente sola possibilium scientia; quæ simul sit *absolute necessaria* ad omnem actum liberum (sic, ut stante motivorum æqualitate impossibilis esset actus liber ex mente Wolfii) ac demum *cum ipso actu libero absolute connexa.* Itaque *prædeterminationum physicarum patroni quoad substantiam revera ab Ill. Wolfii sententia non differunt circa explicationem actuum liberorum creatorum, differunt tamen circa actum liberum increatum & divinum;* quem nolunt vulgo sic a scientia simplicis intelligentiæ prædeterminari, sed potius contendunt ab omni prædeterminatione physica natura priore & absoluta immunem esse, atque in hoc ipso *discrimen* præcipuum ponunt inter *ens primum liberum* & *ens liberum secundum;* quod videlicet illud libere ita agat, ut agat sine determinatione prævia absoluta ab ipso actu suo libero distincta, istud vero non agat etiam libere, nisi ut ab ente primo libero determinatione prævia absoluta prædeterminatum: id quod ad dominium enti primo libero proprium pertinere putant. Interim etiam iuxta hos prædeterminationis patronos decreto Dei libero, prædeterminationem actuum liberorum creatorum decernenti, non prælucet nisi scientia simplicis intelligentiæ.

****** Calvinus & Lutherus actum liberum determinari dixerunt *illustratione prævia* solo libero Dei decreto menti indita, nec impedibili, in præsente saltem humanæ naturæ statu fragili & imbecillo absolute necessaria, & per essentiam suam connexa cum eodem actu libero creato. Jansenius Iprensis voce tenus illustrationi intellectus *delectationem victricem*, id est, voluptatem pro alterutra parte, actionis, vel omissionis eiusdem, prævalentem substituit, cuius item existentiæ rationem ultimam completam in solo decreto Dei libero, nec impedibili, nec obtinibili reposuit, eamque ad omnem actum liberum necessariam iuxta, atque cum hoc absolute connexam esse voluit. Iam vero *tam illustratio mentis, quam delectatio victrix*

victrix, *qualitates physicæ* seu reales modificationes mentis reipsa haud dubie *sunt*, cumque in ceteris prædicatis a prædeterminatione quoad substantiam non differant, patere prorsus videtur, Calvini, & Lutheri illustrationes, ac Jansenii delectationes victrices, meras esse prædeterminationes. Dixi vero, illas *quoad substantiam a prædeterminatione non differre. Differunt enim* revera, sed mere *ex accidentali:* siquidem prædeterminatio iuxta omnes patronos suos est in omni statu naturæ rationalis creatæ absolute & metaphysice necessaria ad actum liberum, titulo dominii entis primi liberi in ens liberum secundum: contra secundum Jansenium delectatio victrix, & secundum complures Calvini & Lutheri asseclas etiam illustratio prævalens, solum necessaria est absolute in præsente imbecillitatis naturæ humanæ statu, in quo necessitate illa morali abstrahitur a bono morali, & inclinatur ad malum morale (§. 148.), non item in alio possibili feliciore statu, in quo id genus moralis necessitas abesset. Item, qui ex prædeterminationum patronis volunt, istas nunquam non ex parte actus secuudi, non autem ex parte actus primi proximi, se tenere, etiam quoad hoc caput a Calvino, Luthero, & Jansenio differunt; de quo iam hoc §. not. 2. satis actum a nobis est. Ceterum *nec Calvinus & Jansenius quoad substantiam a se invicem, nec ab Ill. Wolfio reipsa differunt*, saltem quod attinet ad explicationem actuum creatorum liberorum in præsante naturæ humanæ statu. Illustratio enim aliud non erit nisi maioris boni pro una quam pro altera parte libertatis clara repræsentatio, atque eadem hoc ipso maiorem voluptatem (§§. 211. 212. 213. Psych.) seu delectationem victricem præviam, & allicientem ad agendum huic conformiter, conficiet. *Discrimen tamen accidentale inter ipsos & Wolfium est*, quod iste id, quod magis placet, motivum esse universale determinans actum liberum in omni statu possibili libertatis esse velit, & quidem respectu actus liberi divini æque ac creati; cum ex adverso Calvinus, Lutherus, & Janse-

Jansenius doctrinam suam ad actus liberos humanos, & ad præsentem humanæ naturæ statum, restringant. Ceterum scio probe, ingens discrimen inter Prædeterminatores Catholicos & quosvis hæreticos intercedere, quod nempe illi Ecclesiæ iudicium irrefragabile revereantur. gratiam sufficientem admittere se profiteantur, & sententiam suam ab errore hæreticorum etiam quoad substantiam differre pro scholastica opinandi licentia existiment. Unde, quodcunque dixi, salva pace & caritate a me dictum volo.

******* *Alii demum,* quibus tam prædeterminatio physica instar meræ incertæ qualitatis physicæ asserta (hic not. 4.) quam motiva fortiora Wolfii, rationis prorsus sufficientis indolem cum reliquo actu primo proximo respectu actus secundi liberi habentia, atque etiam illustrationes Calvini se solis absolute efficaces, & item se solis absolute victrices delectationes Jansenii, evertere ex æquo notionem actus liberi genuinam videntur, atque necessitatem antecedentem physicam in actus creatos vulgo pro liberis habitos inferre; alii, inquam, his omnibus in præsente saltem humanæ naturæ tam imbecillo statu *substitui volunt* auxilium menti liberæ divinitus immissum (seu illustratio sit, seu delectatio; neque enim in hoc consentiunt, nec multum inter hæc duo interest, ut ex not. præc. intelligitur) adeoque rursus veram *qualitatem physicam*, seu mentis realem modificationem, *quæ* spectatis omnibus adiunctis personæ, temperamenti, habituum præsentium in mente, loci, temporis, negotiorum &c. necessitati morali, qua in præsens abstrahimur a bono ad malum morale (§. 149.), ita prævaleat, ut *necessitatem moralem* contrariam *inducat*, i. e. tam insignem excessum stimulorum, aut voluptatis allicientis, ad bonum morale, vel tam insignem excessum stimulorum, aut tædiorum a malo morali absterrentium (§. 146.), ut eius vi moraliter impossibile fiat, ut aut bonum non eligat, aut malum non aversetur. Quoniam porro immissio huiusmodi auxilii

xilii moraliter necessitantis solo Dei libero decreto una cum reliquis adiunctis actus primi proximi determinatur ceu a caussa ultima absolute sufficiente; volunt, in hoc decreto, seu absolute, seu conditionate (sub conditione extituri reliqui actus proximi) tale auxilium immittere decernente, ceu in ratione ultima sufficiente, & tanquam in obiecto immediato, a Deo per scientiam visionis absolutae, vel conditionatae, cognosci absolutam, vel conditionatam, existentiam cuiusque actus liberi creati. Interim hi ipsi doctores ultro admittunt, possibilem esse statum naturae humanae alium praesente feliciorem, & a fatali illa necessitate morali ad malum a bono abstrahente (§. 149.) prorsus immunem, in qua actus liberi creati locum haberent, qui absque ulla necessitate morali praevia ad bonum, vel ad malum, mero & prorsus expedito libero arbitrio in utramque partem cum omni facilitate elicerentur. Isti ergo doctores Deo reipsa illam ipsam Scientiam mediam directam de omnibus actibus liberis in tali possibili felice statu conditionate extituris actu dari admittunt, quam nos hic porro deinceps uberius explicaturi sumus: attamen illa ipsa dirigi decreta Dei ad huius praesentis status naturae ordinem spectantia, aut praevideri actus liberos creatos in eodem exerceri solitos, omnino pernegant. *Huic iam sententiae duo habeo respondere.* 1. Doctores isti totam rationem Scientiae mediae directae a nobis assertam actu in Deo praeter alias species divinae scientiae, imo & scientiam visionis absolutae eandem nobiscum, circa actus liberos creatos feliciori illi naturae statui proprios futuros, admittere prorsus debent. 2. Nisi scientiae illius ipsius mediae directae usum esse etiam in hoc praesente statu circa praevisionem actuum liberorum creatorum, tam absolutorum, quam conditionatorum, aut nullam Scientiae divinae de illis rationem & conceptum sufficientem dari posse, aut in necessitatem antecedentem physicam sublata libertate vere tali, & in easdem cum praedeterminationum physicarum quarumcunque patronis

tronis difficultates incidi. *Primum* ex duobus his capitibus ſententiæ huius patroni fatentur ultro. *Alterum* facile ſic oſtendo. *Vel* enim in toto actu primo proximo, quem ipſi liberum, huicque naturæ humanæ ſtatui proprium volunt, vel, inquam, in toto actu primo proximo libero per auxilium moraliter neceſſitans completo ineſt *ratio proxima* actus ſecundi liberi omnino *ſufficiens & completa ? vel* ſaltem aliqua eius parte deficiente adhuc ſic *inſufficiens & incompleta*, ut rationis huius proximæ complementum partiale, nec in ipſo actu primo ullo modo contentum, inſit revera primum ipſi actui libero ceu iſtius vera partialis ratio exiſtentiæ tam ultima quam proxima? *Si alterum hoc dicas* (quod dicere ad ſalvandam genuinam actus liberi notionem prorſus neceſſarium eſt) evidens eſt, nec in toto tali actu primo proximo, licet per auxilium moraliter neceſſitans completo, rationem proximam completam exiſtentiæ actus liberi, nec in decreto divino hunc ſolum decernente rationem ultimam completam eiusdem, adeoque in neutro completam cognoſcibilitatem exiſtentiæ eiusdem, aut abſolutæ, aut conditionatæ, ineſſe, ſed non niſi cognita immediate in ſe ipſa illa partiali ratione ultima & proxima, quæ ipſi actui libero ineſt, i. e. per ſolam ſcientiam mediam directam cognoſci a Deo poſſe, atque adeo huic in præſente etiam naturæ humanæ ſtatu atque ordine locum prorſus relinqui debere. *Sin prius illud defendas:* fruſtra hanc neceſſitatem moralem dixeris, eo quod ex ſolis motivis & ſtimulis, ſeu illuſtrationum, ſeu declarationum aut tædiorum circa actiones morales interveniat; pridem enim in Pſychologia §. 320. cum omni, niſi me omne acumen deſtituat, evidentia oſtendi, id genus neceſſitatem moralem, ſi ſummum gradum hunc ipſum attingat, ut ex parte actus primi proximi ratio prorſus ſufficiens proxima completa ſe teneat, cauſſam agentem iam non mere in ratione cauſſæ liberæ, ſed prorſus in ratione cauſſæ efficientis neceſſariæ (§. 322. ſeqq. Pſych.) completam fore, & ex plena neceſſi-

necessitate antecedente physica acturam. Auxilium ergo id genus vera item erit qualitas physice prædeterminans. Et vero incidere prorsus in talem necessitatem physicam eos, qui volunt, tam impossibile esse, voluntatem auxilio tali resistere, quam impossibile est hominem sanæ mentis sibi oculos præcise ioci gratia effodere, vel ostendendæ solius libertatis caussa, ex dictis in Psych. §. cit. seq. abunde patet; siquidem secundum dicta illa id genus hominis sani factum vere physice ex parte volentis animæ impossibile est. *Ceterum* auxilii istius moraliter necessitantis patroni & ipsi cum prædeterminationum physicarum defensoribus Catholicis in libertate Dei eiusque actibus explicandis omni id genus prædeterminationum moralium aut physicarum usu prorsus supersedere consueverunt. Ex his iam dictis sequentia fluunt corollaria.

I. Prædeterminationum physicarum vulgo sic dictarum patroni totam actus liberi germanam notionem, a nobis huc usque assertam, ceu vere possibilem, & realem, atque ipsis Dei actibus liberis prorsus propriam, admittunt.

II. Iidem tamen notionem actus liberi circa actus liberos creatos ita immutant, ut ens primum liberum & ens secundum liberum in notionis genere nullo pacto conveniant, sed istud magis cum agente necessario confundatur (§§. 103. seqq. & 220. Ont.).

Faciunt id porro eo unice argumento moti, quod a scientiæ mediæ patronis hæc tria haud posse explicari putent, 1. quodnam sit discrimen entis primi liberi, seu primi determinantis (ut vulgo loquuntur) & entis liberi secundi: 2. Quomodo Dei dominium in actus liberos creatos horumque existentiam salvetur: 3. Quomodo actus liberi creati, conditionati, aut absoluti, prævideri queant, si non in decreto Dei ipsius libero prædeterminante, absoluto, vel conditionato, ceu in sua caussa prima & ultima, prævideantur. *Ad primum caput* iam abunde respondimus ipsa notione utraque entis liberi primi & secundi distincte tradita §. 103. Ont. *Ad alterum* respondebimus, acturi infra de

dominio

dominio Dei duplici, physico uno, & altero morali. *Ad tertium* paullo post Art. seq. responsuri mox sumus. Interim contra sequelam modo (Cor. II.) indicatam hoc unicum adnotamus. Si Deus non ageret nisi physice prædeterminatus per motiva optimi a scientia simplicis intelligentiæ sibi proposita (ex sententia Wolfii videlicet) nec ipsis prædeterminationum patronis, ut opinor, diffitentibus, non ageret libere: ergo nec homo prædeterminatus simili quocunque modo libere agit.

§. 331.

I. *Scientia media directa distinguitur formaliter cum fundamento in re & ratione obiecti ab omni scientia visionis absoluta soli Deo libera, & ab omni scientia visionis absoluta obiectorum naturalium.* Patet ex §. præc.

§. 332.

II. *Eadem tamen scientia media directa coniuncta scientiæ visionis absolutæ soli Deo liberæ de existentia absoluta decreti absoluti decernentis creationem substantiarum finitarum cum certo primæ compositionis modo, atque etiam scientiæ visionis absolutæ obiectorum naturalium, qua Deus videat ex posito semel primo illo compositionis modo existentiam absolutam totius actus primi proximi liberi illius consequi, sub cuius conditione seu hypothesi scientia media directa actus liberi existentiam quoque futuram affirmat, scientia media directa, inquam, utrique huic scientiæ visionis coniuncta, transit cum illis in scientiam visionis absolutam actuum creaturis rationalibus immediate liberorum* (§. 303.).

§. 333.

III. *Eadem scientia media directa tamen existit in Deo etiam de actibus liberis creatis mere conditionate extituris, seu de quibus nullum datur in Deo decretum actuale, decernens creationem ipsarum substantiarum agentium liberarum, nec scientia visionis absoluta eorum obie-*

obiectorum naturalium, quæ actum primum remotum ac proximum liberum constituere deberent. Obiectum enim eius proprium, & a ceterarum omnium scientiarum obiectis distinctum, nihilominus reale est & vere cognoscibile (§§. 321. 324.), atque in Deo omnis veri metaphysici omnisque realis ac vere cognoscibilis obiecti præsens intuitus & scientia, ceu realis ipsa perfectio, citra dubium ab æterno datur (§. 221. I.).

* Obiiciebant vulgo perpetuo adversarii scientiæ huius mediæ directæ, eam ratione obiecti non differre aut a scientia simplicis intelligentiæ, aut a scientia visionis absolutæ de existentia absoluta actuum creatorum liberorum. At, postquam in Ontologia §. 32. II. & præcipue §. 232. I. ostensum est, rationem existentiæ in rebus finitis cum ipsa possibilitate earundem vulgo non identificari, etsi ens possibile & ens actu existens nunquam non idem sint (§. 32. I. Ont.); facillime obiectorum discrimen assignatur. Nimirum *scientia simplicis intelligentiæ* pro obiecto habet meram non repugnantiam seu compossibilitatem actus liberi secundum determinationes ei proprias cum substantia agente libera huiusque determinationibus tam essentialibus quam accidentalibus vi actus primi proximi in eadem iam prævie existentibus; quin eadem has vel illas determinationes ut rationes existentiæ attingat (§§. 272. 291.) *scientia media directa* pro obiecto habet rationem illam partialem ultimam simul ac immediatam existentiæ propriæ qua talem, quæ ipsi actui libero inesset sub hypothesi existentis actus primi proximi liberi completi. Demum *scientia visionis absoluta* de eodem, cum simul ex duabus scientiis visionis absolutis præviis componatur (§. 302.) præter illam partialem rationem existentiæ ipsi actui libero insitam ceteras insuper omnes existentiæ eius partiales rationes, proximas, remotas, atque ultimas pro obiecto habet (§. 301.), nempe tam decretum Dei liberum de substantia agente libera una cum aliis substantiis finitis sub certo primo coëxistendi modo pro-

producenda, quam actiones harum omnium, quibus demum actus proximus liber completus ad existendum determinatur.

** Inde & illud obiectionis genus ultro ruit, quo quaerebatur vulgo, utrum conditionate futura iam sint extracta ex statu merae possibilitatis. Namque facilis est responsio, videri per scientiam mediam rationem se sola insufficientem, ob quam extraherentur, si reliquae rationes insufficientes huius extractionis existerent; quia tamen istae deficiunt, nondum esse actu & absolute extracta. Perinde nimirum sicut obiecta naturalia per scientiam mediam naturalem videntur extrahenda fore per actiones & vires substantiarum finitarum, si ipsae substantiae hae extraherentur ex eodem merae possibilitatis statu per liberum Dei decretum &c.

§. 334.

Scientia media directa, & quidem totalis, qua Deus videt immediate in se ipsis universos actus liberos creatos conditionate futuros, praelucet omni decreto Dei de creando hoc potius vel alio mundo, ceu proponens motiva impellentia & absterrentia circa quemlibet prae alio producendum. Distinguitur enim sic ab omni alia Dei scientia ratione obiecti (§§. 330. 331.), ut illius proprium obiectum in nullius alterius scientiae divinae obiecto contineatur, nec adeo per ullam aliam scientiam divinam videri, sed unice per scientiam mediam directam immediate in se ipso cognoscibile sit (§§. 321. 324.), simulque ista evidenter in Deo existit (§. 333.). Porro cum eius obiecta qua talia, seu ut mere conditionate extitura, solis creaturis rationalibus tum voluntaria, tum libera sint, nec ullius rei absolutam existentiam in sua tota cognoscibilitate qua tali involvant; independenter ab omni actuali exercitio voluntatis divinae ad extra agentis, seu volentis aliquid absolute extra se existere, haec scientia media directa tota in Deo existit, eademque cum perpetua ac distinctissima totius obiecti sui conscientia in Deo ceu ente infinite

perfecto coniuncta est (§. 65.). Deus itaque decernens unum mundum præ alio creare, ignorare tam parum potuit, quid in quovis mundo actuum liberorum in creaturis rationalibus sub quovis extituro actu primo proximo futurum esset; quam parum ob præsentem in divino suo intellectu scientiam mediam naturalem ignorare poterat, quid in quovis eventuum naturalium futurum esset (§. 318.), si illorum quemlibet creare decerneret: *quod primum*. Sed & prævisa per eandem scientiam mediam directam bona & mala moralia inprimis (sicut & physica per scientiam mediam naturalem prævisa) atque exoritura tum plurimorum beatitudo ex bonis morallbus ceu mediis moralibus sufficientibus (§. 190.), tum positiva infelicitas saltem æque multorum oritura tum ex malis moralibus naturaliter (§. 205.), tum a se necessario permittenda (§. 204.), Deum amore benevolentiæ perfectissimo erga creaturas rationales natura sua accensum (§. 92.), nec nisi isto amore benevolentiæ ad creandum moveri capacem (§. 94.), necessario instar motivorum impellentium erant & absterrentium circa quemlibet creandum mundum, quatenus aut amori benevolentiæ, ceu amori finis imperanti (§. 253. Psych.) in iis ipsis actibus liberis conditionate futuris aut media tali fini apta, aut impedimenta repræsentabant, quorum illa alliciebant complacentia, ista absterrebant sui displicentia voluntatem Dei creantem: *quod alterum*.

* Solum primum membrum huius demonstrationis caput illud est, quod in demonstranda Dei libertate & contingentia huius mundi cap. præc. lemmatis instar interim supposuimus; alterum huius demonstrationis membrum non nisi repetitio quædam est eorum, quæ iam præc. Cap. ex eodem supposito primo membro iam prolixiore periodo demonstrationum §§. citt. intulimus. Quoniam ergo primum

mum hoc demonstrationis præsentis membrum hoc loco prorsus independenter a dictis cap. præc. demonstravimus; evidens est, nullam principii petitionem in omni isto negotio usquam intervenisse, omnemque hanc *demonstrationem* simul prorsus *directam* esse.

** Superest, ut etiam *demonstrationem indirectam* adversis omnibus sententiis, saltem quæ scientiam mediam nostram directam prorsus in Deo abnegant, circa ipsam naturam scientiæ Dei conditionatæ & absolutæ de liberis creatis actibus opponamus; postquam eas ex absurdis sequelis circa hos actus liberos inde orituris iam supra §. 330. in annotationibus istius §. cit. refutavimus.

*** Notari vero illud anticipato pervelim, quamcunque ex his sententiis, quæ volunt, a sola scientia simplicis intelligentiæ dirigi decreta Dei, queis tum existentiam absolutam actuum liberorum decernit; tum totius cuiusque mundi creationem, quamcunque, inquam, ex his sententiis illico in omnes universalis fati sequelas Ill. Wolfio obiectas (§. 74. not.) incidere, quamprimum etiam Deum per motivum optimi possibilis mundi absolute tanquam a ratione sufficiente, quæ sola divinæ voluntati conveniat, prædeterminari in sensu analogo admittent, quo prædeterminari actus liberos creatos vulgo docent. Interim vero in sequente demonstratione indirecta suppono, ab omnium sententiarum in notis §. 330. subiectis relatarum patronis (sola Ill. Wolfii sententia excepta) teneri, Deum vere libere & secundum notionem libertatis germanam quemlibet creandum mundum decernere, quin a motivis cuiuscunque boni, sibi a scientia simplicis intelligentiæ propositis, ad unum præ alio vi solius possibilitatis omnium mundorum absolute prædeterminetur.

§. 335.

Si sola prælucente scientia simplicis intelligentiæ libere tamen, & non ab illa scientia prædeterminatus, Deus & hunc mundum decreto suo creandum determinavit, & eodem ipso decreto solo primum prædeterminavit

existentiam absolutam actuum creatorum, qui vulgo liberi dicuntur; quin iam independenter a tali decreto isti essent, ac praeviderentur a Deo esse, conditionate extituri sub iis ipsis actibus primis proximis, sub quibus nunc absolute existunt: tunc Dei perfectissimus amor benevolentiae erga creaturas rationales, eiusque bonitas etiam respectiva infinita (§. 92), *salvari non potest, ac praeterea sequelae sequuntur gravissimae, & quidem evidentia tam illustri, ut nullo sufficiente argumento esse meram apparentiam evidentiae ostendi queat.* In hypothesi enim praesentis propositionis Deus non solum permisit omnia mala moralia huic mundo praesenti propria eorumque effectus (§. 211. eiusque nota), i. e. non ut aliunde praevisa tantum omisit impedire, sed nondum praevisa per ullam scientiam visionis (quae omnis posterior decreto est ex adversariorum sententia) ipse primus voluit existere, seu conditionate, seu absolute, & volitione sua libera primus ac solus ceu *ratio ultima adaequata* effecit, ut iam essent extitura absolute, vel conditionate, prout ipse volebat ea esse vel absolute, vel conditionate, extitura. Ex altera parte in Dei potestate erat mala illa omnia non solum non praedeterminare, sed potius actione contraria impedire; siquidem, ut ipsi adversarii volunt, libere ea omnia ac decreto libero praedeterminavit, & mala illa omnia reipsa mere accidentalia sunt (secus certe Deus necessitate absoluta & virtute solius possibilitatis ipse ad ea decernenda praedeterminatus fuisset, sicque fatum generale ad modum Wolfianae sententiae introduceretur) h. e. talia, ut & in substantiis rationalibus creatis capacitas & compossibilitas cum bonis oppositis inesset, & Deo vis activa competat bona opposita loco malorum illorum praedeterminandi. Iam vero talia decreta & actiones praedeterminantes tot ac tanta mala cum omnibus eorum effecti-

effectibus profecto consentientia non sunt cum bonitate Dei respectiva, ceu actiones nequaquam beneficæ, sed maleficæ, & quidem libere positæ, & citra ullam necessitatem, nec tantum permissionis rationem habentes, sed solius Dei voluntate positiva determinatæ, atque adeo Deum positive dedecent (§. 180.).

* *Neque dicas:* a Deo solum prædeterminari, quod in id genus malis reale, atque adeo metaphysice bonum (§. 196. Psych. & hic 109.) inest, quod autem eisdem inest mali metaphysici, i. e. negativum, id non esse a Deo ut a caussa efficiente (§. 118.) sed, quatenus mala sunt physica, oriri ex malo essentiali substantiis finitis absoluta necessitate insito (§. 117.), quatenus vero moralia mala sunt, oriri a libertate creata. *Respondeo* I. Si omnia mala physica, quatenus malum sunt, oriantur præcise ex essentia substantiarum finitarum, & moralia mala item, quatenus mala sunt, oriantur præcise ex libertate creata, non autem ex Dei decreto, solumque ex decreto prædeterminante oriatur, quod in iisdem reale ac metaphysice bonum inest, tunc independenter ab omni decreto illa mala qua mala, i. e. secundum id, quod pure malum in illis inest, erant conditionate extitura, atque adeo mala physica sine omni decreto iam prævidebantur conditionate futura per scientiam mediam naturalem (§. 288.), & mala moralia per scientiam mediam directam, sub conditione videlicet existentis decreti prædeterminantis id, quod in iisdem malis tam physicis quam moralibus adhuc inest metaphysice boni. 2. *Vel* posito decreto Dei prædeterminante id, quod in malo morali adhuc metaphysice boni ac realis inest, libertas creata adhuc facultatem proximam completam habet non determinandi malum eiusdem qua tale; *vel* istam iam non amplius habet perinde, atque eo bono semel prædeterminato, quod malo physico adhucdum inest, ob malum essentiale insitum substantiis finitis (i. e. limites essentiales) his deest facultas non determi-

 nandi

nandi malum eiusdem qua tale, i. e. facultas determinandi bonum oppositum physicum? *Si primum:* tunc in decreto prædeterminante solo utut actu posito nec absoluta & completa ratio ultima existentiæ mali moralis qua talis inest, nec istius existentia hoc ipso in tali decreto ceu in sua ratione ultima completa a Deo videri potest, sed rursus per solam scientiam mediam directam in sola ipsa determinatione partiali ultima ipsi actui libero insita. *Si alterum:* mala moralia reipsa erunt mere physica, naturæ lege, non liberi arbitrii determinatione ultima eventura, quippe cum prædeterminatione absolute vel a posteriori, vel a concomitanti, connexa (§. 330. not. 2.), quin impediri a libero arbitrio hæc connexio possit. *Habes ergo mala moralia aut a Deo non mere permissa, sed directe volita etiam qua talia, quod Dei bonitatem respectivam summe dedecet; aut ut talia saltem aliunde quam a decreto Dei eventura, nec tamen a Deo sic prævisa; aut certe eadem omnia sublata libertate conversa in mere physica mala.* Primum & secundum adversarii ipsi non volunt: ergo tertium verum necesse est, maximeque cum natura prædeterminationis §. 330. not. 2. 3. & 5. ostensa consentaneum. Iam vero ex hoc aliud genus absurdæ sequelæ nascitur, videlicet

Enti infinite benevolo non convenit mala physica, nullo modo ea toleranti libera, libere permittere nisi ex motivo orituri ex illis maioris alterius boni. Non nisi tali ex fine mala physica, toleranti nullo pacto ne mediate quidem libera, a Deo reipsa permitti, infra demonstrabo independenter ab his, ubi de bonitate Dei agam ex instituto (§. 564.), nempe ut ex occasione malorum physicorum sequantur multa bona moralia, per quæ ceu media moralia sufficientia (§. 190.) beatitudo ipsa respectiva summa (§. 84.), quæ creationis finis ultimus ac summum rationalis creaturæ bonum est, demum obtineatur. Iam vero quo demum fine Deus præter multo minorem numerum bonorum mora-

moralium prædeterminaret numerum immenſum maiorem malorum moralium, cum ab ipſius ſolius libero decreto penderet, ut ſalva libertate (ut quidem prædeterminationum patroni volunt) mera exiſterent bona moralia ſine malis moralibus, ac proin ex illis ſequeretur omnium creaturarum rationalium beatitudo, & nullius infelicitas æterna? Prædeterminatio enim ſoli Deo libera eſt, & quidem reſpectu omnium & ſingulorum actuum liberorum, atque adeo in ſingulis fieri ad bonum poſſit.

** *Neque dicas:* fieri hoc eo fine, ut maiora bona moralia in aliis prædeterminari queant, quorum actus primus proximus ab ipſa exiſtentia malorum moralium pendet, & primum ad exiſtentiam determinatur. *Reſp.* Sic quidem aliis Deum magis benefacturum, at non aliter niſi per malefacta aliis citra ipſorum liberum arbitrium exhibita, hoc ipſo, quod prædeterminet ſolo ſuo libero decreto alios ad malum eo fine, ut alios ad maius bonum exinde prædeterminare queat. Non licet hic ad abyſſum iudiciorum Dei provocare, ubi ab abſurdo evidenti potius eſt cavendum.

Quomodo porro probabunt ex naturali lumine adverſarii, Deum intentata non ſolum æternæ beatitudinis iactura, ſed etiam infelicitate æterna poſitiva, ceu medio morali ſufficiente, abſterrere malos a malo morali, i. e. impedire mediis *moraliter* ſufficientibus, quod ipſe ſolo ſuo libero proprio arbitrio *phyſice* prædeterminat? quæ vis porro erit argumento §. 208. aut quod aliud illi eidem ad infelicitatis æternæ exiſtentiam demonſtrandam nobis ſuppetunt, qui totum conceptum veræ libertatis ab actibus, quos vulgo liberos vocamus, auferunt? Quomodo demum ipſum Deum reipſa liberum eſſe, & quo directo argumento probabunt? quomodo oſtendent, non prædeterminari illum reipſa a ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ more

Wolfiano, atque inde hoc ipfo revera generali fato & abfoluta neceffitate in mundo omnia univerfe evenire (§. 74. not.)? Profecto hæc omnia lumine naturæ prius probata effe oportet, antequam revelatio locum habeat. Dei enim & hominis libertate fublata, & generali fato in mundum illato, quid de revelatione curare nos urget?

* Vidimus nempe cap. præc., libertatem Dei unice probatam ex libertate hominum, quippe cuius ufus in aliis malus, motiva impellentia & abfterrentia, Deo fuppeditet ceu radicem libertatis in ente etiam ceteroquin infinite per fe benevolo. Libertate ergo hominis fublata (cum Wolfio) Dei libertatis demonftrandæ præcipuum principium fubruitur, libertate humana in dubium vocata, aut obfcuris formularum tenebris involuta, Dei quoque libertas & omnium in mundo rerum contingentia dubia & obfcura redditur, ficque prima & maxime generalia religionis naturalis fundamenta concutiuntur. Omnia ex adverfo fola admiffa cum germana libertate hominum fcientia media directa complanantur, uti ex dictis cap. præc. perfpicuum omnino eft. Ceterum ifthæc univerfa unico veritatis ftudio in quæftionibus ad communem maxime falutem, eamque æternam, noftro præcipuo ævo tantopere pertinentibus, dicta funto; nequaquam vero ut fequelas prædictas ceu reipfa ullo pacto admiffas & confeffas adverfarum fententiarum illarum patronis malevole imponam; quos ab eis reipfa longe abeffe fcio, & fincero ceteroquin affectu complector; quique nihil magis quam hoftilitates in rei literariæ ftudio exofas habeo. Credo equidem, fententiis in tam diverfa circa quæftiones tam præcipuas ipfius religionis totius naturalis abeundum fuiffe nunquam, fi fuperioribus iam ætatibus notiones primæ metaphyficæ in tam claro ac diftincto lumine, ut hodiedum funt, pofitæ fuiffent.

§. VII.

§. VII. *Ratio sufficiens & realitas obiecti scientiæ Dei mediæ reflexæ ostenditur* (§. 288.).

§. 336.

Hypothesis possibilis est, ut scientia media directa de futuris plerisque actibus liberis creatis, qui nunc in hoc mundo circa bonum & morale eveniunt, in Deo ab æterno non extitisset, sed loco eius extitisset longe alia diversa. Possibile enim erat, ut ipsi actus liberi iidem, qui modo eveniunt, non existerent sub iisdem actibus primis proximis, qui tamen sunt obiectum scientiæ mediæ directæ (§§. 104. II. 93. Ont.): ergo & ipsa scientia illa media directa abesse a Deo poterat; quippe quæ sine obiecto locum non haberet, ut ostendam Artic. seq. §. 344.

§. 337.

Evidens est, hypothesi, quam §. præc. possibilem esse diximus, reipsa posita, ob defectum eorundem motivorum impellentium & absterrentium eadem decreta libera de hoc mundo creando in Deo locum non habuisse (§§. 235. 242. 243.).

§. 338.

Evidens quoque est, sub eadem hypothesi fore, ut Deus neque neutrum ex contradictoriis, neque utrumque simul, sed alterutrum determinate de istius mundi, vel alterius cuiusque possibilis creatione decreturus esset (323.).

§. 339.

Evidens item est, licet actu non existat illa hypothesis, quam §. 336. possibilem esse diximus, tamen hoc iudicium, si existeret actu dicta hypothesis, Deus hoc (vel aliud quodvis) determinate ageret & libere decerneret, *pro obiecto unico habere decretum illud soli Deo liberum, quod Deus sub illa hypothesi esset de mundi creatione determinate concepturus* (§. 338.), item-

itemque obiecti istius rationem prorsus realem, simulque propriam obiecti Scientiæ Dei mediæ reflexæ rationem ipsissimam futuram (§§. 321. 324. 281. 288. n. 1.).

§. 340.

Quoniam ergo hoc obiectum reale Scientiæ mediæ reflexæ ob omni obiecto tum scientiæ simplicis intelligentiæ, tum cuiusque ex scientiis visionis, manifesto distinguitur, *Scientiam mediam reflexam quoque ab omni alia distingui, in propatulo est.*

§. 341.

Datur ergo in Deo Scientia media reflexa omnium decretorum liberorum Dei in quacunque hypothesi scientiarum mediarum directarum a Deo concipiendorum; eo quod in illo ceu ente infinite perfecto omnis veri metaphysici, i. e. omnium obiectorum realium seu vere cognoscibilium scientia detur, atque scientiæ mediæ reflexæ obiecta vere realia sunt (§§. 339. 271. I.).

* Hæc de Scientia Dei media reflexa in Theologia Naturali dixisse sufficiat ad magis utilia properantibus.

ARTICULUS III.

DE REALITATE IPSIUS CUIUSLIBET SCIENTIÆ DIVINÆ,

SIVE

DE RATIONE SUFFICIENTE TAM POSSIBILITATIS, QUAM EXISTENTIÆ, CUIUSLIBET SINGILLATIM.

§. 342.

Cum veritas logica (§. 61. Log.) quorumcunque actuum intellectus non sit nisi conformitas eorundem cum suo obiecto, ad quam veritatem præter ipsum actum mentis requiritur obiectum reale (seu metaphysice verum ac cognoscibile), & utriusque conformitas, i. e. actus mentis in repræsentando,

tando, & obiecti in cognoſcibilitate reali præciſe ſimili, qualis eſt repræſentatio actus (§. 62. Log.): idcirco *patet, nec ſcientias quaslibet divinas aliter logice veras fore, niſi per conformitatem cum obiecto reali a ſe repræſentato, nec poſſe non eſſe veras, ſi hac conformitate præditæ ſint.*

* Realitate ergo obiectorum cuiusque ex ſcientiis divinis (enumeratis Art. I.) ſemel Art. II. oſtenſa, cum ex ſola notione entis infinite perfecti iam eluceat manifeſto, omnis obiecti vere realis ſcientiam in Deo actu ab æterno ineſſe, etiam de exiſtentia reali ſingularum ſcientiarum huc usque memoratarum abſoluta in Deo hoc ipſo prorſus certi ſumus. Opus hic ſolum erit modum & rationes ſufficientes exiſtentiæ earundem adhuc paullo diſtinctius explicare; quod ob metaphyſicarum notionum hodiernam clariſſimam lucem ſine operoſa diſputatione paucioribus multo, quam vulgo ſolebat fieri, abſolvi poterit.

§. 343.

Quam parum Deo ineſſe poteſt poteſtas ſeu vis activa ad res impoſſibiles producendas, tam parum in eo ſcientia falſa habere locum poteſt. Sicut enim id genus vis activa realitatis vere talis, atque adeo perfectionis, rationem non habet, ita nec ſcientia falſa vere ſcientia, ſed error & imperfectio eſt, quæ in ente infinite perfecto ineſſe nequit.

§. 344.

I. *Itaque non niſi ſcientiæ logice vere compoſſibiles Deo ſunt.*

II. Quoniam ad veritatem Logicam ſcientiæ obiectum eo modo præciſe cognoſcibile abſolute ceu pars veritatis iſtius requiritur, quo ſcientia cognoſcit (§. 342.); idcirco nulla ſcientia Deo compoſſibilis eſt, cui non reſpondeat obiectum eo modo cognoſcibile, quo ſcientia cognoſcit, i.e. *obiectum*

con-

congruum partialis ratio possibilitatis est respectu scientiæ divinæ ut per essentiam veræ, sine qua scientia divina hoc ipso compossibilis Deo non est.

III. *Contra vero eiusdem cuiuslibet scientiæ divinæ, ut est præcise realis quædam Dei perfectio, ratio possibilitatis & compossibilitatis cum ceteris Dei perfectionibus est tum ipsamet, tum hæ ipsæ ceteræ perfectiones, quibuscum nec ipsa pugnat ob omnimodam immunitatem a defectu in genere scientiæ, & quæ item nec pugnat cum ipsa ob eandem rationem* (§. 60. Ont.).

* Neminem offendat, obiectum hic dici rationem possibilitatis respectu scientiæ divinæ *ut vere*; cum tamen omnis ratio possibilitatis rei possibili semper intrinseca, obiectum vero Dei scientiæ extrinsecum, & ab ea realiter distinctum sit (§. 66. not. Log.). Nam aliud est, obiectum esse scientiæ ipsi divinæ extrinsecum mere ut scientiæ, aliud esse ei extrinsecum *ut veræ* per essentiam. Sicut enim obiectum est *ratio possibilitatis intrinseca veritatis scientiæ* (§. 342.), ita & ratio possibilitatis intrinseca est *scientiæ ut veræ*. Non nisi scientia vera Deo compossibilis est; atque idcirco, etsi ratio possibilitatis scientiæ simpliciter (uti hæc est mera realitas a ceteris entis infiniti realitatibus formaliter distincta) sit sola ipsa Dei essentia, tamen eiusdem scientiæ ut veræ, i. e. ut coniunctæ cum obiecto conformi, ratio possibilitatis saltem partialis est ipsum obiectum, licet sæpe realiter distinctum.

§. 345.

Ratio existentiæ respectu cuiuscunque scientiæ, cuius veritas est possibilis ratione obiecti eiusdem, omnino sufficientissima est sola infinitudo essentiæ Dei. Deus enim sibi ita sufficientissimus est (§. 86.), ut nullius suæ perfectionis rationem existentiæ habeat in ente a se distincto (§. 85.), sed absolute & sufficientissime in se ipso, sive in ipsa infinitudine essentiæ suæ. Cum ergo omnis scientia veri metaphy-

sici

fici cuiuscunque evidenter perfectio ſit, atque in Deo exiſtat (§. 271.), etiam iſtius ratio ſufficientiſſima ineſt ipſi eſſentiæ Dei infinitæ.

§. 346.

I. *Nulla ergo ſcientia Dei in exiſtendo dependet ab obiecto a Dei eſſentia realiter diſtincto, ſeu tanquam a principio ſui materiali, ſeu tanquam a principio efficiente, adeoque nullo modo* (§§. 197. 204. Ont.). Nullum enim tale obiectum reſpectu ſcientiæ divinæ ſibi reſpondentis, uti hæc exiſtit in Deo ceu realis iſtius perfectio, eſt ſeu ratio poſſibilitatis, ſeu ratio exiſtentiæ (§. 344. III.).

§. 347.

II. *Veritas logica cuiusque ſcientiæ divinæ item nullo pacto vere dependet ab obiecto ſibi reſpondente, ſed per ipſum obiectum, ceu per rationem poſſibilitatis ſuæ intrinſece conſtituitur ex parte* (§. 342.). Veritas enim nec a priori, nec a poſteriori, cum obiecto connectitur, ſed a concomitanti (§. 194. Ont.): quæ vero dependent ab altero, a poſteriori cum hoc connecti debent (§. 197. Ont.).

* Vocant vulgo obiectum *verificativum* ſcientiæ divinæ; qua voce nulla dependentia ipſius ſcientiæ Dei, imo ne veritatis quidem iſtius, ab ipſo obiecto exprimitur, ſed aliud nihil, quam ab obiecto rationem veritatis logicæ cuiusque ſcientiæ formaliter conſtitui.

§. 347.

III. *Quoties realitas obiecti qua talis, reſpondentis cuique ſcientiæ divinæ, dependet ab agente libero creato, toties partialis ratio poſſibilitatis, ſeu ipſa poſſibilitas, veritatis talis divinæ ſcientiæ ab eodem agente libero creato eodem modo, quo illa ipſa obiecti realitas, impediri iuxta ac determinari poteſt.* Sic veritas tam huius abſolutæ ſcientiæ viſionis, *Sympertus provocatus ad duellum comparebit condicto loco*, quam iſtius condition-

ditionatæ, *Sympertus, si provocaretur ad duellum in his illisve rerum adiunctis, compareret,* cum utriusque obiecti ratio (§§. 299. 319.), nempe liber consensus in progressionem ad duellum, a libero Symperti arbitrio secundum partialem sui rationem ultimam & immediatam pendeat, idemque, ceu obiectum, conficiat partialem possibilitatis rationem respectu istius scientiæ utriusque, haud dubie, uti determinari, sic & impediri a libero Symperti arbitrio potest.

§. 348.

IV. *Quoties agens aliquod creatum, a quo realitas obiecti alicuius scientiæ divinæ absolute possibilis dependet, hanc rationem partialem possibilitatis ipsius veritatis scientiæ Dei tali obiecto respondentis vel impedit, vel determinat, conditionate, vel absolute, toties ipsa Dei essentiæ perfectio & vis immanens intellectus infinita, ceu ratio possibilitatis & existentiæ sufficientissima solius & omnis scientiæ veræ* (§§. 344. I. III. 345.), *eaque necessario existens* (§. 58. I.), *eiusdem scientiæ tali obiecto respondentis existentiam vel ceu sibi incompossibilem excludit, vel ut sibi compossibilem, harmonice determinat.*

§. 349.

V. *In casibus ergo* §§. 347. 348. *propositis nullo pacto agens liberum creatum scientiam ipsam Dei aut determinat, aut impedit, instar seu caussæ physicæ, seu intentionalis* (§. 264. Ont.); *sed unice impedit, aut determinat instar caussæ eiusmodi rationem partialem veritatis eiusdem scientiæ; qua determinata, vel impedita, infinita Dei perfectio essentialis determinat, scientiam veram instar principii efficientis, & impedit falsam ceu principium materiale incompossibile cum ista* (§. 204. Ont. & §§. 344. III. 345.).

§. 350.

VI. *Quoniam tamen veritate scientiæ ex parte sic ab agente creato vel determinata, vel impedita* (§§. præc.) *hos*

hoc ipſo per ipſam Dei eſſentiam determinatur ſcientia vera, & falſa impeditur, ſic, ut inter coexiſtentiam iſtius duplicis determinationis, aut impeditionis, ſimilitudo quædam ſit cum coexiſtentia eorum effectuum, qui a concomitanti inter ſe, & a poſteriori cum una eademque communi cauſſa connexi ſunt (§. 195. Ont.); *inde ſit, ut idea impropria & imaginaria* (§. 96. Log.) *ipſum agens liberum creatum ceu determinans, aut impediens phyſicum reſpectu ipſius ſcientiæ Dei æque atque eiusdem obiecti concipiamus.*

* Quoties ergo dicimus, Dei ſcientiam mediam directam e. g. aut ſcientiam viſionis abſolutam actuum liberorum creatorum a liberis agentibus creatis determinari, aut impediri, determinationes iſtæ, vel impeditiones, nequaquam vere tales & phyſicæ, ſed meræ imaginariæ, noſtro concipiendi modo tales, logicæ, aut ſimilitudinem qualemcunque cum vere talibus habentes, nunquam non intelligi debent.

§. 351.

VII. *Obiecta omnium ſcientiarum divinarum ad has perinde ſe habent, nempe quod omnia quidem ſint partiales rationes poſſibilitatis reſpectu veritatis ſcientiæ cuiuslibet ſibi reſpondentis* (§. 344. II.), *nullo autem pacto ullum eorum ſaltem quæ realiter ab ipſa Dei eſſentia diſtinguuntur, ſit ratio exiſtentiæ vel inſufficiens ſolum reſpectu ipſius ſcientiæ eiusdem* (§. 345.).

* Incaſſum ergo Ill. Wolfius (Theol. Nat. P. I. §.232. not.) cum tot aliis ſpecialem modum difficultatis ſibi obſervare videtur in cognoſcibilitate actus liberi creati per ſcientiam mediam directam. Res perinde ſe habet in ſcientia ſimplicis intelligentiæ reſpectu obiectorum omnium poſſibilium finitorum, quorum poſſibilitas intrinſeca etiam ut realiter diſtincta a poſſibilitate intrinſeca ipſius Dei (§. 290.), una cum ſubſtantiarum finitarum & modorum quorumcunque compoſſibilitate, immediatum eſt obiectum

istius scientiæ, eiusque veritatis respectu quidem est ratio possibilitatis, sed nullo modo est ratio natura prior respectu ipsius scientiæ eiusdem. Idem est de obiectis contingentibus absolute existentibus, tam cum actu existunt præsentia, quam cum extitere iam, aut adhuc solum futuræ sunt: siquidem omnia cognoscuntur a Scientia visionis absoluta secundum rationes suæ existentiæ adæquatas, i. e. non in solo Dei decreto & potentia creante ceu ratione ultima, sed etiam in suis rationibus existentiæ mediis & immediatis (§§. 296. 299. 301.); quæ omnes rursum sunt vel maxime formales rationes sufficientes veritatis illius scientiæ, nullo autem pacto rationes sufficientes ipsius scientiæ.

** *Neque dicas*, imperceptibile esse, præscibilia esse obiecta libera mere conditionata, quæ nunquam sunt extitura, & quorum proin nullus adhuc est nexus cum rebus actu existentibus, seu finitis, seu ipso cum ente infinito. Ita quoad rem Ill. Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 232. & seqq. *Resp.* 1. Si nexus actualis cum ente infinito necessarius est ad cognoscibilitatem alicuius obiecti, tunc ante decretum Dei actuale de quovis creando mundo, sicut nullus est nexus actualis ullius entis finiti cum infinito (nisi cum Wolfio necessarium illum nexum mundi optimi cum Deo non nisi optimum, & hoc quidem, necessario volente, admittas), ita Scientia simplicis intelligentiæ ante tale decretum liberum nihil a Dei possibilitate intrinseca realiter distinctum cognoscere poterit, adeoque res possibiles finitas individualitate sua, secundum quam ab ea sunt realiter distinctæ, absolute non cognoscet. Similiter Scientia visionis absoluta solum cognoscet rationes existendi ultimas divinas rerum finitarum, nempe Dei potentiam & decreta libera; in quibus cum nec rationes immediatæ eventuum naturalium secundum individuationem suam, multo minus rationes partiales ultimæ & immediatæ actuum creatorum liberorum, *ut rationes existentiæ,* insint, imo, cum hæ ne quidem absolutum cum illis rationi-

rationibus ultimis divinis nexum physicum actu habeant: isthæ omnes rationes immediatæ mutationum finitarum, tam liberarum, quam non liberarum, secundum individuationes suas formales & proprias (quæ simul certos limites, Deo incompossibiles, atque adeo nec in ipso Deo cognoscibiles, involvunt) a Deo omnino non cognoscentur. Dixi: actus liberos creatos etiam absolute futuros non habere *absolutum nexum physicum a posteriori* cum decreto Dei libero. Ad hunc enim requiritur, ut unum ex connexis, quod respectu alterius a priori absolute physice connexum est, sit istius ratio existentiæ omnino *sufficiens*, seu proxima, seu mediata, aut ultima (§. 195. Ont.): atqui neque decretum Dei se solo, neque una cum scientia media directa de conditionata futuritione, est talis ratio mediata & ultima *sufficiens*, cum ratio ultima actus liberi creati non nisi per ipsum actum liberum hunc compleatur. Et licet scientia media sit ratio possibilitatis respectu decreti divini ea prælucente a Deo concepti; nihilominus, cum nec ipsa habeat indolem alicuius rationis existentiæ, nec decretum ipsum sit ratio ultima completa existentiæ actus liberi creati, idcirco ne cum complexo quidem scientiæ mediæ & decreti divini datur proprie & vere talis nexus physicus absolutus actus liberi creati. Interim tamen data semel scientia media directa simul & decreto Dei libero datur *infallibilis absoluta prævisio futuræ coexistentiæ actus liberi creati cum decreto divino*, seu *infallibilitas ipsius decreti diuini*, quo Deus ob prævisos per scientiam mediam conditionatos actus liberos creatos horumque effectus ceu ob motivum infallibili scientia cognitum (§. 242. I.) decernit creationem substantiarum hunc mundum componentium eo fine, ut isti prævisi actus liberi eorumque effectus. beatitudo nempe quam plurimarum creaturarum rationalium, actu & absolute eveniat: quæ *decreti divini infallibilitas* non in efficacia seu virtute activa per se solam completa ultima, sed in efficacia seu virtute activa per se solam quidem in ratione vir-

 tutis

tutis activæ incompleta consistit, quæ tamen coniuncta est cum scientia infallibili extituræ rationis illius partialis ultimæ, ipsi actui libero immediate insitæ, per quam integre complenda sit. Atque hoc nomine tale *decretum Dei* vulgo vocatur *prædefinitivum & infallibiliter efficax*, quod nempe, ob coniunctam sibi infallibilitatem de obtinendo fine, ipsa media finis caussa cum securissima complacentia decernat, atque effectum, actum nempe liberum, cuius ipsum est ratio ultima, licet solum incompleta, tamen ob infallibiliter prævisum accessum complementi ultimi sit certissime consecuturum. Quippe tali decreto non quidem efficacia ipsa completa (nexum absolutum antecedentem & a priori determinatura) sed tamen *infallibilitas efficaciæ*, & infallibilis certitudo de complenda sua efficacia per se solam adhuc incompleta, coniuncta est, ob Scientiam mediam scilicet eidem prælucentem (§. 334.).

*** *Respondeo* vero etiam 2. ac *fateor*, imperceptibilem, seu incomprehensibilem, quidem esse modum, quo Deus libera obiecta creata conditionata, imo & possibilia finita, sine omni scientiæ suæ ab his obiectis dependentia (§. 346.), cognoscat, at non ideo impossibilem habendum, quin & necessario intellectui finito imperceptibile esse debere, affirmate teneo, quo modo ab ente infinito cognoscantur ea, quæ cognoscere soli infinito intellectui absolute proprium est, perinde scilicet, atque nullus finitus intellectus percipere modum distincte potest, quo Dei potentia & vis agendi ad extra infinita res mere possibiles, & nullam adhuc existentiæ rationem, nec absolutum per se nexum cum Dei essentia & existentia absolute necessaria habentes, solo libero suo decreto creare, i. e. determinare ad existendum, queat. *Nego* autem prorsus, etiam imperceptibile esse, quod obiectis mere conditionatis, & nullo adhuc absoluto nexu cum aliquo ente actu existente connexis, vere realis cognoscibilitas competat. Hanc enim omnibus istis obiectis reipsa competere, nos supra toto Articulo II. ipsi plane iam ostendimus. Et sane mirari

rari non immerito subeat, cum tota circa Dei scientias contingentes difficultas præcise ad hoc caput unicum redigatur, quod modus intelligi distincte nequeat, quo Deus immediate actus liberos conditionatos creaturarum rationalium nunquam existentium immediate in se ipsis per scientiam mediam directam videat, mirari, inquam, non immerito subeat, quod eius loco, ut hoc ipsum nobis necessario imperceptibile esse prorsus debere fateamur, potius malimus notiones certissimas & experientia intima confirmatas de humana libertate, de veritate logica, de rationibus futuri, præsentis, ac præteriti, de contingentia, de necessitate antecedente &c. aut obscurissimis formulis implicare, aut evertere omnino. Dixi, totam difficultatem huius totius negotii ad hoc unum, quod dixi, caput redigi. Quis enim, si de hoc semel conveniat, porro traditas a scientiæ mediæ defensoribus de libertate, de veritate logica iudiciorum, de ratione futuri, necessitatis, & contingentiæ, notiones porro in dubium vocabit? Equidem iam pari iure cum Ill. Wolfio illud postulo a quarumcunque prædeterminationum patronis: Theologiam naturalem in systema redigant, Dei libertatem veram probent contra Ill. Wolfium, simulque Dei essentialem perfectissimum amorem benevolum erga creaturas omnes rationales explicent, ceu unicum creationis stimulum; summam potentiam impediendi saltem physice mala accidentalia omnia, tam physica quam moralia, imo saltem prædeterminandi loco malorum mera bona moralia, exponant; tententque, utrum, salvo simul præsertim analogo divinæ & creatæ libertatis conceptu, & contra omnes Fatalistarum argutias defenso (§.312. seqq. Psych.), componere illa omnia in uno cohærente systemate distincte proposito valeant.

§. 352.

VIII. Quoniam explicata semel realitate obiectorum cuiusvis scientiæ Dei (Art. II.) evidens est, omnes scientias, seu iudicia, etiam de obiectis libe-

ris conditionatis (§§. 321. 324.) vel ab æterno elicita vera esse posse; idcirco, cum nec rationes sufficientes possibilitatis & existentiæ ipsarum scientiarum singularum ab æterno existentes in Deo desint, quippe in sola infinitudine essentiæ Dei positæ (§§. 344. III. 345.) *omnes Dei scientiæ tam possibilium quam existentium, eorumque absolute, vel conditionate, necessario, vel contingenter existentium, in Deo existunt ab æterno* (§. 22.)

§. 353.

IX. Nihilominus sicut ipsa possibilitas veritatis logicæ, quoad hæc pro parte involvit cognoscibilitatem obiecti cuique scientiæ respondentem (§. 347.), nunc (sicuti & ipsa realitas obiecti) necessaria est, uti respectu scientiæ simplicis intelligentiæ rerum possibilitas, & respectu scientiæ visionis necessariæ existentia Dei (§§. 284. 286.), imo & respectu scientiæ mediæ naturalis (§§. 288. 279.); nunc autem contingens, uti est respectu omnium reliquarum scientiarum visionis, tam absolutarum, quam conditionatarum (§§. 278. 279. 287. 288.): ita & *scientia simplicis intelligentiæ, scientia visionis absoluta necessaria, & scientia media naturalis, ab æterno necessariæ hæ præcise tales in Deo existunt; reliquæ vero scientiæ visionis, tam absolutæ, quam conditionatæ, præcise hæ, quales nunc sunt, non nisi Deo ab æterno contingenter insunt*; hoc ipso quod non nisi veræ scientiæ Deo inesse possint (§. 344. I.), & contingens sit, harum veritatem possibilem esse.

§. 254.

X. *Scientia omnis veri metaphysici completa & adæquata simul tota in Deo perpetuo existit.* Si una existeret post alteram, successio, & scientiarum initium existerent; nisi perpetuo maneret tota, mutatio in Deo oriretur; quod pugnat cum §§. 352. 23. 58. IV. Unde *Deus nihil unquam obliviscitur, sed præteritorum omnium perpetuo recordatur.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE PERFECTIONE INTELLECTUS ET OMNISCIENTIÆ DIVINÆ.

§. 355.

Omniscius est, qui cognoscit omnia, quæcunque cognoscibilia sunt, & sub omnibus modis & relationibus, sub quibus aliter atque aliter sunt cognoscibilia. *Omniscientia* est ipsa actualis cognitio omniscio propria.

§. 356.

Deus est omniscius. Datur enim in Deo cognitio actualis simultanea & perpetua omnis veri metaphysici, eaque completa & adæquata (§. 345.), atque adeo & sub omnibus modis & relationibus, sub quibus nova ac diversa cognoscibilitas, seu veritas metaphysica illis competit.

§. 356.

I. *Deus complete cognoscit omnium entium simplicium possibilium singillatim essentiam, attributa, accidentia his compossibilia, horum identitatem, unitatem metaphysicam, bonitatem & perfectionem metaphysicam absolutam, necessitatem possibilitatis eorundem, existentiæ contingentiam, illius immutabilitatem, huius modorumque essentiæ inexistentium variabilitatem, omniumque finitudinem.* Sub his enim diversis conceptibus quævis entia simplicia cognoscibilia sunt; ut ex Sectione I. Ontologiæ patet.

§. 357.

II. *Deus etiam complete cognoscit omnes omnium simplicium ad se invicem relationes tam absolutas necessarias, quam contingentes, nempe similitudinis & dissimilitudinis essentialis & accidentalis, omnis possibilis coexistentiæ, aut successionis inter se invicem, atque adeo & omnis nexus, atque ordinis possibilis iuxta, & actu exi-*

ſtentis. His enim omnes modi poſſibiles diverſæ cognoſcibilitatis inter plura entia ſimplicia ad ſe invicem relata abſolvuntur, ut ex II. & III. Sect. Ontol. & notionibus ibi expoſitis, & vel conſpectu ipſo operis, patet.

§. 358.

III. *Deus non ſolum individua* (§. 356.) *ſed etiam omnes ſpecies & genera, atque adeo tam ſingularia, quam univerſalia, diſtinctiſſime cognoſcit;* quippe quæ cognitio ex cognitione ſimilitudinis omnis atque diſcriminis reſultat (§. præc. & §. 135. ſeqq. Ont.).

§. 359.

IV. *Deus omnem quantitatem, magnitudinem, numerum rerum finitarum, iſtorumque ad ſe invicem rationes, & proportiones, menſuras &c., complete cognoſcit.* Ontol. Sect. II. cap. III.

§. 360.

V. *Idem ſimultaneorum omnium poſſibilium poſſibilia æque atque actu exiſtentia loca, & ſucceſſivorum omnium poſſibilium poſſibilia æque atque actu exiſtentia temporis momenta ac durationes, motus item, huiusque celeritates, & directiones, quietem quoque, ac huius durationem &c. complete cognoſcit.*

§ 361.

VI. *Deus rerum omnium poſſibilium æque ac exiſtentium cauſſas omnes, materiales, & efficientes, phyſicas, & intentionales, proximas, remotas, atque ultimas, cauſſas per ſe, & per accidens, omnes poſſibiles & actu exiſtentes fines & media &c. complete & adæquate intuetur, idemque omnes leges naturæ, harumque exceptiones &c. perſpectas habet.*

§. 362.

VII. *Denique idem Deus etiam diſtinctiſſime cognoſcit, quid porro in quovis mundo poſſibili circa omnia acci-*

accidentia intrinseca & externas relationes per vires suas agendi ad extra infinitas miraculorum possibile iuxta & actu futurum sit, aut actu fuerit.

§. 363.

VIII. *Deus etiam negationes, defectus, fines, ac limites rerum quarumcunque possibilium modo cognitionis his negativis determinationibus in ente infinite perfecto congruente cognoscit;* quatenus nempe cognoscendo quævis finita, horumque realitates adpercipiendo, reflexe conscius est, se non adpercipere ex parte obiecti finiti realitates, quas, intuendo se ipsum & infinitam perfectionem propriam, in se ipso præterea intuetur (§. 19. Log. not.).

§. 364.

IX. *Deus etiam omnes errores ceterasque imperfectiones finiti intellectus cuiusque distinctissime cognoscit,* comparando nimirum istius ideas & cognitiones ad infinitæ suæ omniscientiæ de rebus quibuslibet conceptus & discrimina seu dissimilitudines (§. 357.) ac defectus notando (§. præc.).

§. 365.

X. *Deus etiam impossibilia quæcunque modo, tum his ipsis impossibilibus, tum enti infinite perfecto congruente, perfectissime cognoscit,* notando nimirum in rebus finitis realiter distinctis determinationes contradictorias, quæ sunt principium realis eorum distinctionis (§. 62. Ont. §. 363.), simulque principium excludens eorundem identitatem; quæ sola identitas contradictionem seu impossibilitatem involveret (§§. 14. 60. Ont.). Impossibilitatem ergo seu contradictionem, quæ propriæ cognitionis *distinctæ* (cuius solius Deus est capax) ipsa est incapax, in suo opposito, nimirum in reali rerum didistinctione, Deus intuetur.

§. 366.

Comprehendere quid intellectu quis dicitur, qui totius ideæ seu cognoscibilitatis rei tam quoad eius rationes possibilitatis, quam existentiæ comprehensionem (§. 195. Log.), i. e. omnem congeriem notarum ac determinationum utrarumvis, nulla excepta, simul distinctissime intuetur.

§. 367.

Deus intellectu res universas cognoscibiles comprehendit, ipsiusmet tamen intellectus est prorsus cuivis finito intellectui incomprehensibilis. Primum ex dictis omnibus huc usque evidens est. *Alterum* ex eo patet, quod finitus omnis intellectus nec simul omnia, sed successive, nec quævis distinctissime, sed nunquam non cum aliqua confusione quævis obiecta cognoscat, nec modum, quo intellectio de rebus præsertim mere conditionate futuris in Deo existat (§. 351. not. 3.), percipiat (§§. 155. 156. Psych.).

CAPUT IV.

DE VOLUNTATE DIVINA.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTATE DEI ANTECEDENTE ET CONSEQUENTE.

§. 368.

Appetitus innatus, sive ut aliqui technica magis, quam latina voce appellant, *elicitivus*, est ipsa facultas appetendi enti alicui substantialis, estque vel *mere sensitivus*, ut in brutis animantibus, vel *rationalis*, ut in substantiis rationalibus, vel *intellectualis*, ut in substantia perfecte intellectiva, seu non nisi distincto & immediato intuitu omne verum intuente, qualis est Deus. *Appetitus elicitus* est ipsa appetitio obiecti, seu ipse actus secundus appetitus innati. *Appetitus elicitus naturalis proprie* dicitur, qui

qui ab appetitu innato vi solarum naturæ legum hypothetica saltem necessitate physica elicitur, *estque æque varius, atque ipse appetitus innatus*, nempe vel mere sensitivus, vel rationalis, vel intellectualis. Quodsi ipse appetitus elicitus naturalis aliquis in ente per modum attributi insit, atque adeo per ipsa entis essentialia determinetur (§. 49. Ont.), ipse talis *appetitus elicitus innatus* dicitur.

* Veteres etiam rebus inanimis appetitum innatum tribuebant, qui non in alio quam in ipsa vel capacitate recipiendi aliquem effectum, vel in facultate aliquem effectum producendi, eaque naturali, consistebat. At hic appetitus non nisi metaphoricus reipsa est, nec proprie talis. Vide Suarium Metaph. Disp. I. Sect. VI.

§. 369.

I. *Datur in Deo appetitus innatus summe intellectualis, qui sit facultas volendi sibimet infinitam suam perfectionem, non quidem per desiderium, sed per amorem complacentiæ & gaudium infinite perfectum, tam directum, quam reflexum, idemque cum appetitu elicito innato, i. e. cum ipso amore complacentiæ & gaudio gemino respondente, instar attributi se habente, absoluta necessitate metaphysica ab æterno coniunctus.* Patet ex §. præc. & ex §§. 68. 69. 58. & §. 96. Ont. Quod desiderium præfatum in Deo locum non habeat, ex eo evidens est; quia id tendit in rem absentem: atqui nulla perfectio abest a Deo infinite perfecto.

II. *Datur quoque in Deo appetitus innatus summe intellectualis, qui sit infinite perfecta facultas volendi ab æterno per desiderium creaturis rationalibus beatitudinem respective summam & omnia media istam consequendi, & de eadem beatitudine ipsis actu procurata gaudendi.* Cum enim præfata beatitudo creaturarum rationalium non sit nisi felicitas earum summa absolute possibilis (§. 84.), a Dei infinite perfecto intellectu una cum

cum mediis illius omnibus diſtinctiſſime cognoſcitur (§. 67.), & a vi agendi ad extra infinita (§. 75.) media ad eam conſequendam omnia ſuppeditari poſſe intelliguntur, ſimulque tanquam vera bona apprehenduntur, id eſt, amoris complacentiæ ſaltem divinæ & benevolentiæ erga creaturas rationales capacia obiecta ſunt (§§. 88. 89.). Ergo & ipſa facultas eadem una cum ipſa beatitudine creaturarum rationalium volendi vera eſt realitas ac perfectio (§§. 7. 85. Ont.), atque adeo ut defœcata ab omni defectu, ſeu limite, Deo, ceu enti infinite perfecto, & alioquin facultate volendi, ſeu voluntate, prædito (Car. I.), tribuenda.

§. 370.

Si datur in Deo præter ipſam facultatem appetitus innatam etiam aliquis appetitus elicitus innatus (§. 368.), quo actu ab æterno velit beatitudinem, ſeu verum aliquod bonum creaturæ rationalis; is 1. *nec a ſcientia media directa, nec a ſcientia viſionis abſoluta contingenti ulla dirigi, nec ab ea ut a motivo determinari poteſt,* 2. *nec idem pro obiecto ac fine volito habere poteſt, niſi beatitudinem creaturæ rationalis in abſtracto ut per varia media ſufficientia poſſibilem, non autem determinatam atque ut per media omnimodis determinata actu conditionate futuram.* Quodſi enim appetitus ille elicitus ſit Deo innatus, hoc eſt, ſi ſit actus facultatis volendi benevolæ (§. præc.) eſſentialis inſtar attributi ab ea determinatus, nec a ſcientia media directa, nec alia mere contingente, ceu a ratione ſui ſufficiente pendet, ſed a ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, aut a ſcientia media mere naturali, quæ utraque Deo eſſentialis eſt (§. 353.), & a ſcientia viſionis neceſſaria (§. 286.), determinari debet: *quod primum.* Porro cum tres ſcientiæ iſtæ Deo non niſi poſſibilitates rerum & bonorum quorumque creatorum in exiſtendo contingentium ſimul & a creaturarum

rarum rationalium libertate pendentium, non autem ſuturitionem conditionatam repræſentent; quippe quæ ſolius ſcientiæ mediæ directæ obiectum eſt (§§. 319. 325.); cumque beatitudo reſpective ſumma poſſibilis creaturæ rationalis, imo quævis etiam alia per modum boni moralis acquirenda, haud dubie a libertate creata pendeat: idcirco ſi Deus illius beatitudinem appetitu elicito innato reipſa appetat, non niſi eam in abſtracto apprehenſam ut per varia media poſſibilem, non autem determinatam atque ceu per media omnimodis determinata conditionate futuram pro obiecto iſtius appetitus, ac pro fine per eum volito, habere poteſt.

§. 371.

Appetitus elicitus Deo innatus ad agendum & determinandam exiſtentiam alicuius rei creatæ extra ſe, prout non ab ulla Dei ſcientia contingente, ſed a ſolis ſcientiis neceſſariis & eſſentialibus determinatur, vocatur *voluntas Dei antecedens; voluntas Dei conſequens* dicitur, quæ appetitus elicitus quidem, ſed non innatus in Deo eſt, & ab aliqua ſcientia Dei contingente ceu a motivo dirigitur, ſive impellens, ſive abſterrens, iſtud ſit.

* Diſtinctio hæc voluntatis antecedentis & conſequentis in Deo, ſed obſcurioribus formulis expreſſa, reipſa S. Io. Chryſoſtomum habet auctorem, qui Hom. I. in Ep. ad Epheſ. ait, eſſe quamdam in Deo *voluntatem primariam, ſecundum quam Deus non vult quemquam perire,* aliam autem *ſecundariam, qua vult perire eos, qui in peccatis contaminati perſiſtunt.* Clarius acceptam hanc a S. Chryſoſtomo diviſionem S. Jo. Damaſcenus L. II. de fide orthod. c. 29. verſus finem explicavit, dicens, *voluntatem antecedentem & primariam eſſe, cuius Deus ipſe ſit cauſſa, conſequentem vero & ſecundariam, quæ ex noſtro vitio ortum habet.* In græco textu voluntas antecedens dicitur *ex ipſo*

Deo manans. Rursus in libro contra Manich. paulo ante finem S. Damascenus ait, *primariam voluntatem Dei esse id, quod Deus ex se ipso vult, secundariam vero id, quod earum rerum, quæ contingunt, caussa vult.* Ubi vides, a voluntate Dei qua antecedente contingentia motiva removeri. Vide etiam Vasquium in I. Summæ D. Thomæ Disp. LXXXIII. c. 3.

§. 372.

Datur in Deo actu ab æterno voluntas antecedens benevola erga creaturas rationales infinite perfecta, qua velit earum omnium beatitudinem respective summam in abstracto, & ut per diversa media possibilem prævisam. Datur enim in Deo facultas appetitus innati infinite perfecta bene volendi, id est, infinita promtitudo, dispositio, & facilitas (§. 337. Psych.) appetendi appetitu elicito beatitudinem respective summam omnium creaturarum rationalium possibilium (§. 369. II.); datur quoque scientia simplicis intelligentiæ, media naturalis, & scientia visionis absoluta necessaria, illius absolutam possibilitatem per diversa media sufficientia distinctissime proponens (§. 370. n. 2.); datur in Deo amor complacentiæ summus ex possibilitatis illius distincto intuitu, tanquam ex suæ ipsius bonitatis absolutæ similitudine necessario conceptus (§. 88. & §. 108. not. 2. n. 2. & n. 12.); datur & distinctissimus in Deo intuitus de utilitate boni eiusmodi respectu creaturarum rationalium, quas ipsas quoque etiam ut mere possibiles amore complacentiæ amat (§§. citt. præsertim §. 108. not. 2. n. 5.); atque adeo dantur motiva allicientia facultatem appetitus innati ad volendam actu creaturis istis omnibus rationalibus bonum tam eximium, nullum vero suppetit motivum absterrens ex parte scientiarum huic voluntati prælucentium; suppetit quoque ratio efficiens infinite perfecta, nimirum ipsa facultas bene volendi.

infi-

infinite perfecta secundum se & vis agendi ad extra infinita; i. e. suppeditandi actu media quæque ad eam beatitudinem promovendam per se sufficientia facultas item infinita (§. 75.). ergo nulla libertas iam locum habet, sed vi legis naturæ divinæ & ipsius facultatis innatæ appetitus aliquis elicitus innatus ab æterno in Deo erga beatitudinem omnium creaturarum rationalium in abstracto conceptam, ut mere possibilem, consequitur (§. 307. Psych. & §. 235. hic supra.).

*** Lege sis pro confirmatione thesis istius & claritate deinceps dicendorum, quæ ad §. 235. in adnot. iam præmonuimus. Adde tum vero ea maxime, quæ infra pro simillima certe, aut potius ipsissima hac thesi demonstranda infra §. 549. dicturi sumus ex principiis deinceps stabiliendis circa alias Dei perfectiones.**

§. 373.

I. *Voluntate antecedente benevola sibi innata* (§. *præc.*) *Deus omnibus creaturis rationalibus possibilibus ex æquo sine omni partialitate vult beatitudinem respective summam, cuiuscunque singulæ capaces absolute cognoscuntur.* Est enim actus iste voluntatis divinæ elicitus a facultate volendi infinite perfecta: ergo appetibilitati seu bonitati obiecti sui atque tam motivo, quam rationi finali, id est ipsi facultati volenti, debet esse commensuratus ceu rationatum item infinite perfectum.

II. *Eadem voluntate antecedente benevola sibi innata Deus omnibus creaturis rationalibus vult beatitudinem non aliam etiam ut possibilem, nisi quam ceu bonum morale per ipsum bonum usum libertatis ab ipsismet acquiri posse prævidet.* Vult enim hac voluntate eisdem beatitudinem possibilem respective summam. Atqui quodvis beatitudinis genus possibile libere ab ipsismet acquisitum longe æstimabilibus & maius

est

eſt quovis alio, in boni ratione mere phyſica eidem de cetero æquali (§. 186.), magisque ad ſimilitudinem beatitudinis ipſi Deo propriæ & abſolute ſummæ eo nomine accedit, quod ſicut Deus ſuam beatitudinem adæquate habet a ſe ipſo, ita & tales creaturæ rationales per bonum libertatis uſum ipſæ ſibimet beatitudinis propriæ ſaltem ex parte una cum Deo auctores exiſtant. Vide etiam §. 190.

III. *Interim Deus nihilominus voluntate conſequente ad ſcientiam mediam directam prorſus liberrima earum in ſpecie creaturarum rationalium beatitudinem præ aliis elegit, quæ eandem in præſente mundi ſyſtemate bono libertatis uſu conſecuturæ ab ipſo per ſcientiam mediam præviſe fuerant.* Motiva enim Deo nihilominus abſterrentia ſuppetebant iſtum mundum non creandi, imo creandi nullum omnino (§§. 236. 237. 238.), ſed quæ nimirum per ſcientiam mediam contingentem primum proponebantur circa quamlibet beatitudinis ſpeciem in particulari.

* Suarius quidem noſter, etſi fateatur (lib. IV. de Prædeſt. c. II. n. 7.) aliquorum theologorum eſſe ſententiam, voluntatem ſalvandi omnes homines Deo ineſſe neceſſario, tamen ibidem n. 8. contrarium ipſe cenſet eſſe probabilius, putatque ſic alios communius ſentire, eo quod hanc voluntatem colligant ex Scripturis divinis & Dei revelatione, non ex neceſſitate divinæ naturæ. At hoc quidem, quod ex Dei revelatione eam probent, nihil obſtat, quo minus eam in Deo neceſſariam eſſe exiſtimarint. Ceterum pauci hanc quæſtionem, an illa voluntas antecedens neceſſaria ſit, an libera, diſtincte tractant: attamen modis loquendi profecto talibus utuntur, quæ magis innuant ex neceſſitate naturæ divinæ eam repeti, quam ad liberum Dei arbitrium referri; ſiquidem vulgo ex naturali inclinatione inferunt, quam ſummum bonum ex ſe ipſo habeat ad ſe creaturis communicandum; uti ex ipſis quoque S. Damaſceni verbis §. 371. not. relatis patet. S. Tho-

Thomas 1. q. 19. a. 2. in C. simili expressione utitur, & licet seq. mox art. 3. neget, Deum alia extra se ex necessitate naturæ suæ velle, tamen manifestum est, ibi eum de voluntate rerum extranearum non in abstracto, sed in particulari seu individuo loqui, quam ipse quoque liberrimam esse hoc ipso Coroll. III. certissimum teneo. Iam vero S. Thomas ibid. Art. 6. ad 1. voluntatem Dei antecedentem, qua velit omnes homines salvos fieri, aperte tenet esse eiusmodi, ut non feratur in salutem in particulari, i. e. ut sub determinatis rerum adiunctis conditionate futuram, sed in eam ut absolute possibilem & in abstracto, declaratque exemplo Iudicis, qui vult hominem absolute vivere, etsi sub circumstantiis particularibus comissi ab eo homicidii spectatum eundem mori velit. Et vero omnes id necessario fateri debent, voluntatem Dei antecedentem non ferri in beatitudinem in particulari *ut prævisam per scientiam mediam* ceu futuram conditionate sub his mediis & circumstantiis in individuo, sed solum ferri in eandem cognitam ut absolute possibilem etiam sub his eisdem mediis, sub quibus scientia media eam exhibet ut conditionate non futuram: secus voluntas ista antecedens benevola erga eos locum non haberet, qui in hoc rerum systemate eam nunquam consecuturi prævidentur. Adde & illud; quod absque principiis §. præc. propositis Dei antecedens voluntas benevola erga omnes homines etiam in hoc mundo speciatim contentos ex solo rationis lumine in theologia naturali omnino probari non posset: sine qua tamen, nescio, quo pacto infinita Dei bonitas respectiva defendi possit.

** Quod alterum corollarium attinet, eadem prorsus est S. Thomæ sententia in L. I. Sent. Dist. XLVI. q. 1. a. 1. ubi ait: Sicut *spectato bono naturæ humanæ æqualiter bonum est, omnem hominem salvari;* ita *Deum voluntate antecedente* ex æquo, i. e. *æquali voluntate velle omnes homines salvos fieri.*

*** Porro rationes a Suario nostro, ob quas necessariam is non posse statui voluntatem Dei antecedentem benevolam existimat, loc. cit. sequentes asseruntur: 1. quia sequeretur, quod, si hæc voluntas necessaria esset, non esset speciale beneficium Dei, nec teneretur homo gratias agere Deo propter hunc amorem. 2. Quia sequeretur, non potuisse Deum creare hominem, quin ordinaret illum ad beatitudinem supernaturalem; eo quod vi huius amoris benevolentiæ necessarii voluerit illi beatitudinem respective summam possibilem. 3. Quia Deus vi illius amoris non magis vellet beatitudinem hominum actu aliquando existentium quam nunquam existentium, ceu quæ æque possibilis est. Sic enim malo exprimere rationem tertiam, ut difficultatis speciem habere videatur; cum Suarius sequelam alteram revera exigui momenti obiicere maluerit, nempe, quod sequeretur, Deum non magis hac voluntate velle beatitudinem reprobi quam Luciferi. Verum *respondeo*, has sequelas ita falsas esse, ut earum clara refutatio simul apprime serviat ad genuinam benevoli Dei amoris antecedentis indolem magis declarandam. Itaque *ad* 1. *Resp.* distinguendum esse *debitum* a *necessitate simpliciter*, atque illud quidem tollere omnem omnino rationem gratiæ & beneficii, non istam. *Debitum* est necessitas agendi aliquid in bonum alterius, nobis ab actione vel quocunque merito alterius imposita, seu obligatio passiva; atque talis necessitatis volendi (seu debiti) ratio omni gratiæ & beneficio Dei prorsus opponitur. Ex adverso *necessitas* simpliciter ex ipsa bonitatis Dei etiam respectivæ intrinseca infinitudine orta non tollit omnino rationem gratiæ a benevolentia *enti a se distincto & inferiori* exhibita. Adhuc enim gratis & non ex alterius opere exhibetur, quæ propria *gratiæ notio* est ab Apostolo ad Rom. XI. tradita: *si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia non est.* Vide infra dicenda de notionibus *obligationis* (§. 657.), officii *debiti* (§. 680.), & *gratiæ* (§. 723. & in not. §. 725.). Interim haud dubie maior est gratiæ

tiæ gradus, si insuper libere exhibeatur, & nulla etiam intrinseca agentis necessitate. Quod enim libere exhibetur beneficium, eius non exhibendi insuper adsunt motiva absterrentia (§. 307. Psych.): quod autem insuperhabitis motivis absterrentibus gravibus alicui nihilominus absque ullo debito exhibetur beneficium, utique æstimabilibus est. Interim infra §. 391. & §. 399. etiam peculiarem speciem voluntatis benevolæ Dei liberrimæ tam erga reprobos quam erga electos in hoc mundo futuros ostendemus, quæ nunquam extituris rationalibus haud omnino communis est.

Itaque *ad* 2. *respondeo inprimis negando sequelam.* Nam modo Deus præviderit per scientiam mediam directam, in statu puræ naturæ (seu integræ, seu non integræ) plures numero perventuros ad beatitudinem naturalem huic statui propriam, foreque, ut pauciores eadem frustrati minore infelicitatis positivæ gradu mactentur, quam modo contingit in statu elevationis: profecto sic iam suppetebant Deo motiva sufficientia, ut libere, utrumvis vellet, ex his statibus eligeret, salvo perinde affectu generali benevolentiæ suæ. Quodsi ergo unde solide probetur (quod examinare præsentis non est instituti mei) absolute & spectatis omnibus, etiam stante omni Dei scientia media, quam Deus actu de eventu illius status naturæ puræ circa salutem hominum tunc futuram habet, tamen Deo liberum actu fuisse statum illum producere, tam salva bonitate sua respectiva infinita, quam nullo obstante iure rationalis creaturæ: quodsi, inquam, hoc solide probetur: sane vi thesis meæ hoc §. Cor. I. propositæ necesse est, Deum actu habere scientiam mediam de beatitudine hominum universe in illo statu futura æquali (computatis omnibus, & numero beandorum supplente inferiorem beatitudinis gradum, uti & spectato minore numero reproborum, horumque minore supplicio) cum ea, quæ in præsente elevationis statu futura est. Neque istud omnino est inverisimile; *primo* quia ipso Suario affirmante

 (de

(de gratia Proleg. IV. c. II. n. 15.) in ſtatu naturæ puræ etiam non integræ Deus deberet homini largiri auxilia moralia ſufficienter ad conſtanter ſervandam (citra moralem impotentiam) totam legem naturæ & beatitudinem conſequendam: quæ auxilia teſte eodem Suario loc. cit. haberent (NB.) rationem veri doni gratuiti, ſeu gratiæ naturalis; etſi Deus illa negare innocenti naturæ, ceu media ad finem neceſſaria, non poſſet: eo quod videlicet tamen non eſſent debita ob ius aut meritum aliquod naturæ rationalis, ſed ſolum darentur neceſſitate orta ex ipſis Dei perfectionibus, innata videlicet Dei ſapientia, providentia, liberalitate, atque miſericordia. *Deinde* quia eiusmodi auxilio mediorum homines totam legem ſolam naturæ ſecundum ſe multo faciliorem lege ſupernaturali (quippe quæ graviſſimas obligationes poſitivas naturali legi ſuperaddit) facilius ſervarent. Atque hæc ſit prima reſponſio.

Reſpondeo porro ſecundo. Quodſi etiam non detur in Deo actu ſcientia media de æquali univerſe futura beatitudine hominum in ſtatu naturæ puræ non integræ, quanta futura eſt in præſente ſtatu elevationis per gratiam Redemtoris; tunc ſequetur quidem vi theſis a me propoſitæ, neceſſitate quadam hypothetica Deum præciſe ob defectum fecundioris ſcientiæ mediæ de illo ſtatu in præſens fuiſſe impeditum pro ſumma ſua bonitate, ne ſtatum illum puræ naturæ producere potuerit: attamen iſta impoſſibilitas iſtius ſtatus eſt prorſus hypothetica, & ex hypotheſi mere contingente oritur, videlicet ex hypotheſi (ſecundum ſe alioquin incerta) ſcientiæ talis mediæ minus fecundæ, quæ prorſus contingenter exiſtit: nullo autem pacto eſt impoſſibilitas abſoluta, orta ſeu ex aliquo debito naturæ creatæ, ſeu ex *ſola* innata Dei bonitate aut alia perfectione Deo eſſentiali præciſe ſecundum ſe ac diviſim ab omni ſcientia media ſpectata. Iam vero talis mere hypothetica neceſſitas nec cum declaratione Pontificia adverſus propoſitiones Baianas pugnat, quæ ſolum debitum naturæ proſcripſit,

ſcripſit, nec cum communiore ſententia theologorum catholicorum, quæ negat ſolum impoſſibilitatem abſolutam ſtatus naturæ puræ ex ſolis innatis Dei perfectionibus ortam (quamquam hæc ipſa ſolum ad ſcholæ ſententias pertinet) imo potius vi theſis meæ adverſa ſententia de quacunque impoſſibilitate abſoluta ſtatus naturæ puræ facillime omnium ſic refutatur. Quodſi enim Deus ſolo affectu benevolentiæ generali ad creandum fertur, quo videlicet ſummam reſpective beatitudinem creaturarum rationalium, cum ſumma reſpective gloria ſua hoc ipſo coniunctam, pro fine unice intendit; tunc profecto, quamprimum in ſtatu naturæ puræ futuram prævideret vel reſpective ſummam omnium, vel ſaltem ſummæ æqualem, eventuram beatitudinem (collato ſcilicet inter ſe numero beandorum & ipſius beatitudinis gradu ſeu excellentia, futuris in hoc & alio quovis ſtatu) poſſet haud dubie ſalva omni ſapientia, ſanctitate, bonitate, & iuſtitia, ſtatum naturæ puræ eligere præ ſtatu elevationis, quin aut iis iniuriam faceret, qui in ſtatu elevationis ad excellentiorem beatitudinem prævidebantur perventuri, aut etiam iis debitum quoddam ſubtraheret, qui in eodem ipſo ſtatu naturæ puræ præſciti fuerant reprobandi, ſalvandi vero in ſtatu elevationis: eo quod nihil ulli ſingillatim deberet, ſed unice maximum totius communitatis bonum affectu generali benevolo intenderet. Itaque nec omnino impoſſibilis ſecundum theſin præciſe meam erit ſtatus naturæ purus, & ſi tamen eſſet, ea impoſſibilitas mere contingens & hypothetica nulli in ſcholis (ne dicam in Eccleſia catholica) receptæ ſententiæ adverſaretur. Atque hæc altera reſponſio eſto.

Unde *ulterius* bene notandum, Deum, licet vi ſolius ſcientiæ neceſſariæ ſibique eſſentialis nulla habuerit motiva abſterrentia a quacunque beatitudine etiam reſpective ſumma poſſibili cuique rationali creaturæ volenda, ac proin neceſſario eam in abſtracto ſumtam appetierit ſincera benevolentia erga omnes, tamen nullam determinate voluiſſe;

eo quod nondum vi illius ſcientiæ neceſſariæ videret, qualem ex omnibus poſſibilibus ſalva ſua ſapientia, bonitate erga omnes per ſe æquali, ac demum etiam ſalva ſua iuſtitia, efficaciter præ alia velle poſſet: ſiquidem etiam per ſolam ſcientiam neceſſariam iam diſtincte prævidebat, fieri poſſe, ut a quavis poſſibili beatitudine in particulari efficaciter volenda plurimis motivis ſibi a ſcientia contingente proponendis abſterreretur; eo quod ob varium uſum & abuſum libertatis in tam diverſis creaturis rationalibus, & unius creaturæ rationalis cum beatitudine alterius variam connexionem, plurima eiusdem quoad ſingulas conſequendæ media in actu ſecundo effectu eſſent caritura, multarumque ſumma beatitudo non raro cum tanto plurium eoque maiore infelicitate foret coniungenda. Itaque inſuperhabita omni neceſſitate abſoluta innatæ ſibi iſtius voluntatis benevolæ antecedentis, per ſe ſolam adhuc prorſus *inefficacis* (ut mox oſtendam) in beatitudinem omnium ſummam ſolum ut mere poſſibilem tendentis nihilominus in eligenda quorumdam beatitudine in particulari voluntate efficaci prorſus libera Deus ferri poterat tunc, quamprimum pro quavis ſingulorum beatitudine in ſpecie motiva gravia tam abſterrentia, quam impellentia, ex parte ſcientiæ mediæ directæ contingentis ſeſe offerebant. Atqui talia Deo nunquam non ſuppetiiſſe, ſupra a §. 237. ſeqq. abunde oſtenſum eſt.

** *Ad* 3. *Reſp.*, hoc veriſſimum eſſe, nec ab ullo negari poſſe, a ſcientia media directa, quam Deus de reprobis in hoc mundi ſyſtemate comprehenſis habebat, tam parum ceu a motivo impellente motum fuiſſe ad hunc mundum libere creandum præ alio, quam parum reipſa ad creandum mundum alium, in quo creaturæ rationales ab huius mundi inquilinis diverſæ comprehendendæ fuiſſent, motus fuerit a ſcientia media directa, quæ illi de iſtis ſuppetebat; ſiquidem præſcientia de abuſu libertatis ab huius præſentis mundi reprobis faciendo, deque eorundem interitu, illi potius motivum abſterrens fuit, quo minus liben-

benter hunc crearet mundum. Unde finis, aut ratio, cur Deus hunc creare mundum præ aliis voluerit, haud dubie non fuit *affectus specialis* erga illas creaturas rationales, quas reprobandas in hoc mundi systemate prævidit, sed potius affectus specialis & complacentia, quam ex prævisa electorum in hoc mundo salute concepit. Ceterum propriam huius argumenti solutionem §. 391. reservatam invenies. Interim nihilominus etiam beneficia & media salutis æternæ, etiam reprobis futuris in hoc mundi systemate collata, effectus sunt amoris Dei benevoli antecedentis (quales effectus iis creaturis, quæ nunquam omnino existunt, nequaquam obtingunt) non quidem qui fertur in ipsos reprobos prævisos *speciatim*, sed eius, qui fertur in electos; quippe quorum intuitu ceu ex motivo impellente hunc mundum præ aliis, & cetera omnia, quæ in eodem eveniunt, creare & ordinare elegit, uti infra §. 399. ostendetur. Quo minus autem media illa, a voluntate libera Dei consequente ordinata, respectu reproborum prævisorum sint effectus benevolæ voluntatis Dei antecedentis determinate in ipsos directæ, ipsi reprobi in caussa sunt, impediendo scientiam mediam de bono usu suæ libertatis, quæ sola motivum & ratio possibilitatis esse posset respectu voluntatis in Deo consequentis etiam erga ipsos speciatim benevolæ. Nec tamen collatio mediorum etiam reprobis prævisis facta effectus est alicuius voluntatis erga illos malevolæ positivæ, sed mere permissivæ voluntatis consequentis, quæ antecedentem illam benevolentiam nequaquam tollit: id quod deinceps magis explicabitur.

§. 374.

Dei voluntas quæcunque (seu antecedens, seu consequens, §. 371.) dicitur *voluntas intrinsece efficax*, seu *per se formaliter efficax*, si ipsa per se formaliter sit ratio sufficiens completa, seu proxima, seu ultima, existentiæ obiecti a se voliti; *non intrinsece efficax voluntas Dei* econtra dicitur, si non formali-

maliter per se ipsam solam sit ratio sufficiens completa, nec proxima, uec ultima, existentiæ sui obiecti. Quodsi tamen etiam voluntas Dei non per se intrinsece efficax pro principio materiali existentiæ suæ, i. e. pro motivo, habeat scientiam aliquam divinam infallibilem de futura sua connexione extrinseca cum existentia obiecti a se voliti, vocatur *voluntas Dei infallibiliter efficax.*

§. 375.

Voluntas Dei antecedens, per quam Deus amore benevolentiæ perfectissimo vult omnium creaturarum rationalium summam ex æquo beatitudinem, cuiuscunque capaces sunt, non est voluntas intrinsece & per se formaliter efficax, 2. nec infallibiliter efficax, 3. nec salva sua perfectione absolute summa talis esse potest. Primum quidem patet tum ab experientia, qua constat, plurimos homines in vitæ præsentis statu in abusu libertatis maloque morali usque ad illius terminum perseverare, tum ex ratione evidenti, qua certum est, tales ad alterius vitæ beatitudinem a Deo admitti nequaquam posse (§. 208. seq.); tum demum etiam sequitur ex eo, quod, si Deus voluntate antecedente, sibi vi essentiæ insita instar attributi (§. 371.), cum absoluta efficacia vellet beatitudinem omnium; hæc eo ipso instar boni moralis libere acquisiti se non haberet, sed necessario & absolute instar boni physici extitura esset (§§. 373. II. 111.).

Alterum, quod nempe voluntas Dei antecedens se sola nec sit infallibiliter efficax, tum ex modo item dictis, tum exinde evidens est, quod, cum beatitudo instar boni moralis a Deo voluntate antecedente creaturis rationalibus volita liberi arbitrii bonique usus istius effectus, saltem ut caussæ moralis (§. 190.), esse debeat, nec liberæ voluntatis creatæ actus sub quovis actu primo proximo libero

bero possibili conditionate futuri per Scientiam simplicis intelligentiæ (quæ sola voluntati divinæ antecedenti prælucet §. 368.) prævideantur; quod, inquam, Dei voluntas illa antecedens ac summe benevola nullam scientiam infallibilem pro principio seu materiali seu efficiente habeat, quæ connexionem ipsius cum ipsa existentia beatitudinis ab omnibus creaturis rationalibus bono usu libertatis instar boni moralis acquirendæ, ceu obiecti ab ipsa politi, Deo prævie iam repræsentet.

Tertium ex eo sequitur, quod summa amoris Dei benevolentiæ perfectio salva esse nequeat, nisi creaturis rationalibus per se, & quantum in ipsa ratio sufficiens existentiæ eius inest, velit summam possibilem beatitudinem, quantæ capaces sunt, i.e. talem, quæ instar boni moralis ipsorum opera libera & recto usu libertatis acquisita fuerit (§. 373.). Atqui talem velle non potest ea intrinseca efficacia per se ipsam, ut patet ex capitis *primi* demonstratione modo data. Ergo &c.

§. 376.

Ut Deus voluntate, seu intrinsece, seu aliunde infallibiliter efficaci (§. 374.), *velit beatitudinem quarumcunque creaturarum rationalium in specie & individuo determinatam ab his tamen per modum boni moralis bono usu libertatis acquirendam, non sufficit sola prævisa eius absoluta possibilitas per Scientiam simplicis intelligentiæ; sed tali voluntati tanquam consequenti* (§. 371.) *prælucere debet Scientia media directa de actibus liberis moraliter bonis in quolibet actu primo proximo libero sub quovis possibili mundi systemate conditionate futuris, per quos creaturæ rationales in quovis tali systemate comprehensæ talem in specie ac individuo beatitudinem instar boni moralis essent acquisituri* (§. 190.). Cum enim Deus voluntate antecedente & per se velit creatu-

ris rationalibus beatitudinem non nisi per modum boni moralis bono usu libertatis propriæ acquirendam (§. 373. II.) ceu bonum maximum possibile, & cuius capaces sunt (§§. 373. 186.); ut hæc voluntas fiat efficax respectu alicuius beatitudinis in specie vel individuo, non sufficit, ut Deus per Scientiam simplicis intelligentiæ prævideat ipsius beatitudinis possibilitatem absolutam intrinsecam, nec ut videat scientia visionis absoluta necessaria (§. 286.) in sua essentia contentam eiusdem possibilitatem extrinsecam, i. e. vim agendi ad extra infinitam, qua talem beatitudinem creaturis rationalibus absolute ceu ratio illius existentiæ ultima adæquata ipse per se solum communicare possit; siquidem hoc modo illam beatitudinem videt se habituram mere instar boni physici, non autem instar boni moralis (§. 111.): sed requiritur, ut prævideat ipsos actus liberos moraliter bonos sub quovis actu primo proximo libero conditionate futuros, bonumque libertatis usum a creaturis rationalibus faciendum, per quos ceu per media moraliter sufficientia (§. 190.) eandem ab ipso ceu a caussa efficiente essent obtenturæ, in quovis possibili mundi systemate comprehensæ: id quod non videt nisi per Scientiam mediam directam (§. 288.). Itaque, ut Deus &c. &c.

§. 377.

Deus nihil agit ad extra nisi volens, & quidem absolute libere volens. Quidquid enim ad extra agit, contingenter & sine omni necessitate absoluta, simulque sciens agit (§§. 237. seqq. 354.): ergo hoc ipso etiam absolute libere volens; cum voluntas formaliter in se non sit nisi conatus, in Deo quidem, prævisum intuitum distinctum Scientiæ visionis absolutæ de mundi cuiusvis existentia (cuius videlicet possibilitatem per Scientiam tum simplicis intelli-

telligentiæ, tum mediæ, iam ut ſibi poſſibilem prævidit) actu efficiendi (§§. 237. 276. Pſych.).

§. 378.

Creatio mundi huius æque ac alterius cuiuscunque poſſibilis eſt effectus voluntatis divinæ conſequentis. Eſt enim effectus Dei ad extra, atque adeo hoc ipſo eſt effectus voluntatis Dei liberæ (§. præc.) & infallibiliter efficacis, volentisque determinate beatitudinem earum creaturarum rationalium ceu finem agendi ultimum, quæ in hoc mundi ſyſtemate per Scientiam mediam directam prævidentur bono libertatis uſu illam ab ipſo ceu a cauſſa efficiente obtenturæ (§§. 190. 108. 179.); quæ voluntas Dei, etſi per ſe ipſam formaliter reſpectu iſtius finis non ſit intrinſece efficax, utpote relinquens creaturis illis ſalvam libertatem, nec niſi mediis moraliter ſufficientibus finem illum ultimum, ſeu beatitudinem illarum, atque ipſum bonum libertatis uſum promovens ceu medium eiusdem item moraliter ſufficiens; eſt tamen infallibiliter efficax; eoquod pro principio materiali, ſeu motivo, habeat ipſam ſcientiam mediam directam de futura ſua connexione cum bono uſu libertatis, atque adeo cum ipſa inde ſecutura beatitudine earundem creaturarum rationalium (§§. 374. 190. 195. 197.): ergo hoc ipſo creatio illa eſt effectus voluntatis Dei, non antecedentis, quippe quæ nec libera eſt, nec efficax per ſe ſolam ad extra (§§. 379. 375.), ſed conſequentis.

§. 379.

Si quem Deus prævidiſſet mundum poſſibilem per Scientiam ſimplicis intelligentiæ ſimul & Scientiam mediam naturalem & directam, in quo omnes creaturæ rationales in talis mundi ſyſtemate comprehenſæ per bonum uſum libertatis æternam beatitudinem ſuiſſent obtenturæ;

iſtum

istum mundum Deus virtute ipsius voluntatis suæ antecedentis per voluntatem consequentem evidenter creasset. Vult enim Deus voluntate antecedente amore benevolentiæ perfectissimo omnibus creaturis rationalibus possibilibus ex æquo sine omni partialitate beatitudinem summam per modum boni moralis ab ipsismet obtinendam bono usu libertatis (§§. 372. 373.), & licet hic amor benevolentiæ antecedens per se solum formaliter non sit intrinsece efficax (§. 375.), est tamen secundum se infinite perfectus (§. 92.), atque adeo talis, ut ex parte ipsius nullius sit defectus in ratione principii efficientis; ac proin non nisi ex defectu boni usus libertatis creatæ, ceu necessarii comprincipii; huiusque prævisione conditionata per Scientiam mediam, ceu motivo absterrente (§. 236.), impediri potest eiusdem voluntatis efficacia tum in determinanda ipsa beatitudinis illius existentia, tum in eiusdem mediis, ipso nimirum mundo tali, creando (§. 95.). Quoniam ergo in dicta hypothesi nec ullus defectus esset ex parte libertatis creatæ seu creaturarum rationalium in talis mundi systemate comprehensarum, nec ulla adesset Scientia media directa, quæ se haberet instar motivi absterrentis: idcirco Deus virtute ipsius perfectissimæ illius benevolentiæ antecedentis per voluntatem tamen reipsa consequentem, utpote a Scientia media directa prælucente determinatam, talem mundum evidenter creasset (§. 371.).

* Si quem thesis istius assertio primo intuitu offendat, inprimis ad id reflectat animum, Deum nec libere quid seu facere, seu omittere velle sine omni motivo posse (§. 235.), nec vero etiam quid libere omittere posse sine motivo displicentiam in actione, seu quamdam mali rationem proponente. Atqui in tali mundo creando, de quali in huius paragraphi hypothesi est sermo, nulla mali

absterr-

abſterrens Deum ratio occurrit. Deinde illud quoque advertat, nullius heteroclitæ ſequelæ ex hac theſi fluentis periculum uſpiam ſe oſtendere, imo principium in ea theſi fœcundiſſimum latere non modo ingenitæ Deo bonitatis ſed & feriæ affectionis ex parte ſua in actu primo longe efficaciſſimæ, clariſſima cum luce explicandæ, & difficultates alias vix explicabiles declinandi; ut ex continuo dicendis elucefcet. Denique hanc theſin reipſa non modo conformem ſenſui communi naturæ, ſed nec SS. Patrum Eccleſiæ Chriſtianæ & Catholicæ ſenſis eſſe diſſentaneam, ex ſolis §. 395. not. infra dicendis plane manifeſtum eſt. Relege notam §. 235. & infra §. 550. Cor. VII.

** *Dices* vero 1. Vel poſſibilis eſt talis mundus, de quo §. præſ. dictum, vel non eſt poſſibilis. Si primum: ſecundum theſin iſtam actu produci a Deo debuit; quod falſum. Si alterum: ratio, cur ſit impoſſibilis, oſtendatur, oportet. *Reſp.* Non hic de poſſibilitate metaphyſica agitur, quæ eſt mera non repugnantia, ſeu immunitas a contradictione, nec de poſſibilitate phyſica, aut extrinſeca, vi cuius in aliquo mundo creaturæ rationales omnes potentiam proximam phyſice completam bene utendi libertate & beatitudinem inſtar boni moralis ita obtinendi habere poſſint; ſed unice de conditionata futuritione boni uſus libertatis ab omnibus conſtanter faciendi, quam Deus ſcientia media præviderit. Talem ſcientiam mediam de nullo omnino mundo poſſibili actu haberi a Deo a poſteriori conſtare aio; quia talem mundum Deus actu non creavit.

*** *Dices* porro 2. Deus habet infinita media obtinendi bonum uſum libertatis a qualibet creatura, & nulla eſt, quæ omnibus eſt reſtitura. Ergo etiam habet ſcientiam mediam de aliquo mundo, quod in eodem non niſi congruis auxiliis applicatis omnes eſſent bene uſuri libertate, ac proin omnes in eodem beandi. *Reſp. Tranſeat Antec.* (de cuius membro priore videatur §. 234. not. 1.)

nega

nego conseq. Ex eo enim, quod Deus nullam creaturam rationalem liberam prævideat omnibus suis auxiliis refragaturam, non sequitur, auxilia & casus, in quibus quamlibet singillatim consensuram seorsum prævidet, ita inter se mutuo componi & connecti posse, ut creaturæ id genus rationales iis præcise auxiliis instruendæ, & in iis præcise rerum adiunctis ponendæ, in quibus bene usuræ libertate prævidentur, unum aliquem mundum, ipsarumque tales actiones liberæ unam aliquam seriem successivam in eodem mundo conficere ita possent, ut unius actiones, tam naturales, quam liberæ, ab aliarum simul coexistentium eundemque mundum componentium actionibus, tum naturalibus ac necessariis, tum liberis, continuo nexu dependerent; prout in uno aliquo eodemque mundo est necessarium: siquidem Deus non ut particularis tantum, sed universalis, gubernator spectari debet.

**** *Dices* 3. Deus saltem posset illas solum creare rationales creaturas, quas prævidet bene usuras sua libertate, reliquas autem in nihilo relinquere. *Resp. Vel supponis,* tales creaturas liberas communi aliquo vitæ nexu in uno mundo aliquo esse inter se devinctas? & sic per not. 3. præc. nego, futurum esse, ut omnes bene libertate utantur; quia Deus attemperaturus auxilia sua Scientiæ mediæ de bono usu libertatis conditionate futuro ex parte unius, alias communi vitæ nexu cum illa devinctas cogetur in occasiones coniicere, in quibus prævidebit, istas libertate male abusuras. Neque enim verum est, Deum ita respectu omnium habere auxilia efficacia, ut in quovis casu, aut quemvis bonum usum libertatis a qualibet creatura rationali obtinere possit. Non enim id pertinet ad dominium Dei, uti ostendo §§. 641. 642. neque sequitur ex illo Prov. XXI. 1. *sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocunque voluerit inclinabit illud,* uti ex notis Theologorum Catholicorum sententiis constat. Vide Suarium Tom. I. de gratia. Proleg. I. C. V.

I. C. V. n. 9. & Ludov. Molinam. 1. p. q. 14. a 13. Disp. 21. *Vel supponis*, id genus creaturas rationales libertate bene usuras singulares & solitarias, nulloque communi vitæ nexu aliis coniunctas creari? & extra casum sumus inprimis, de quo hic sermo est; siquidem de mundo quodam integro sermo est. Deinde non videtur is modus agendi cum Dei sapientia convenire; eo quod Deus sie utens necessitate vaga, qua saltem in creatura per se mutabili moraliter impossibile est, ut sit vel immutabiliter bona, vel immutabiliter mala, necessitatem bene utendi libertate talibus rationalbus creaturis saltem quoad substantiam imponet, ac proin hoc ipso obsequium plene liberum ab eisdem, contra intentionis suæ propositum non obtinebit. Ex adverso ne vaga quidem ac moralis necessitas est, ut omnes in mundo aliquo simul iunctæ rationales creaturæ libertate bene utantur.

§. 380.

Quodsi ergo Deus voluntate consequente actu non condidit mundum, in quo omnes creaturæ rationales libertate bene utentes beatitudinem instar boni moralis consequentur; certum indicium a posteriori habetur, Deum nullum talem mundum in omnibus possibilibus prævidisse.

§. 381.

Deus voluntate consequente nihil velle facere ad extra potest, nisi quod consentiat cum eius voluntate antecedente, qua creaturis omnibus rationalibus per se optime vult. Deus enim nihil facere, nec adeo velle facere (§. 377.) ad extra potest, nisi quod ipsum decet, vel saltem nihil, quod ipsum dedeceat (§. 181.), i. e. quod cum ipsius perfectione essentiali aut attributis essentialibus non consentiat. Atqui voluntas Dei antecedens erga creaturas rationales omnes summe benevola ad Dei essentialia attributa pertinet (§§. 371. 373.): ergo Deus &c.

§. 382.

§. 382.

Vicissim Deus omne id vult voluntate consequente, cuius omissio, vel nolitio, pugnaret cum voluntate eiusdem antecedente. Deus enim omnia agit, atque adeo vult agere ad extra (§. 377.), quae non agere ipsum dedeceret, i. e. quorum omissio aut nolitio pugnaret cum eius perfectione essentiali (§. 181.), ad quam pertinet voluntas antecedens (§. praec.).

§. 383.

Non dedecebat Deum velle creare hunc mundum. Voluntas enim creandi hunc mundum pro fine ultimo habebat beatitudinem praevisam plurimarum creaturarum rationalium libertate bene utentium in hoc mundo, atque ita beatitudinem illam instar boni moralis actu consecuturarum. Abusum porro libertatis aliarum item a se praevisum cum malo morali & cum ipsa iactura beatitudinis ac aeterna infelicitate alterius vitae coniunctum nec Deus vult, nec mediis moraliter sufficientibus, quibus solis decet, impedire omittit (§§. 214. 217.). Nec vero voluntas Dei antecedens, quae beatitudinem omnium instar boni moralis vult, ullo modo pugnat cum eadem voluntate consequente; etsi haec necessario connectatur cum permissione mere physica infelicitatis aeternae aliarum creaturarum rationalium in eodem mundi systemate comprehensarum. Quod enim sua sponte ac libera malitia istae Dei beneficium, sibi pari benevolo affectu praeparatum, non recipiant, non ideo minus benevola est Dei voluntas consequens erga illas, quae actu futurae beatae sunt, nec malevola erga alteras, quae sua ipsorum praecise culpa sunt infelices futurae. Ergo voluntas illa consequens creandi hunc mundum (§. 378.) nequaquam pugnat cum antecedente Dei voluntate benevola, sed eidem potius consentit, atque adeo nec dedecebat Deum (§. 181.).

* Ser-

* Serviunt huc demonstrationes infra tradendæ §§. 707. 739.

§. 384.

Nec tamen dedecebat Deum nolle creare hunc ipsum mundum, nec ostendi potest, dedecuisse, ut vellet eius loco creare alium. Neque enim pugnasset cum benevolo Dei affectu omissio mera aut nolitio libera beatitudinis aliquarum creaturarum rationalium, quæ aliter, quam cum iactura & infelicitate positiva æterna longe plurium aliarum extitura non esse ab eo ante prævidebatur, huic ipsi præscientiæ ceu motivo innixa. Neque 2. ostendi potest, quod in alio quovis mundo possibili non plures creaturæ rationales, etsi forte non ad tantam, quanta illis in præsens obvenit, beatitudinem bono libertatis usu pervenissent; aut quod in alio adhuc tertio mundo possibili beatitudo omnibus per modum meri boni physici communicata solius Dei liberalitate, etsi minus fuisset bonum in singulis, tamen bonum illud morale, quod modo paucioribus adveniet, extensione numeri beatorum, & subtractione malorum reprobis in mundo præsente imminentium non compensasset. Qua in hypothesi voluntas creandi talem mundum æque ac voluntas creandi præsentem cum Dei voluntate antecedente consensisset; nec adeo dedeceret Deum, ut huius loco illum creare voluisset (§. 181.).

§. 385.

Voluntas creandi hunc vel alium quemcunque mundum in Deo non habet rationem sufficientem a se adæquate distinctam, sed ipsa est partialis ratio sui sufficientissima iuxta atque immediata. Neque enim talis ratio sufficiens adæquata suppetit ex parte ipsius obiecti (quam Ill. Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 118. vocat *obiectivam*); quippe quod est bonitas huius mundi in actu secundo tot ac tantis commixta malis (§.

 227).

227.), ut Deo licet fumme erga omnes creaturas rationales ex æquo benevolo vi infallibilis præfcientiæ fuæ conditionatæ faltem æque abfterrentia motiva atque impellentia fuppetant ad voluntatem confequentem de hoc creando mundo (§§. 236. 378.); ob quæ liberrimus ad creandum & non creandum maneat (§. 237.): neque fuppetit talis ratio fufficiens ex parte ipfius effentiæ & attributorum Dei volentis feu bonitatis divinæ, quam §. 108. not. 2. diximus effe rationem finalem feu ultimam omnis volitionis divinæ (quam idem Ill. Wolfius loc. cit. §. 336. vocat *fubiectivam rationem*): quippe quam ex æquo decebat volitio atque nolitio creandi hunc mundum (§§. 383. 384.). Cum ergo ex hoc ipfo capite, quod omni determinatione feu ratione fufficiente exiftentiæ prævia careat, liberrima fit volitio Dei creandi hunc mundum (§. 307. n. 2. Pfych.); more omnium volitionum vere liberarum fui ipfius partialis ratio ultima feu fufficientiffima eft (§. 329. not. Pfych.).

§. 386.

Voluntas Dei confequens & abfolute contingens eft ratio ultima faltem partialis abfolutæ exiftentiæ & non exiftentiæ omnium contingentium & finitarum rerum fecundum fe poffibilium & conditionate futurarum. Ratio enim huius abfolutæ exiftentiæ fufficientiffima & ultima adæquata nec ineft ipfis obiectis iftis fecundum fe tantum poffibilibus & conditionate futuris, utpote abfolute contingentibus; nec ineft in ipfa Dei effentia abfolute neceffaria, aut voluntate antecedente tanquam eius attributo (§§. 237. 372.): ergo in fola voluntate confequente & abfolute contingente (§§. 377. 378.).

* Haud dubie ineft etiam ex parte in ipfa effentia Dei, feu vi agendi ad extra infinita (quam infra Dei omnipotentiam appellabimus) rationis iftius ultimæ contin-

gentium

gentium pars aliqua; quæ tamen non nisi per liberam Dei voluntatem consequentem in actum secundum deducitur (§. 373. III.). Vide infra §§. 508. 509.

** Dixi quoque, voluntatem Dei consequentem liberam esse rationem partialem absolutæ tam existentiæ, quam non existentiæ respectu eorum, quæ possibilia simul & conditionate futura iam sunt secundum se. Quæ enim actiones liberæ creatæ, licet absolute possibiles, secundum se tamen iam non conditionate futuræ sunt sub certis actibus primis proximis liberis, eorum absolutæ non existentiæ ratio sufficiens iam est ipsa liberi arbitrii creati omissio.

§. 387.

Possibilitas tamen rerum etiam contingentium & finitarum intrinseca non dependet a voluntate Dei, neque antecedente, neque consequente, sicuti nec futuritio conditionata, seu obiectorum naturalium, seu actuum immediate liberorum creatorum. Possibilitas enim illa intrinseca rerum finitarum tum absolute necessaria est (§. 95. II. Ont.), tum secundum omnem suam rationem sufficientem formalem, seu cognoscibilitatem, a Deo ipso, atque adeo etiam a Dei voluntate quacunque distinguitur realiter (§. 290.). Futuritionis etiam conditionatæ, i. e. existentiæ sub conditione, ratio adæquata inest ipsis caussis creatis, liberis, vel non liberis (§§. 313. 316 319. 315.), atque adeo itidem a Deo & omni eius voluntate realiter distinguitur; nec ullam in Deo vel eius voluntate principii rationem habet, nec materialis, nec efficientis: ergo &c.

§. 388.

Omnis voluntas Dei, cui tanquam principio physico efficienti (§. 204. Ont.) seu adæquato, seu inadæquato, respondet realis & absoluta existentia obiecti a se voliti, vulgo appellatur *voluntas ef-*

fective efficax, seu *efficax absolute :* cui vero existentia absoluta obiecti voliti non respondet, *non effective efficax*, seu *non absolute efficax, voluntas* vocari solet.

§. 389.

Voluntas ergo Dei antecedens, quæ per se efficax absolute non est (§. 375.), *fit effective efficax respectu sui obiecti, nempe beatitudinis creaturarum rationalium, per voluntatem consequentem, ceu sui effectum liberum, qua Deus dependenter a Scientia media directa de bono usu libertatis a quam plurimis creaturis rationalibus in aliquo mundi systemate comprehensis faciendo, tanquam a motivo, reipsa talem mundum beatitudinis illius ceu finis ultimi caussa creare decernit.* Cum enim tali voluntati, reipsa consequenti (§. 371.) præluceat scientia illa media directa infallibilis de bono usu libertatis conditionate futuro in tali mundo, i. e. in actibus primis proximis liberis in eodem eventuris, atque adeo etiam de conditionate futura earum beatitudine; hoc ipso voluntas Dei exinde consequens, & executionem absolutam hypothesis illius scientiæ decernens, infallibiliter efficax futura est (§. 374.). Cumque eadem voluntas consequens tum ipsa effectus sit ex parte voluntatis benevolæ antecedentis, simulque principium efficiens ultimum saltem partiale obiecti utriusque, nempe ipsius beatitudinis præfatæ olim extituræ (§. 386.); idcirco omnes notæ voluntatis effective efficacis eidem competunt (§. præc.).

§. 390.

I. *Efficacia absoluta, seu effectiva, voluntatis Dei antecedentis generalis benevolæ respectu cuiuslibet creaturæ rationalis singillatim impediri potest a propria ipsiusmet libertate.* Oritur enim ex voluntate consequente, supponente pro suo principio materiali, seu ratione possibilitatis, scientiam mediam directam de conditionate futuro bono usu libertatis apud talem creatu-

creaturam rationalem ſingillatim in hoc determinato mundo. Atqui hæc ſcientia media directa poteſt logice & indirecte impediri a libertate eiusdem creaturæ rationalis (§. 350.): ergo & voluntas illa conſequens, atque ipſa efficacia voluntatis Dei antecedentis.

II. *Modus efficaciæ abſolutæ voluntatis Dei benevolæ antecedentis determinatus, videlicet vi cuius hæc vel illa creatura rationalis ad beatitudinem perveniret in hoc vel alio determinato mundo, etiam impediri poteſt a libertate creata aliena aliarum creaturarum rationalium una cum ipſa in eodem determinato mundi ſyſtemate comprehenſarum, & non ſolum a propria ipſius libertate ſingillatim.* Quodſi enim nimis multæ creaturæ rationales ex iis, quæ in tali determinato mundi ac rerum ordine comprehenderentur, beatitudine fruſtrandæ, vel remedia ſalutis uni cum fructu applicanda cum nimis multarum aliarum creaturarum rationalium diſpendio & interitu coniungenda prævideantur: præſcientia eiusmodi Deo ex æquo erga omnes per ſe benevolo motivi inſtar abſterrentis eſſe poteſt, ne talem modum ſalvandæ eiusmodi creaturæ rationalis ineat, atque adeo modus efficaciæ abſolutæ determinatus voluntatis Dei antecedentis benevolæ etiam impediri poteſt aliena libertate &c. &c.

§. 391.

Deus in qualibet hypotheſi voluntatis ſuæ conſequentis, libere eligentis unum mundum creare præ alio (§§. 373. III.), vi ipſius ſuæ voluntatis antecedentis generalis benevolæ (§. cit. I. & II.) *paratus eſt ad omnia media moraliter ſufficientia quibusvis ſingillatim creaturis rationalibus in tali mundi ſyſtemate comprehenſis actu largienda, quæ & ſalva generali erga omnes ex æquo benevolentia (i.e. ſine aliarum præiudicio) ſingulis largiri poteſt, & alioquin propter bonum uſum libertatis ex*

parte ipsarum effective efficacia in ordine ad earum beatitudinem promovendam futura prospicit. 2. *Ex adverso etiam vi voluntatis antecedentis benevolæ infinite perfectæ* (§. cit.) *non tenetur largiri talia media moraliter secundum se quidem sufficientia, ex quarum tamen applicatione uni rationali creaturæ etiam cum fructu facta multo plurium, quam secus fieret, æterna pernisies consecutura prævidetur; nec talia, quæ sine aliarum inde proficientium utilitate in talibus creaturis rationalibus singillatim ob libertatis abusum alioquin effectu caritura prævidentur.* Ratio *primæ partis* est; quia, si deficeret in Deo voluntas consequens largiendi media priore afferti istius capite memorata, defectus istiusmodi concipi in Deo salva infinitudine & perfectione amoris Dei benevoli consequentis haud omnino posset. Atqui etiam voluntas Dei benevola consequens, etsi liberrima prorsus absolute sit (§. 373. III.), tamen æque infinite perfecta esse debet atque antecedens, hoc ipso, quod cum ista perfecte consentiat (§§. 381. 382.). *Secundæ partis* ex adverso ratio est; quia ipsa æqualitas benevolæ voluntatis antecedentis, omnis partialitatis expers (§. 373. I.), non permittit, ut Deus voluntate consequente unius creaturæ rationalis salutem cum maiore aliarum damno certissime præviso appetat; neque etiam utcunque infinita eiusdem perfectio exigit, ut eandem per media, quæ certo tum respectu illius singillatim, tum respectu quarumvis aliarum, fore inutilia prævidentur, frustraneo conatu consectetur.

*** Habes ergo hic in Deo ostensam benevolam voluntatem etiam erga reprobos in hoc mundo prævisos, quæ respectu earum creaturarum rationalium nequaquam datur, quæ ceu in alio solum mundi systemate comprehensæ nunquam existentiam sortiuntur (vide §. 373. not. 3. in resp. ad 3.). Erga istas enim, sicut voluntatem consequentem has creandi libere omittit, ita nec in Deo talis affectio & volun-**

voluntas conditionata, porro locum habet, de qua in præsente §. sermo est. Porro hæc ipsa benevola voluntas etiam erga salutem reproborum non male *voluntas Dei benevola concomitans* appellari potest (prout in sensu non omnino absimili hac nomenclatione Vasquius noster usus est in I. S. Thomæ Disp. LXXXIII. c. 3. n. 20.) ita, ut *voluntas antecedens* dicatur, quæ scientiam mediam directam præcedit, *concomitans*, quæ illam immediate sequitur; *consequens* demum, quæ sequitur ipsam scientiam contingentem visionis absolutam, appelletur.

** *Si quæras:* quid addat ista voluntas concomitans benevola antecedenti §. 273. asserta; & an libera illa Deo sit. *Resp.* 1. esse tam liberam, quam libera est ipsa electio huius mundi præ aliis; ea tamen electione supposita esse vi ipsius voluntatis antecedentis necessariam necessitate consequente: 2. Superaddere voluntati antecedenti voluntatem conditionatam largiendi determinata media, quæ sine aliorum graviore præiudicio concedi possent, sub conditione tamen, si fructum ex respondente bono usu libertatis penes ipsos reprobos habitura præviderentur.

§. 392.

Voluntas, etiam non effective efficax (§. 388.), *seria & affective efficax*, recepta iam in scholis formula, vocatur, quæ in volendi facultate existit per modum actus, & quidem desiderii (non meræ complacentiæ), quo illa obiectum suum ut futurum appetat ea saltem efficacia, vi cuius parata sit ad media illius obtinendi sufficientia ea adhibenda, quæ & in ipsius potestate sunt, nec indecentia, nec aliunde inutilia fore, prævidentur; ita quidem, ut, si obiectum ita volitum non reipsa consequatur, ratio ultima non sit aliquis defectus ex parte illius voluntatis, sed præcise se teneat ex parte alterius necessariæ concaussæ, ab ipsa illa voluntate distinctæ, instar impedimenti.

§. 393.

Datur in Deo seria & affective efficax voluntas tam antecedens, quam concomitans, omnes homines in hoc præsente mundo a se creato comprehensos ad beatitudinem respective summam instar boni moralis bono libertatis usu a singulis acquirendam promovendi; etsi illa voluntas non respectu omnium sit effective seu absolute efficax. Vult enim istam omnium beatitudinem vero actu desiderii benevolo (§. 373.) idque ea efficacia respectu omnium & singulorum in hoc mundo existentium hominum, ut paratus sit ad media sufficientia singulis largienda, quæ in sua potestate sunt, nec æquam erga omnes benevolam suam voluntatem dedecent, nec alioquin inutilia fore ab ipsomet prævidentur (§. 391.), ita quidem, ut, si beatitudo omnium non reipsa consequatur, defectus non ex parte voluntatis ipsius sit, sed præcise ex parte libertatis creatæ abusuræ libero arbitrio, atque ita impedientis omnem scientiam mediam de effectiva efficacia voluntatis divinæ decernentis seu absolute seu conditionate (§. 391. not. 2.), collationem mediorum, quæ sine aliarum creaturarum rationalium graviore præiudicio conferri a Deo possent. Itaque datur in Deo &c. &c. Vide §. præc. & §. 391. not. 1.

* *Neque dicas*, haud seriam esse posse in Deo voluntatem eius obiecti, quod scit certissime, nunquam extiturum. *Nam* inprimis voluntati Dei antecedenti benevolæ (§. 373.) scientia media directa non prælucet; *deinde* etsi *spes* solum sit eius rei, quæ creditur saltem esse futura; tamen *desiderium* alicuius rei ut habere quis possit, sufficit, ut apprehendat eam per modum futuræ, & reipsa esse possibile cognoscat, ut reipsa futura sit.

§. 394.

Itaque ratio, cur ex iis adultis hominibus, qui Dei iuxta ac boni malique moralis sufficiente cognitione præditi,

diti, ſtatuta bonis præmia & malis ſupplicia vitæ alterius æterna (*ſ*. 206.) *ſatis perſpecta habent, tamen plurimi male vivendo beatitudine omnino excidant, non eſt ex parte Dei aliquis defectus benevoli amoris, ſed tum abuſus libertatis circa media moraliter ſufficientia ipſis a Deo in præſens oblata* (*ſ*. 197.), *tum prævifio ſcientiæ Dei mediæ directæ de futuro ſimili eorum libertatis abuſu circa quævis alia media moraliter ſufficientia, quæ Deus ipſis ſine aliorum in eodem mundo ſalvandorum graviore præiudicio præter iam in præſens conceſſa adhuc largiri & poſſet, & paratus eſſet* (§. 391.).

§. 395.

Ex eo, quod multi homines in infantia, aut poſt perpetuam amentiam, moriantur in hoc mundo, quin illis unquam immediate actu applicentur media ſufficientia beatitudinis æternæ per modum boni moralis per ſe ipſos acquirendæ, inferri neutiquam poteſt, Deum non item reſpectu ipſorum quoque ſeriam quoad ſe voluntatem habere, & affective efficacem, ut & ipſi ad æternam beatitudinem perveniant. Quod enim iſtis omnibus media prædicta immediate nunquam applicentur, ex eo non ſtatim inferri poteſt, omiſſæ id genus applicationis rationem ultimam ſufficientiſſimam eſſe defectum quemdam efficaciæ ex parte voluntatis Dei benevolæ, antecedentis, aut conſequentis; cum poſſit eſſe defectus ex parte ſcientiæ mediæ directæ (quæ natura prior eſt reſpectu omnis voluntatis divinæ liberæ conſequentis §§. 376. 377.) qua Deus prævideat conditionate futurum abuſum libertatis circa omnia media, quæ id genus hominibus ad rationis uſum promotis citra grave aliorum in eodem mundo ſalvandorum præiudicium conferri poſſent, atque adeo non niſi ipſam illorum poſitivam æternam perniciem ſecuturam, ſi actu illis ea media applicentur. Cuiusmodi defectus ex parte ſcientiæ mediæ ſe tenens cum nullo pacto a

Dei voluntate pendeat, ultima ratio omissæ applicationis mediorum sufficientium ipsismet immediate faciendæ in ordine ad bonum usum libertatis atque ipsam beatitudinem illorum promovendam nequaquam se tenebit ex parte voluntatis divinæ, seu antecedentis, seu consequentis; proindeque ex eo, quod multi homines &c. &c.

* Sufficit nempe ad seriam voluntatem finis, si Deus ex se vi huius voluntatis paratus sit ad media sufficientia actu conferenda, si ea efficacia futura prævideret: etsi ob defectum huius præscientiæ, imo ob certam præscientiam contrariam, eadem actu non conferat. Sicuti mercator actu serio vult servare merces in præsente naufragii periculo; etsi ob certam notitiam, quod iam omnia servandi eas remedia inutilia futura sint, nullum porro adhibeat, sed merces actu in mare proiiciat; quia videlicet serio nihilominus paratus esset quodvis adhibere medium, quod utile prævideret. Ita Suarius Lib. IV. de Prædest. c. IV. n. 8.

** Præterea supernaturalis christiana religio nos aliquid amplius docet, videlicet multis infantibus christiano ritu baptizatis ita applicari merita Jesu Christi Dei Hominis, ut eorum intuitu ad beatitudinem supernaturalem instar hæreditatis, seu boni meri physici, citra interveniens propriæ libertatis meritum perveniant. Est quoque communis catholicorum doctorum sententia, ordinari a Deo intuitu meritorum Jesu Christi peculiares gratias, parentibus, aut aliis infantum curatoribus, applicandas, queis istorum baptismus promoveretur, si iisdem ii, quibus applicantur, bene uterentur. Quæ tamen sententia cum difficilis admodum sit explicationis; non inutile fuerit ostendisse: etiamsi tales gratiæ reipsa non applicarentur, cum prævidentur fore inefficaces, fore, ut nihil omnino istud seriæ voluntati divinæ ad salutem omnes perducendi officeret.

*** Demum nota, id ipsum ex omnium catholicorum theologorum mente esse fidei christianæ obiectum, Deo nimi-

nimirum feriam ineſſe voluntatem, ut omnes in præſente mundo comprehenſi homines ſalvi, i. e. beatitudinis æternæ participes, fiant: & tamen iidem fatentur, non dogmaticam, ſed ſcholaſticam tantum eſſe quæſtionem; *an media ſufficientia univerſis actu applicentur.* Vide Tournelyum de gratia Edit. Colon. pag. 502. & Edit. Venet. pag. 634. Cardinalem Gotti de Reprob. q. 1. dub. 3. atque etiam Suarium Tract. de div. prædeſt. L. IV. c. III. n. 13. & 14. Poteſt ergo Deus ex omnium ſententia, qui negativam tenent in quæſtione ſcholaſtica, habere vere feriam voluntatem, antecedentem videlicet, qua velit ſalutem aliquorum: etſi, ob præſcientiam de efficacia mediorum abſoluta aliunde, ipſo nempe abuſu libertatis creatæ, impedienda, omittat media alioquin futura inutilia reipſa eisdem applicare: nec ullo modo apparet *magis feria* voluntas ex eo, quod media actu applicet iis, quos certo præſcit, non modo eis non uſuros, ſed ob poſitivum illorum abuſum poſitiva infelicitate æterna puniendos; quam ſi ob ſimilem præſcientiam prorſus eadem media aliis applicare omittat, ut eorum abuſum, & huius abuſus noxias ſequelas, præveniat, impediatve. Vide iſtud ipſum a Vasquio noſtro aſſertum in I. S. Thomæ Diſp. LXXXIII. c. V. n. 33. Et vero, cum tam multi ex catholicis quoque doctoribus ſint, qui negent, vel de parvulis ſine baptismo decedentibus (vide noſtrum Vasquium in I. S. Thomæ Diſp. XCVI. cap. 2.) vel etiam de adultis (vide eundem Vasquium ibid. Diſp. XCVII. cap. 2. & Laurentium Berti de Theol. Diſcipl. Lib. XVII. cap. IV. n. 3.) quod illis omnibus ſingillatim in actu ſecundo media ſalutis ſufficientia, & quidem adultis omnibus toto vitæ tempore, applicentur; ſimul tamen ſide divina certum quoad ſe ab omnibus iisdem doctoribus ſine diſſenſu & diſcrimine habeatur, tum quod Deus omnes ad unum homines ſalvos vere & feria voluntate velit, tum quod Chriſtus feria item voluntate pro ſalute omnium ſit mortuus: cum, inquam, hæc ita ſint; enimvero oportet omnino, ut oſtendamus dilucide, feriam

pro-

prorſus & affective vere efficacem Dei voluntatem antecedentem eſſe poſſe, ut beatitudinem omnes conſequantur nullo prorſus excepto, & quidem ſic, ut hæc voluntas ad omne tempus vitæ hominum ſe extendat, cum promtitudine ex parte Dei conferendi media actu, ſi hæc efficacia fore præviderentur, etſi ob defectum ipſum huius præſcientiæ (non niſi ab arbitrio libero creato ſupplendum) non omnibus univerſe media eiusdem conſequendæ actu applicentur. Hoc enim capitali & graviſſimi momenti dogmate ſemel diſtincte aſſerto, & aſſecurato, nihil iam noxæ afferret, quidquid doctores ſcholaſtici de altera illa quæſtione mere ſcholaſtica ſentiant, i. e. ſeu admittant, ſeu negent, omnibus univerſe & ſingillatim ſufficientia ſalutis media actu applicari, & adultis quidem utcunque in malo obſtinatis omni tempore usque ad vitæ finem: quas inter duas ſententias affirmans utique communior & graviſſimis innixa fundamentis eſt; cuius tamen omnia principia & corollaria evolvere non ad naturalem, ſed ſupernaturalem theologiam, ſpectat. Porro illam catholici dogmatis aſſecurationem eo ipſo fecimus, cum dilucide modo oſtendebamus, rationem ultimam, ſeu primam, tam cur beatitudo non actu omnibus obveniat, quam cur nec media ſufficientia (ſaltem proxima) ad eam conſequendam omnibus applicentur, non ineſſe in Dei voluntate, ſeu antecedente, ſeu conſequente; atque adeo, etſi Deus illorum reſpectu actu voluntate conſequente & effective efficaci careat, qua beatitudinem, aut forte etiam illius conſequendæ ſufficientia media, illis actu conferre velit, non tamen Deum idcirco etiam reſpectu illorum carere voluntate antecedente ſeria & vere affectiva. Imo ne dici quidem poteſt (ut reipſa non nulli dixere, ab omnibus aliis catholicis doctoribus communi iudicio erroris poſtulati) Deum ſolum eiusmodi hominum ſalutem velle *voluntate ſigni*, ut loquuntur, aut ſimplici *amore complacentiæ*, nequaquam autem vero affectu *benevolentiæ*, id eſt, ſerio & ſincero deſiderio (§§. 244. 255. 256. Pſychol.): ſiquidem, ut

ut ex omnibus dictis inde a §. 393. patet, & maxime ex §. 379., Dei voluntas antecedens ex natura sua tam prona est ad efficaciam suam etiam effective exerendam, ut *primo* illius ipsius virtute, nisi aliunde defectus & impedimentum interveniret, beatitudo omnium hominum actu & reipsa consequeretur; *deinde* ut nihil ipse voluntate etiam consequente positiva ante praevisionem absolutam perseverantiae finalis in malo morali circa reprobos usquam decernat, ex quo per se illorum interitus consequatur. Unde nulla datur in Deo complacentia in voluntate permittente interitum, quae opponatur complacentiae de salute eorundem, & serium istius affectum seu desiderium hebetet.

§. 396.

I. *Deus ergo voluntate, quae omnem scientiam mediam antecedit, & ipsi instar attributi vi essentiae inest* (§. 372.), *aeque benevolus est erga omnes creaturas rationales in eodem hoc mundo comprehensas, & ab ipso creatas.* Hac enim voluntate omnibus ex aequo vult summam beatitudinem, cuius absolute capaces sunt (§. 373.) & quidem ita serio, ut effectiva huius voluntatis non nisi defectu aliquo Deo non voluntario, nempe defectu convenientis scientiae mediae, impediri possit, & actu impediatur (§. 393.).

§. 397.

II. *Respectu earum creaturarum rationalium, quae sub hypothesi generali systematis huius mundi per scientiam mediam a Deo praesciebantur beatitudinem bono usu libertatis actu consecuturae, haec scientia media erat Deo motivum impellens, ut tum hunc mundum universe crearet cum complacentia, desiderio, & gaudio, tum illas creaturas rationales actu sub illa hypothesi mediorum sufficientium, in qua salvandas illas praevidebat, cum simili complacentia, desiderio, & gaudio de praescientia futuri illorum boni, & consequendi a se finis per amorem benevolentiae antecedentem serio intenti, poneret* (§. 242. 244. Psych.).

III. *Ex*

III. *Ex adverso respectu illarum creaturarum rationalium, quæ sub hypothesi generali systematis huius mundi creandi per scientiam mediam a Deo præsciebantur beatitudine frustrandæ, hæc scientia media erat motivum absterrens, cuius caussa tum hunc mundum universe crearet cum aliquo odio displicentiæ, & fugæ, tum illas creaturas rationales actu sub illa hypothesi mediorum illis in hoc mundo obventurorum cum simili odio displicentiæ & fugæ poneret, in qua frustrandas eas beatitudine *iam præsciebat.*

* **Inferius suo loco ostendemus distinctius, quomodo isti affectus in Deo ab omni imperfectione purgati locum habere queant.**

§. 398.

IV. *Motivum vero, cur Deus, prælucente suæ voluntati liberæ consequenti* (§§. 377. 378.) *tota universe scientia media* (§. 334.), *hunc mundum præ alio possibili, atque creaturas rationales in isto beandas libere elegerit præ beandis in alio, fuit ipsa tum magnitudo beatitudinis, tum numerus beandarum prævisus in isto maior quam in alio possibili mundo; ubi vero hæc æqualia in duobus mundis futura prævisa fuere, sola libera Dei voluntas ratio ultima electionis fuit.* Etiamsi enim Deus vi totius suæ scientiæ simplicis intelligentiæ atque scientiæ mediæ in nullo ex omnibus mundis possibilibus prævisis viderit tantam bonitatem simpliciter, sicque a malorum commixtione liberam, aut tantum excessum bonitatis in uno præ omnibus aliis possibilibus mundis, ut vel aliquem simpliciter, vel unum in individuo præ aliis omnibus necessitate antecedente creare deberet (§§. 237. seqq.): nihilominus nullum velle creare sine motivo omni omnino (§. 235.), nec nisi ex motivo benevolentiæ, & quidem perfectissimæ, erga creaturas rationales (§§. 92. 88. 89. item §. 242. I.), reipsa potuit. Quatenus ergo aliquem, & quidem hunc in

in individuo mundum, creare libere elegit, rationis quidem ultimæ complementum haud dubie in ipsa libera Dei voluntate consequente inest (§. 386.); nihilominus hæc voluntas Dei libere eligens motivo summæ benevolentiæ voluntatis antecedentis conformi & consentiente niti debuit (§§. 372. 381. 382.). Atqui supposita prævisione scientiæ mediæ de excessu bonitatis unius mundi supra alium, i. e. de maiore numero beatorum, & maiore beatitudine, in uno quam in alio mundo eventuris, motivum eligendi unum præ altero nullum aliud consentiens erat cum illa summa benevolentia voluntatis antecedentis, quam ipse excessus numeri beatorum, & ipsius beatitudinis illorum, in uno potius quam in alio mundo prævisus: ergo hoc motivo, ubi id quidem & quatenus suppetebat, niti voluntatis divinæ consequentis electio debuit, ubi vero non suppetebat, ipsa sola Dei voluntas motivi æqualitatem electione libera supplere ac determinare pro arbitrio debuit.

* Si Ill. Wolfius admissa vera creaturarum rationalium libertate probasset, *aut* beatitudinem aliquarum solum per modum boni moralis in hoc mundo iunctim cum longe plurimarum æterna pernitie eventuram absolute præstare beatitudini per modum boni mere physici (subtracto omni prævio usu libertatis & merendi occasione) omnibus ad unam creaturis rationalibus conferendæ in mundo alio; *aut* nullum a Deo prævisum esse mundum alium, in quo æque multæ creaturæ rationales ad æque magnam beatitudinem mediante bono usu libertatis, & quidem cum proportione eadem ad numerum & magnitudinem iacturæ ac infelicitatis reprobandarum, perventuræ essent; tunc enim vero non puto fore, ut negari posset, Deum, *si aliquem* ex omnibus tam imperfectis, & grandia semper mala sibi coniuncta habentibus, mundis *libere creare voluit*, vi suæ antecedentis voluntatis summe benevolæ, sibique essentialis, hunc mundum

dum in individuo creare debuisse. Quo casu voluntas aliquem mundum creandi simpliciter Deo quidem fuisset libera; at posito, quod creare *aliquem* libere voluisset, liberum non fuisset ei huius loco alium eligere. At nihil horum probavit Ill. Wolfius, nec vero ab ullo alio probari potest; semperque certum manet, hunc mundum a Deo creari neutiquam necessitate ulla antecedente debuisse; uti §§. 237. seqq. ostensum est.

§. 399.

Deus speciali voluntatis suæ benevolentia, scientiam mediam immediate consequente, in ipso creationis huius mundi decreto ferebatur in electos, seu beatitudinem in hoc mundo actu consecuturos. Etenim prævisa istorum per scientiam mediam beatitudo, per modum boni moralis conditionate futura, & ab eis bono libertatis usu consequenda in hoc mundo, motivum impellens fuit voluntatis Dei liberæ, Dei scientiam mediam consequentis (§§. 334. 378.), de hoc mundo creando præ aliis (§. 397. II.); qua voluntate ex complacentia, & desiderio eiusdem beatitudinis illorum prævisæ, & ex gaudio de ipsa prævisione ista libere concepto, decernebat creare hunc mundum, i. e. qua actu conabatur conferre illis ac præparare media illius beatitudinis in hoc mundo eisdem obventura, ac per hæc efficere prævisam hanc illorum beatitudinem (§§. 228. 229. 244. Psych.), & qua simul ipsam eorundem hanc prævisam beatitudinem ceu finem ultimum (§§. 94. 108.) præferebat beatitudini aliarum creaturarum rationalium in alio possibili mundo prævisæ, quæ in tali mundo possibili item finis ultimi rationem habere posset. Ex adverso cum similis scientia media & prævisio conditionate in hoc mundo futuræ beatitudinis deesset in Deo respectu eorum, qui in hoc ipso mundo potius prævidebantur æternum perituri; ob defectum motivi istius impellentis non modo isto-

istorum respectu locum in Deo non habuit in eius voluntate consequente (qua actu decernebat hunc mundum creare) complacentia de praevisa beatitudine istorum, nec adeo desiderium ad eandem *voluntatem consequentem pertinens* (h. e. conatus voluntatis Dei consequentis) praevisam beatitudinem per actu praeparata eius media, in hoc mundo illis obventura, efficiendi, atque praevisam istam beatitudinem ceu finem ultimum praeferendi alteri beatitudini rationalium creaturarum in alio possibili mundo praevisae; sed insuper ex parte voluntatis Dei creantis hunc mundum consequenter ad scientiam mediam de illorum aeterna pernicie in hoc mundo conditionate futura, tanquam ob motivum absterrens (§. 397. III.), & voluntati antecedenti benevolae contrarium (§. 381.), dabatur odium displicentiae & fugae, ipsi huic voluntati de hoc mundo creando commixtum, & mera voluntaria permissio infelicitatis eorundem praevisae, i. e. negatio voluntatis de ommittenda propterea huius mundi creatione, nec de impeditione physica eiusdem infelicitatis (§§. 211. 212.). Itaque Deus speciali &c. &c.

§. 400.

Specialis benevolentia divinae voluntatis, qua Deus in decreto creationis huius mundi in electos eiusdem ferebatur (§. praec.), *natura prior erat scientia visionis absoluta de absolute futura eorundem beatitudine.* Concipiebatur enim illa specialis benevolentia a Deo libere in ipso decreto creationis, quo existentiam huius mundi, atque adeo ipsorum electorum sub omnibus actibus primis proximis liberis in hoc mundo ipsis obventuris, decernebat (§. praec.). Atqui hoc ipsum decretum est partialis ratio obiectiva scientiae visionis absolutae, qua Deus & existentiam absolutam & post hanc etiam secuturum absolute eo-

eorundem bonum usum libertatis, atque consecuturam ex isto absolute aeternam illorum beatitudinem videt (§§. 299. seq. 190.), atque adeo, ceu ratio possibilitatis Scientiae huius absolutae (§§. 344. II. 346.), natura prior est ipsa scientia hac visionis absoluta (§§. 201. 242. Ont.). Ergo & illa specialis Dei benevolentia erga electos natura prior est ipsa Dei scientia visionis absoluta de absolute futura illorum beatitudine.

§. 401.

I. *Specialis Dei benevolentia erga electos in hoc mundo impediri ab eisdem actu logice posset abusu libertatis in sensu diviso* (§. 438. n. 2. Log.); quatenus nempe actu in sensu diviso impedire physice possent obiectum Scientiae mediae directae de suo bono usu libertatis, atque ita logice impedire scientiam ipsam istam mediam (§. 350.), proindeque ipsam quoque illam specialem Dei erga se benevolentiam, quae tali scientiae mediae directae ceu motivo impellenti (§§. 397. II. 399.), i. e. ceu rationi possibilitatis suae (§§. 230. 231. Psych.), innititur.

II. *Eadem specialis Dei benevolentia erga electos in hoc mundo non est absolute antecedens voluntas, sed determinatis actibus Scientiae mediae, ceu conditioni, alligata, quibus non existentibus in Deo nec ipsa existeret.* Vide §. 371. & Coroll. I. huius paragraphi.

* Unde & haec specialis Dei erga huius mundi electos non male *voluntas Dei benevola concomitans specialis* appellaretur in sensu, qui §. 301. not. 1. huic nomenclationi affigebatur.

§. 402.

Voluntas Dei consequens, per quam voluntas Dei antecedens generalis benevola, ac per se ipsam solam non efficax effective (§. 375.), *fit effective infallibiliter efficax* (§. 389.), *tamen nec ipsa est per se ipsam formaliter*

ter

ter intrinſece efficax, ſed ſolum efficax infallibiliter (*§.* 374.). Voluntas enim illa conſequens conſiſtit in ſpeciali illa Dei benevolentia, qua Deus ex motivo Scientiæ mediæ de bono uſu libertatis, ab electis iſtius mundi in hoc ipſo iſtius mundi ſyſtemate faciendo, decernit hunc ipſum mundum creare, & in eodem illis media mere moraliter ſufficientia (non autem ſufficientia phyſice §§. 195. ſeqq.) ad illum bonum uſum libertatis & conſecuturam ex eo ipſam beatitudinem illorum promovendam actu conferre (§§. 389. 397. II. 399.). Atqui talis voluntas, decernens media mere moraliter ſufficientia, non eſt magis intrinſece & per ſe ipſam formaliter efficax reſpectu finis, ad quem media iſta ordinat, i. e. reſpectu boni uſus libertatis ab electis faciendæ, & conſequendæ exinde ab eidem ipſius beatitudinis æternæ, quam ſint intrinſece & per ſe ipſa formaliter efficacia ipſa illa media reſpectu eiusdem finis. Porro media tantum moraliter ſufficientia non ſunt intrinſece ac per ſe ſola neceſſitate antecedente efficacia (§§. 187. 374.): ergo nec voluntas illa Dei hæc media decernens: *quod erat primum.* Eſt illa ipſa voluntas tamen infallibiliter efficax reſpectu finis ſui utriusque; quia pro motivo, atque adeo pro principio exiſtentiæ ſuæ materiali, habet ſcientiam mediam infallibilem de bono uſu libertatis illis mediis actu ab electis in hoc mundi ſyſtemate coniungendo (§§. 374. 397. II. 399.) *quod erat alterum.*

* Itaque ex parte actus primi liberi, quotiescunque ſecuturus inde eſt bonus uſus libertatis, iam datur *infallibilitas efficaciæ voluntatis divinæ;* etſi non detur *efficacia intrinſeca.*

ARTICULUS II.

DE VOLUNTATE DEI POSITIVA, & NEGATIVA, SEU PERMITTENTE.

§. 403.

Voluntas divina respectu eorum, quæ actu aliquando existentiam in hoc mundo sortiuntur, non se eodem plane modo, i. e. non eandem rationem principii existentiæ eorundem, habet. Aliqua nimirum eorum existere Deus ipse vult, & hac ipsa positiva sua libera voluntate est eorundem existentiæ principium efficiens liberum (§. 197. Ont.) sive *auctor*; & hæc *Dei voluntas* vocatur *positiva*. Aliqua econtra existere ipse Deus non vult positive, nec ipse voluntate sua libera ullo pacto est eorum existentiæ principium efficiens liberum; sed solum eorum existentiæ determinationem, quam aliunde citra suam voluntatem positivam liberam, imo etiam contra suam voluntatem antecedentem, futuram prævidet, libere non vult impedire; & hæc vocatur *voluntas Dei negativa*, seu *permittens* (§.211.). Utraque simul vulgo *voluntas beneplaciti* appellatur.

* Sic iam supra §§. 118. 119. ostensum est, mala physica non esse a Deo, nec ab eius voluntate, ceu a principio efficiente, atque adeo solum a voluntate Dei negativa permittuntur. Ex adverso bona physica Deus haud dubie positive vult, estque hac sua *voluntate* & vi ipsius decreti creationis illorum auctor & principium efficiens saltem *remotum*, simulque *potentia* sua immediate ad actiones omnium creaturarum concurrente etiam est principium eorundem *proximum*.

§. 404.

Voluntas Dei etiam positiva (§. præc.) in ratione principii liberi existentiæ se adhuc alio atque alio modo habet respectu eorum, quæ in hæc mundo ab ipsa ceu a principio existentiam sortiuntur. Alio-

Aliorum enim exiſtentiæ eſt principium & cauſſa efficiens ultima, eaque adæquata, nunc quidem ita, ut ſimul ſit cauſſa proxima, uti reſpectu exiſtentiæ ſubſtantiarum finitarum; alias ſic, ut ſolum ſit cauſſa remota, uti reſpectu eventuum bonorum naturalium (§. 276.); & hæc vocatur *Dei voluntas poſitiva intrinſece ac formaliter efficax* (§. 374), ſeu *operatrix.* Aliorum exiſtentiæ voluntas Dei poſitiva quidem eſt principium & cauſſa efficiens ultima, ſed non adæquate ſufficiens; ut ſunt actus liberi moraliter boni, ad quos Deus creaturas rationales non quidem mediis phyſice ſufficientibus, attamen ſufficientibus moraliter, potenter impellit, ſalva ſemper ſic libertate, ut ipſa libera voluntas creata, bonum eligens, & fugiens malum, ſit ſimul partialis ratio ſui ipſius ultima (§§. 195. ſeq. & §. 329. not. Pſychol.); & hæc *Dei voluntas poſitiva non intrinſece efficax*, ſeu *voluntas Dei actiones liberas creatas moraliter bonas diſponens, ſeu dirigens*, appellari ſolet, eſtque illa ipſa, de qua §. 402. diximus.

§. 405.

Tam voluntas Dei operatrix, quam voluntas Dei actus liberos creatos moraliter bonos diſponens (§. præc.) *obiecta ſua vult ſub ordine ad finem creationis ultimum, i. e. ut media ad ſuam gloriam & beatitudinem rationalium creaturarum* (§. 108.), *nec aliter ea vult niſi ſub iſto ordine, h. e. niſi prout aptitudinem ad hunc finem habent.* Patet ex §§. 94. 95. 160. 377. hic & §. 313. Ont.

§. 406.

Porro in actibus liberis creatis uti diverſæ ſpecies & veluti gradus bonitatis moralis, ſeu moralitatis (§. 172. n. 5.), ineſſe poſſunt, ita nec eodem modo ad illas Dei voluntas in ratione principii ſe habet: *Primus & infimus gradus bonitatis moralis in actu libero creato* eſt, cum voluntas creata libere

 quid

quid vult ob ſolam cognitam eius bonitatem obiectivam naturalem abſolutam, ſic, ut in hac ceu motivo ultimo iſtius ſui actus acquieſcat (§. 267. Ont.), nec obiectum volitum ſeu per eundem, ſeu per alium coniunctum voluntatis actum, ſub motivo bonitatis Theologicæ eidem propriæ proſequatur (§. 172. n. 1. & 3.).

* Primus iſte gradus bonitatis moralis ineſt omnibus illis actibus liberis, quibus merum naturæ noſtræ bonum ſecundum regulas prudentiæ mere naturalis per congrua media quærimus, & eiusdem malis per apta remedia cavemus, ſine ulla quidem immoderatione, attamen quin idem bonum ſeu conſideremus ut Dei beneficium, ſeu referamus ad creationis finem ultimum, nempe ad Dei cognitionem & amorem in nobis exaugendum. Ex quo ſit, ut licet bonum tale volitum ſecundum ſe & beneficium Dei reipſa ſit, & aptitudinem ad creationis finem ultimum, i. e. ad Dei cognitionem & amorem in nobis exaugendum, habeat, atque adeo bonitate etiam Theologica ſaltem materiali reipſa polleat, tamen non ſub iſta ratione boni Theologica, ſed ſub mera ratione boni naturæ & ſub ea aptitudine appetatur, ſub qua ad *felicitatem* qualemcunque imperfectam & inferioris multo ordinis (§. 177.) conducit, quam ſit illa, quæ inſtar veræ beatitudinis (§. 84.) finis ultimi creationis rationem habet (§. 94.). Tales actus ſunt comedere, ambulare, ſtudiis ſcientiarum vacare, aliisque artibus ingenuis, ſine immoderatione, ſolius voluptatis cauſſa, vel quæ ex eſu cibi, ambulatione, vel quæ ex intuitu propriæ perfectionis ex artium ſtudio acquiſitæ, perſentiſci ſolet: quin iſta omnia ſub ratione medii ad veram beatitudinem, i. e. ad Dei cognitionem ac amorem in nobis promovendum, apti aut attendantur, aut ſub eiusmodi conſideratione appetantur.

** Ceterum hæc non extemporanea affectatione, ſed certo ordine ac loco proprio, veraque neceſſitate a me

tractari

tractari, mox patebit ex usu, quem in evolvendis diversis divinæ voluntatis speciebus circa dispositionem actuum nostrorum liberorum de his principiis ceu definitionum sequentium fundamentis, facere oportebit.

§. 407.

Alter & superior gradus bonitatis moralis in actu libero creato est, cum voluntas creata libere quid vult ob talis obiecti bonitatem Theologicam metaphysicam probe prius ac certo cognitam, sive dein amplectatur ipsam immediate perfectionem aliquam formalem Dei, hanc amando & honorando formali honore directo, seu quidquam boni creati ob consensionem cum perfectione Dei (§.172. n.3.), sic, ut in hac ceu motivo ac fine ultimo actionis suæ acquiescendo Deum honoret saltem indirecte (§. 171.).

* Ad istum moralis bonitatis gradum facile quidem reflexione aliqua & industria elevari per se actus nostri in priore illo gradu (§. præc.) moraliter boni possent; modo ad consensionem cum Dei perfectione (qua reipsa iam gaudent, quoties nulla extranea inordinatione, aut immoderatione, pervertentur) i. e. ad materialem eorum bonitatem Theologicam saltem remotam (§. 172. n. 3. not.) mentis nostræ reflexio se porrigeret. At nempe mentis nostræ ea aut fluxa inadvertentia, aut desidia est, ut plerumque ad solum naturæ bonum & malum attenta, actiones tales a Deum referre non soleat.

** Porro ex his facile intelliges, *duplicem quoque malitiæ moralis gradum prædicto gemino gradui bonitatis moralis respondere*, *primum* nempe in sola malitia naturali, *alterum* in Theologica, consistentem; prout nempe vel pugna solum obiecti voliti (aut omissionis) cum bono naturæ, vel cum ipsa quoque Dei perfectione, ab agente libero cognoscetur: cui *tertium* insuper eumque summum ex cognitione ipsius legis divinæ præcipientis, vel prohibentis, accedere, infra §. 732. demum ostendemus.

§. 408.

Soli actus liberi creati in secundo gradu moraliter boni (§. præc.) *aptitudinem positivam proximi & immediati medii habent ad finem ultimum creationis, non item actus liberi creati moraliter boni solum in primo gradu* (§. 406.). Soli enim illi, non item isti, cognitionem Dei & amorem seu honorem saltem indirectum important (§. 173.), atque adeo ad promovendam Dei gloriam nostramque beatitudinem immediate apti sunt, quæ utraque in perfecta Dei cognitione & amore consistit (§. 103.), simulque per bonum usum libertatis ex Dei voluntate acquiri debet (§. 190.).

§. 409.

Soli actus liberi creati in secundo gradu, i. e. Theologice formaliter, mali (§. 407. not.), *non item in primo tantum gradu, seu mere naturaliter mali, proximi & positivi impedimenti rationem habent respectu finis ultimi ob suam cum isto positivam pugnam & oppositionem.* Soli enim priores illi, non item posteriores, contemtum Dei saltem indirectum & practicum natura sua important (§. 174), atque adeo positive fini ultimo, i. e. Dei gloriæ nostræque beatitudini, quæ in cognitione Dei amoreque eximio consistit, positive opponuntur ob libertatis abusum fini illi iuxta ac voluntati divinæ prorsus contrarium (§. 190.).

§. 410.

Quoniam Deus mediis moraliter sufficientibus, id est, motivis sufficienter impellentibus & absterrentibus, bonum usum aliquem libertatis promovere, & aliquem abusum impedire, omnino debet (§§. 191. 197.), & quidem, cum alia sufficientia nulla sint, ipsa beatitudinis æternæ ad bonum talem libertatis usum affixione, & econtra iacturæ illius atque etiam positivæ æternæ infelici-

tatis

tatis intentatione adversus libertatis abusum (§§. 203. 206. seqq.): idcirco

I. *Actus liberos creatos Theologice formaliter bonos, i. e. bonos in secundo gradu (§. 407.), saltem aliquando Deus ita positiva voluntate velle debet, ut illos tum proposita æterna beatitudine in præmium, tum in pœnam omissionis illorum intentata positiva æterna infelicitate, promoveat, tunc nimirum, cum sine contemtu Dei saltem indirecto eoque gravi omitti non possunt.* Quodsi enim aliquem usum bonum libertatis finis ultimi caussa talibus mediis promovere Deus debet, certe illum sic promovere tenebitur, cuius solius omissio proxime cum illo fine pugnat, eidemque recta opponitur.

II. *Contra actus liberos creatos Theologice formaliter, seu in secundo gradu moraliter* (§. 407. not. 2.), *malos, ceu semper cum fine creationis ultimo proxime pugnantes, eidemque recta oppositos* (§. 409.), *saltem quoties ob gravem, quem important Dei contemtum* (§. 176.), *ei etiam graviter opponuntur, Deus nunquam non ita positiva voluntate nolle, seu impedire* (§. 194.), *debet, ut illorum admissioni non solum iacturam æternæ beatitudinis, sed etiam ipsam positivam infelicitatem æternam ceu pœnam serio intentet.*

III. Porro evidens est, maiorem frequentiam & assiduitatem exercendi actus Theologice moraliter bonos maiorem quidem Dei amorem honoremque practicum, at non continuo frequentiam minorem hoc ipso positivum eiusdem contemtum etiam indirectum, importare, sed maioris solum amoris honorationisque defectum; qui cum fine ultimo solum negative pugnet (§. 409.); quatenus non tantum minor frequentia illorum actuum, quantum maior, ad finem illum positiva aptitudine conducit (§. 408.). *Itaque* etiam pro eo, ac

Deum decet finem creationis ultimum ipſumque bonum uſum libertatis creatæ mediis moraliter ſufficientibus promovere (§. 97.), *ſufficiet, ut Deus maiorem frequentiam actuum Theologice formaliter bonorum, quoad illa ſine poſitivo Dei contemtu a creaturis rationalibus adhuc omitti poteſt, ſaltem propoſito illis in præmium eximio magis gradu æternæ beatitudinis promoveat; quin tamen ſoli minori frequentiæ præciſe ipſam beatitudinis iacturam aut poſitivam infelicitatis æternæ pœnam intentet.*

§. 411.

Ex his iam principalis diviſionis circa voluntatem divinam fundamenta habemus. Itaque voluntas Dei poſitiva, propoſitis tum prœmiis, tum pœnis ſufficientibus, i: e. æternis promovens quosdam actus moraliter bonos a creaturis rationalibus eliciendos (§. præc. I.) vocatur *voluntas Dei præcipiens;* eadem vero ſolis prœmiis ſufficientibus eorundem actuum exercitium urgens, vocatur *voluntas Dei invitans,* aut *ſuadens,* vel ut aliis placet, *conſulens. Unde præter voluntatem Dei poſitivam operatricem* (§. 404.), *qua Deus ſubſtantiarum & eventuum bonorum naturalium exiſtentiam determinat, etiam in Deo dantur duæ ſpecies voluntatis poſitivæ, queis actus liberos creatos moraliter Theologice bonos diſponit, voluntas nempe præcipiens iſtorum aliquos, & voluntas ad illorum alios invitans.*

* Liceat interim confuſis notionibus *præmii, pœnæ,* voluntatis *præcipientis, invitantis* &c. uti; donec infra §§. 643. 644. 685. 689. eaſdem independenter a præſentibus diſtincte evolvam.

§. 412.

Voluntas Dei negativa, ſeu permittens (§.403.) item alia ad eventus naturales, alia ad actus liberos ſpectat. Eventus enim naturales malos, i. e. mala

mala physica, ex solis naturæ legibus necessitate naturæ physica contingentia (§. 120.), Deus voluntarie permittit tam physice quam moraliter (§§. 112. 118.), cum impedire absolute posset (§. 122.): atque hæc voluntaria omnimoda malorum physicorum permissio vocatur *voluntas Dei mere permittens*. Ex adverso actus liberos Theologice formaliter malos, id est, mala moralia Theologice formaliter talia (§. 172. n. 3. 4.), etsi voluntarie permittat physice, tamen moraliter permittere non potest (§. 214.), sed proposita pœna æterna vult serio impedire (§. 410. II.): atque hæc voluntas physice quidem, sed non moraliter, illa mala moralia permittens, vocatur *voluntas Dei prohibens*.

§. 413.

Actus moraliter boni bonitate mere naturali (§. 172. n. 1. & 2.), i. e. bonitate morali infimi gradus (§. 406.), cum omni proxima aptitudine ad finem ultimum & ad Dei perfectiones reflexione careant (§. 408.), qua tales (i. e. quatenus bonitate carent Theologica) *nec præcipi, nec suaderi a Deo possunt, aut ulla voluntate positiva a Deo expeti*, hoc ipso, quod Deus voluntate præcipiente & suadente potius actus morales Theologice formaliter bonos a nobis exoptet (§§. 410. I. II. 411.), atque omnia finis caussa, ceu media istius, velit (§. 405.). Sed neque voluntate negativa ita illos Deus nolle potest, ut omnino pœnis propositis prohibere velit, utpote nec per malitiam quamdam positivam cum fine ultimo pugnantes, imo materiali etiam Theologica bonitate reipsa præditos; etsi sub cognitionem agentis haud ista cadat. *Solum* itaque *Deus actus istos tam physice quam moraliter permittit; proindeque datur in Deo etiam voluntas mere permittens & negativa, actus creatos liberos respiciens.*

§. 414.

§. 414.

Actus moralis (§. 172. n. 5.), qui neque est formaliter Theologice bonus, nec formaliter Theologice malus, vocatur *actus moralis Theologice indifferens*. Contra actus moralis, seu liber, qui nec bonitate naturali formaliter bonus, nec malitia naturali (saltem negativa §. cit. n. 3.) formaliter malus sit, siquis talis detur, *actus moralis physice, seu naturaliter, indifferens* dicetur.

§. 415.

I. *Evidens est, dari actus morales Theologice indifferentes.* Evidens enim est dari actus morales, i. e. liberos, solum bonitate mere naturali formaliter bonos, i. e. qui libere quidem ferantur in bonum naturæ cognitum qua tale, sed omni reflexione in bonitatem Theologicam obiectivam eiusdem boni naturalis careant, aut in quos saltem istius bonitatis cognitio instar motivi non influat; item quin etiam idem bonum naturæ, libere & qua tale volitum, apprehendatur ut Theologice malum (§. 406. not.). Ergo per §§. 413. 414. evidens est dari actus morales Theologice indifferentes.

* Unde tales actus morales Theologice indifferentes sunt omnes virtutum actus heroum gentilium, qui de cetero tamen virtutis nomen & rem vere habebant; quin ulla ratione ad Deum verum atque unicum ab illis referrentur.

II. *Æque tamen evidens est, actum moralem physice indifferentem simul ac Theologice dari non posse.* Ut enim moralis sit per hypothesin, necesse est, ut cum alicuius saltem bonitatis obiectivæ, aut obiectivæ malitiæ, formali cognitione prævia eliciatur (§. 172. n. 5.), i. e. saltem cum cognitione bonitatis, aut malitiæ, naturalis. Si cum cognitione bonitatis naturalis libere eliciatur, erit naturali bonitate forma-

formaliter bonus: si cum notitia naturalis malitiæ positivæ; erit positive malus naturali malitia formali: si demum cum notitia malitiæ naturalis negativæ; erit negative saltem naturali formali malitia malus, sive otiosus. Ergo &c. &c.

* Juris Naturæ Doctores, cum actus indifferentes negant, vulgo de solis physice indifferentibus loquuntur, de bonitate Theologica alioquin non solliciti, ut mox dicetur §. 420. not.

§. 416.

Voluntas Dei, suadens æque, ac præcipiens, & prohibens aliquem actum moralem, nunquam non supponit ceu a concomitanti secum connexam voluntatem seu operatricem, seu aliam effective efficacem, qua in creatura rationali libera existentia cognitionis certæ de bonitate, vel malitia Theologica Metaphysica ipsius actus moralis eiusdemque obiecti determinetur. Quævis enim talis voluntas non nisi actus morales Theologice formaliter bonos, aut malos, pro obiecto habet (§§.409.410.) ita quidem, ut Deo motivum suadendi, præcipiendi, vel prohibendi sit vel contemtus Dei materialis, vel honoratio, quæ Deo per illos exhibenda prævidetur (§. 410.). Atqui nec Dei honoratio, nec contemtus materialis, in actu morali locum habet, nisi agenti præluceat cognitio certa de bonitate vel malitia Theologica Metaphysica (§. 173.): ergo hæc cognitio simul eodem tempore coexistere debet in agente libero creato, ut voluntas Dei suadens, præcipiens, vel prohibens circa ipsius talem actum liberum locum habere queat. Porro cognitionis istius existentia vel libera est creaturæ rationali, vel non est libera? Si alterum; patet, talem cognitionem, si existat, voluntatis Dei operatricis & obiectum, & effectum, immediatum, vel mediatum, fore (§.404.) si primum; rursus saltem voluntatis Dei, non quidem intrinsece, sed tamen infallibiliter efficacis obiectum iuxta atque effectus erit (§§. 374. 388.).

* Ex

*** Ex thesi præsente summi momenti corollarium consequitur, nimirum *cognitionem bonitatis & malitiæ theologicæ actus liberi inseparabilem esse a cognitione voluntatis Dei præcipientis aut prohibentis, & hanc vicissim ab illa* (§. 410. & §. præsente).**

§. 417.

Deus etiam summe benevolus erga creaturas rationales, etsi voluntate seria antecedente velit omnes beatitudinem æternam consequi (§§. 372. 393. seqq.), *imo speciali etiam affectu feratur in electos* (§. 399.), *non tamen idcirco ulla tenetur necessitate, ut velit positive etiam voluntate solum antecedente dare omnibus creaturis, rationalibus in aliquo mundo comprehensis, imo vel ipsis electis, in omni occasione eliciendi alicuius actus moralis actu dare cognitionem certam de bonitate, vel malitia, metaphysica theologica eiusdem actus.* Nam vi summæ cuiuscunque benevolentiæ, seu innatæ & antecedentis, seu liberæ & consequentis (§§. 371. 401. II.), Deus non tenetur ulla necessitate, ut aliis conferat, etiam electis, media, nisi quæ aut absolute ad finem, i.e. beatitudinem illorum, consequendum sunt necessaria, aut quæ prævidentur fore magis proficua ad augendum numerum electorum in eodem mundo, & gradum beatitudinis ipsius consequendæ exaugendum. Atqui cognitio certa bonitatis theologicæ, vel malitiæ theologicæ metaphysicæ, prælucens omnibus & singulis actibus moralibus, seu liberis, nec est medium consequendæ ab ipsis beatitudinis necessarium; siquidem modo tum bene utantur libertate, quoties ea cognitio ipsis prælucet, bonus ille usus libertatis iam erit medium sufficiens morale ad beatitudinem instar boni moralis acquirendam (§. 190.); etsi non in omnibus actibus liberis perpetuo præluceat: sed neque est medium proficuum, saltem tunc, quoties Deus per scientiam mediam directam prævidet,

quod

quod ea ipſa prælucente certa cognitione bonitatis aut malitiæ theologicæ creatura rationalis eſſet ad Dei contemtum materialem abuſura; ex cuiusmodi contemtus hoc ipſo nimium frequentatis actibus multo plures naſcerentur mali habitus; qui deinceps ob auctam neceſſitatem moralem ad malum morale inclinantem, & abſtrahentem a bono morali (§§. 146. 149. II.), non modo eſſent impedituri plurimos alios actus morales theologice bonos, qui abſentibus eiusmodi habitibus in actibus primis proximis liberis cetera iisdem eſſent eliciendi, ſed etiam nimis quam multa alia mala tam moralia theologice talia, quam phyſica (§. 168.), eſſent determinaturi. Itaque Deus etiam ſumme benevolus &c. &c.

* Ecce tibi principium evidens demonſtrandæ poſſibilitatis ignorantiæ invincibilis etiam circa quædam dogmata moralia iuris naturæ, ſalva Dei ſumma erga creaturas ſuas rationales benevolentia iuxta atque ſapientia.

** *Neque dicas*, Deum, negando iſtam cognitionem ſæpenumero, non ſatis conſulere felicitati generis humani in hac vita. Nam *reſpondeo*. Omnis ordinatio divina circa præſentis vitæ ſtatum unice collimat ad beatitudinem alterius vitæ ceu finem ultimum totius creationis & actionis Dei ad extra. Non ergo aliam huius vitæ felicitatem curare Deum decet, quam quæ magis eidem fini conducere ab eodem cognoſcatur.

§. 418.

I. *Itaque nec Deus ulla neceſſitate urgetur ad prohibendos actus morales materialiter ſolum theologice malos, ſed ſolum ad prohibendos formaliter theologice malos*, i. e. eos, qui non ſolum ſecundum ſe pugnant cum perfectione aliqua divina reipſa, ſed qui etiam certo cognoſcuntur ab agente libero creato pugnare cum illa (§. 172. n. 4.); quia nec poteſt prohibere illos, niſi comittantur prælucente tali cognitione

(§.416.)

(§. 416.), nec tenetur semper istam cognitionem procurare (§. 417.).

§. 419.

II. *Nec etiam tenetur Deus praecipere actus morales, quorum omissio est solum materialiter theologice mala, sed eos solummodo, quorum omissio est formaliter theologice mala*, ob eandem scilicet rationem.

§. 420.

III. *Datur itaque tertia voluntatis divinae mere permittentis species, quae ad actus liberos creatos spectet* (§§. 412. 413.), *i.e. qua Deus actus liberos mere materialiter malos, malitia videlicet infimi gradus, permittit instar malorum physicorum;* eo quod cum fine ultimo haud immediate pugnent (§. 409.).

* Errant ergo, & a toto aberrant scopo, qui cum Ill. Puffendorffio & Wolfio legem naturae statuunt, quae aliud non praecipiat nisi actus morales mere naturaliter, & materialiter solum theologice bonos, & prohibeat praecise eosdem ut mere naturaliter malos, nec ullo pacto ab agente relatos ad Deum. Lex talis naturae, etsi in effectibus actionum talium praevisis, physice bonis aut malis, motiva libere agendi vel non agendi quaedam suppeditet, nec voluntatem Dei positivam, vere *praecipientem*, ac *prohibentem*, sibi adstipulantem habet (§. 409.), nec vero etiam vim ac potestatem verae legis sufficientem habere potest. Neque enim habet vim *merae legis naturae*, de qualibus in Cosmologia §. 293. actum est, cum non naturam ipsam, sed liberum arbitrium a legibus *naturae* prorsus immune, afficiat. Neque habet vim *legis moralis*; cum *motiva* agendi sufficientia, & non agendi, *sufficientia* non offerat. Aut quae sunt ista demum? Incrementum boni naturae, aut iactura istius & malum physicum, ex actione tali per se consequens? Grandia scilicet motiva in praesente humanarum rerum ac ista vitae praesentis comparatione, quibus, ut conditores isti novarum & antehac inauditarum naturae legum volunt, vel

Atheus

Atheus ad has accurate ſervandas induci queat. Enimvero ſi bona & mala phyſica ea ſpectamus, quæ ſolarum naturæ legum phyſicarum effectus ſunt, boni & mali paris ſaltem evidenter ſunt conditionis in hoc mundo (§. 199.). Si porro ſpectemus bona & mala phyſica, quæ noſtræ propriæ libertatis effectus ſunt, quoad illa ſtatum mentis internum immediate afficiunt, & ipſo exercitio virtutis & vitii abſolvuntur, utique tam eximium quid boni præ malis habent, quam eximia ipſa virtus præ vitio eſt. At ſi ſtatum extrinſecum ſpectemus, qui virtutis exercitium & vitii vulgo conſequitur, non quidem per ſe, ſed per accidens, ob alienæ videlicet libertatis abuſum; quis non videt, melioris conditionis eſſe improbos quam probos, quamdiu aliud nihil quam præſentis vitæ ſtatum atque ordinem eventuum propoſitum ob oculos habemus? Etenim voluptas virtuti annexa, quatenus eſt præſens, exigua eſt in comparatione illius, qui vitium in præſens comitatur, multoque adhuc minor evadit, ſi ab ea futuræ in alia vitæ melioris ſortis omnem expectationem atque memoriam removeas. Vide §. 288. Pſych. Iam vero facile ut plurimum eſt improbis voluptate præſente virtutis neglecta maiorem ſibi per ipſa vitia procurare. Fruſtranea eſt oſtentatio illa Stoæ, & pridem uſu & experientia antiquata: virtus ſibi ipſa ſufficiens præmium, & proprium ſui ſupplicium eſt ipſum vitium. Quid ergo prodeſt tota iuris naturæ diſciplina aliud non oſtentare quam umbras iſtas ſufficientium virtutis motivorum, & terriculamentorum a vitio abſterrentium, & prorſus non modo negligere, ſed tacere penitus, motiva graviſſima, quæ ex propoſita operum noſtrorum bonitate & malitia theologica, & propoſitis a Deo alterius venturæ vitæ æternum duraturis præmiis & pœnis, haud paulo maiore utique, ni fallor, emphaſi ſuppetunt. An iſta legum ratio & indoles theologica revera ad ius naturæ fortaſſis non pertinet? Profecto ſilentium eiusmodi haud aliunde proficiſci merito quis ſuſpicetur, quam quod id genus iuris naturæ conditores impoſſibile exiſtimarint, alterius vitæ

ſtatus, præmiorumque & pænarum æternarum, virtuti ac vitio propoſitarum, certam demonſtrationem ex ſolo naturalis rationis magiſterio depromere (vide Ill. Wolfii theol. nat. P. I. §. 1078. not.). Cui quidrm defectui abunde, puto §§. 182. & 203. ſeqq. itum obviam a nobis eſt.

§. 421.

IV. *Effectus abſolutus voluntatis Dei ſuadentis, præcipientis, ac prohibentis eſt intimatio ſui ipſius facta creaturæ rationali, cui ſuadet, præcipit, vel prohibet actum moralem, i. e. certa cognitio voluntatis eiusdem divinæ, quæ cognitionem certam præviam de bonitate, vel malitia eiusdem theologica metaphyſica* (§. 172. n. 3.), *immediate ac per ſe conſequitur.* Voluntas enim e. g. præcipiens in Deo aliud non eſt, quam voluntas proponendi præmia & ſupplicia ſufficientia, inſtar motivorum ad actus morales, quorum bonitas & malitia theologica iam eſt cognita, impellentium, & abſterrentium (§§. 411. 419. 420.); idemque cum proportione verum eſt de voluntate Dei prohibente, & ſuadente (§§. 412. 418.). Atqui nihil rationem motivi habere poteſt, niſi per ſui cognitionem, nec motivum *ſufficiens* eſſe poteſt, niſi certo tale eſſe cognoſcatur. Hæc enim tota vis eſt, totaque ratio cauſſandi cauſſæ morali propria, qualis cauſſa moralis eſt ceu ipſa voluntas Dei præcipiens, ſuadens, & prohibens reſpectu actus moralis præcepti, ſuaſi, & prohibiti (§. 265. Ont.); etſi ſimul ſit cauſſa remota efficiens reſpectu ipſius cognitionis ſui ipſius, per quam iſtam vim cauſſæ moralis in ipſam voluntatem creatam liberam exercet. Itaque effectus abſolutus &c. &c.

§. 422.

V. *Effectus conditionatus voluntatis Dei præcipientis, ſuadentis, & prohibentis, eſt executio præmii, vel pœnæ, aut ſubtractionis ſaltem præmii promiſſi, ſub con-*

conditione sequentis in voluntate creata libera ad istius divinæ voluntatis intimationem boni, vel mali, usus libertatis.

§. 423.

VI. *Unde iactura beatitudinis æternæ & infelicitas positiva æterna improborum nullo modo effectus est absolutus solius divinæ voluntatis; sed utraque nunquam non pro caussa per se habet abusum propriæ eorum libertatis, voluntatem divinam præcipientem aut prohibentem vero pro caussa partiali mere per accidens.* Neque enim Deus pœnas istas voluntate præcipiente, aut prohibente absolute vult (§. præc.), neque intentat serio ex destinatione consilii, ut eveniant actu, sed ut certo prævisæ absterreant a malo usu libertatis, & promoveant usum bonum, ceu beatitudinis æternæ consequendæ medium. Econtra voluntas libera, insuperhabita prævisione pœnarum istarum abutens libertate, sicut est caussa per se abusus istius, ita est etiam caussa per se effectus eiusdem certo prævisi. Vide §. 263. Ont.

* Nimirum Deus voluntate conditionata vult & decernit pœnas improbis, non ut pœnæ eveniant, sed ut ne eveniant mala moralia, sed eveniant bona moralia & beatitudo æterna ab omnibus obtineatur, vel certe a pluribus, quam eadem obtinetur, si pœnas æternas haud intentaret. Quodsi tamen alii libertate abutantur, permittit physice effectum absolutum, quem moraliter impedire sufficienter, sed frustra, laboravit.

** *Aiunt* vero. Deus sæpe aliqua præcipit, quæ ipse evenire non vult, uti cum Abrahamo præcepit immolationem filii, quam tamen deinde suspendi in ipso facto voluit. 2. Alias Christus prohibuit leproso a se curato, ne factum evulgaret, quin tamen is evulgando idem contra Dei voluntatem egisse censeatur. 3. Prophetiæ comminatoriæ, e. g. *intra* 40. *dies Ninive subvertetur* &c., erant mera signa voluntatis divinæ, quæ reipsa non extabat.

Resp. Opinio talia afferens ex eo nata eſt, quod exiſtimarint eorum defenſores, omnem voluntatem Dei vere talem, quam univerſe voluntatem beneplaciti appellabant, abſolute impleri debere, quod certo falſum (§§. 375. 411. not.). Deus Abrahamo præcepit voluntatem & conatum de ſe efficacem & ſerium immolandi filium, & hunc ſerio voluit, non autem idcirco impediebatur, quo minus nollet ipſum eius effectum. 2. Chriſtus non præcepit leproſo voluntate divinæ, ſed humanæ ſuæ naturæ, in exemplum modeſtiæ, & quidem ſeria, ſed non obligante, voluntate; cui proin obedire leproſus non tenebatur. 3. Prophetiæ comminatoriæ ſunt revelationes ſcientiæ Dei mediæ reflexæ de voluntate Dei conditionate futura, niſi emendatio ſequeretur &c. &c.

ARTICULUS III.

DE SIGNIS, SEU REGULIS, COGNOSCENDI VOLUNTATEM DIVINAM.

§. 424.

Deus de quovis bono particulari iudicat, huiusque magnitudinem æſtimat, non ſecundum ſe abſolute, ſed ſecundum ipſius bonitatem reſpectivam, ſeu relativam aptitudinem, & nexum actu a ſe prævíſum cum beatitudine omnium creaturarum rationalium univerſe, quæ nimirum in quovis mundi ſyſtemate comprehenduntur. Deus enim voluntate antecedente & concomitante ſeria (§. 39. not. 1.) pro fine ultimo abſoluto, & unico omnis creationis cuiuscunque mundi neceſſario ſibi præfixam habet beatitudinem creaturarum rationalium cum ſua gloria coniunctam (§§. 108. 393.), & huius finis unius cauſſa res omnes ceteras creatas vult creare, quascunque actu creare vult (§. 95.), ceu mera media ad hunc finem. Nec vero aliquarum tantum creaturarum rationalium beatitudinem voluntate antecedente per ſe vult, ſed quantum in ipſo eſt, omnium ex æquo ſine partialitate ulla, & qui-

quidem maximam beatitudinem, cuius ſunt capaces (§. 372.), atque hoc ipſo talem, quam ipſæ bono libertatis uſu inſtar boni moralis acquirant (§. 373.). Porro media quæcunque aliam bonitatem, ratione cuius determinati finis alicuius reſpectu amari & æſtimari mereantur, non habent, niſi aptitudinem relativam ad eundem finem (§. 310. Ont.): atque adeo nec ullum bonum particulare a Deo alio reſpectu in ordine ad creationem amari, aut æſtimari poteſt, niſi quatenus ad prædictum creationis finem aptitudinem reipſa habere ab eo noſcitur. Inſuper cum finis ſit inſtar boni moralis bono libertatis uſu ab ipſis creaturis rationalibus acquirendus (§. 190.), ac præterea Deus non ſolum habeat perfectiſſimam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua videat, quid quævis creatura rationalis ope cuiuslibet boni particularis, ceu medii, in actu primo libere efficere poſſit, ſed etiam perfectiſſimam ſcientiam mediam directam, qua univerſe diſtinctiſſime ſimul videt, quid actu libere ſub quavis hypotheſi factura ſit: idcirco non tam Deus iudicat de aptitudine cuiuslibet boni particularis in actu primo, ſed potius ex eo, quid actu proxime conducturum ad illum finem creationis, & quidem univerſe reſpectu omnium creaturarum rationalium ſpectatum, a Deo ipſo prævideatur. Itaque Deus &c. &c.

§. 425.

Nos homines nec rerum particularium, nec totius alicuius ſyſtematis mundi, bonitatem eodem modo æſtimare poſſumus, quo Deus eandem æſtimat. Caremus enim non modo illa infinitudine ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, qua Deus bonitatem omnium tum particularium bonorum, tum totius cuiuslibet mundi ſyſtematis, in actu primo ſpectatam in ordine ad creationis finem, ſeu ad beatitudinem a creaturis

rationalibus per modum boni moralis acquirendam, æſtimat; ſed multo magis deeſt nobis ſcientia media directa univerſa, ex qua actualem illius utriusque effectum circa finem iſtum mediante libertate omnium earundem creaturarum rationalium conditionate ex illis extiturum diſtincte prævidet (§§. 226. 227.). Atqui ſecundum iſtas ambas ſcientias, & maxime ſecundum ſcientiæ mediæ directæ dictamina, Deus rerum omnium bonitatem in ordine ad prædictum creationis finem unice æſtimat (§. præc.). Ergo nos homines &c. &c.

§. 426.

Deus nullo voluntatis ſuæ genere, i. e. *nec voluntate poſitiva*, *neque negativa*, i. e. *nec operatrice*, *nec liberos actus creatos diſponente*, *nec voluntate præcipiente*, *nec ſuadente*, *nec prohibente*, *nec mere permittente*, *aliquid earum rerum*, *quæ in hoc mundo fiunt*, *vult in particulari abſolute*, *ſed ſingula atque omnia cum relatione ad totum finem creationis ultimum*, i. e. *ad beatitudinem creaturarum rationalium quam maximam & quam plurimarum reipſa obtinendam.* Vult enim voluntate antecedente hunc finem ex æquo reſpectu omnium creaturarum rationalium in hoc mundi ſyſtemate comprehenſarum, nec poteſt ulla voluntate conſequente quidquam velle, niſi quoad id eum velle conſentit cum illa voluntate antecedente (§§. 381. 372.). Igitur & omnia media huius conſequendi finis non vult niſi ut relata ad totam creaturarum rationalium collectionem in hoc mundo comprehenſam, & ad maximam, & ad quam plurimarum creaturarum rationalium beatitudinem, quæ ſalva libertate poſſibilis ipſi eſt, obtinendam, perinde atque de bonitate illorum non aliter niſi relate ad totum iudicat (§. 424.).

§. 427.

I. *Deus itaque nec ipſe operatur aliquod ex omnibus*

bus bonis physicis huius mundi nisi ex motivo maioris beatitudinis aut respectu plurium saltem creaturarum rationalium in huius mundi systemate comprehensarum, eventuræ, & ab æterno iam a se per scientiam mediam prævisæ; nec alio ex motivo malum quoddam, seu etiam morale quodcunque, physice permittit.

§. 428.

II. *Sed neque Deus alio fine & motivo, nisi iam præfato, quosdam actus liberos moraliter bonos actu suadet, aut præcipit, & alios moraliter malos actu prohibet, concessa videlicet certa bonitatis aut malitiæ theologicæ iuxta ac voluutatis suæ præcipientis, suadentis, aut prohibentis, cognitione* (§§. 421.); *sicut nec omittit alios præcipere, suadere, vel prohibere eadem gemina cognitione subtracta, nisi itidem ex eodem fine & motivo, i. e. sub relatione ad idem bonum maximum totius collectionis rationalium creaturarum in hoc mundo comprehensarum* (§§. 417. 418. 419.).

* Ecce tibi hic fundum inscrutabilem totius sapientiæ & bonitatis divinæ, in quo rationes omnium decretorum & permissionum divinarum latent repositæ!

§. 429.

Voluntas dicitur *inscrutabilis*, non illa, cuius actus, sed illa, cuius actuum motiva nobis in specie singillatim non possunt esse certo atque integre perspecta.

§. 430.

Voluntas divina consequens nobis hominibus universis est inscrutabilis. Etenim motiva singulorum actuum voluntatis divinæ consequentis sunt bonitates respectivæ obiectorum cuiuslibet, seu aptitudines contingentes, non in actu primo, sed in actu secundo spectatæ, & per scientiam mediam directam a Deo prævisæ, quas habent ad beatitudinem quam maximam & quam plurimarum creaturarum

 ratio-

rationalium in toto huius mundi ſyſtemate comprehenſarum, illis obiectis a Deo volitis mediantibus, ceu mediis, ab iſtis reipſa acquirendam inſtar boni moralis accedente bono uſu libertatis circa eadem obiecta (§. 426. ſeqq.). Atqui hæc motiva ſingillatim tam parum a nobis hominibus univerſis certo perſpici poſſunt, quam, quid de quavis creatura libera Deus per ſcientiam mediam directam in quavis hypotheſi prævideat, a nobis reſciri poteſt. Ergo voluntas divina conſequens nobis univerſis prorſus inſcrutabilis eſt (§. præc.).

* Dixi, divinam voluntatem *conſequentem* nobis eſſe inſcrutabilem: *antecedens* enim voluntas, cum nihil agere ad extra determinatum velit, ſed ſolum ad beatitudinem omnium in abſtracto promovendam parata ſit pro eo modo, quo id fieri poſſe per ſcientiam mediam intelliget, hoc ipſo nullo determinato motivo ſcientiæ alicuius contingentis nititur, ſed pro principio ipſam abſolutæ bonitatis eſſentialis infinitam abundantiam habet attributi inſtar.

§. 431.

Decretum eſt libera determinatio voluntatis, qua hæc vult aliquid agere, vel non agere. Determinatio libera voluntatis divinæ, qua Deus voluntate effective efficaci quacunque (§. 388.) vult agere, ut res volita exiſtat, vocatur *decretum voluntatis divinæ prædefinitivum;* illa autem libera determinatio voluntatis divinæ, qua Deus non vult agere, ſeu impedire, quo minus res aliqua, ab ipſo non volita, ſed aliunde præviſa, exiſtat, vocatur *decretum voluntatis divinæ permiſſivum.*

§. 432.

Caſus ſimpliciter eſt effectus ex actione cauſſæ efficientis intellectu præditæ ſecutus, nec ullo pacto ab ea præviſus. Hic ſive in agentis, ſive in alterius perſonæ, bonum phyſicum cedat, *fortuna*

ſimpli-

simpliciter, vel *fortuna secunda*, dicitur; si in malum physicum, *infortunium*, seu *fortuna adversa*, appellatur.

* *Casus*, quem hic definimus, non est *casus purus*, quem §. 61. not. 2. explicavimus esse effectum omnis rationis sufficientis expertem, atque impossibilem esse ostendimus. Sed & idem distinctus est ab *effectu caussae intellectivae agentis per accidens*, quae nimirum concurrit ad effectum sine determinatione positiva voluntatis, qua velit agere ad hunc effectum obtinendum. Talis enim effectus caussae per accidens potest esse praevisus saltem, licet non volitus; uti malum morale praevidetur a Deo, estque Deus istius caussa per accidens; quin tamen istud sit casus respectu Dei, etsi ex actione Dei nascatur; quia nempe a Deo praevisum, ac proinde saltem determinatione divinae voluntatis negativa permissum est, non tamen volitum positive.

** Ill. Wolfius §. 460. Theol. Nat. P. II. *effectum casualem* dicit eum, qui sequitur ex concursu caussarum aliud agentium. Malum ergo morale, vere liberum, casus erit respectu Dei & naturae, aliud utique agere volentis, cum concurrit immediate ad id ipsum. Idem §. 540. ad *fortunam* requirere videtur, ut sit effectus non praevisus ab eo quoque, cuius in bonum cedit. At, quis neget, fortunam esse respectu Caii, si Titius illius hostis iuratus, ei nocere volens, machinetur eidem ex ignorantia malum id genus remedio, quo potius sibi procurandum esse bonum Caius iam ante praevidet, atque idcirco his securus ictum excipit.

§. 433.

I. *Dei respectu nec casus, nec fortuna, nec infortunium, in mundo uspiam existit.* Bona enim & mala Deus omnia iuxta praevidet. Unde, sive effectus sint ipsius Dei res quaecunque creatae, uti sunt bona omnia, sive non sint, uti mala physica (§. 118.),

 tamen

tamen nec casus, nec fortunæ, nec infortunii rationem respectu Dei habere possunt.

II. *Deus respectu mali moralis est quidem caussa per accidens;* quatenus ad hoc concurrit immediate perinde atque ad omnes actiones creatas (§. 238. Ont.), quin ex destinatione, i. e. ex positiva determinatione illud efficiendi, concurrat: *attamen idem casus rationem respectu Dei non habet;* quia prævisum libere permittit.

§. 434.

III. *Nihil usquam in hoc mundo sine aliquo Divinæ voluntatis decreto, seu prædefinitivo, seu permissivo, contingit.* Vel enim bonum, vel malum est: si bonum; sicuti vis divinæ agentis ad extra, ita & voluntatis agendi, effectus est (§. 377.), i. e. non sine decreto prædefinitivo contingit (§. 431.): si malum; uti non sine præscientia Dei, ita, ceu contingens secundum se, non sine permissione Dei, id impedire quidem valentis, sed nolentis tamen, eveniet, i. e. non sine decreto permissivo (§. cit.).

§. 435.

IV. *Decreta, seu actus voluntatis divinæ liberos, etsi non eorundem motiva* (§. 430.), *a posteriori certissime cognoscimus ex effectibus.* Cum enim nihil omnino in mundo eveniat sine aliquo decreto, seu libero voluntatis divinæ actu (§. præc.), ex omnibus mundi eventibus aliquem divinæ voluntatis actum cognoscimus.

§ 436.

V. *Bona physica quæcunque evidens signum sunt voluntatis Dei operatricis* (§. 404.)*: mala physica vero voluntatis Dei mere permittentis* (§. 412.).

§. 437.

VI. *Certa cognitio de bonitate theologica actus moralis est evidens signum voluntatis Dei vel suadentis, vel*

præ-

præcipientis. 2. *Contra certa cognitio de malitia theologica eiusdem actus moralis evidens signum est voluntatis Dei prohibentis.* Utramque enim ceu a priori connexam certa cognitio ipsius voluntatis Dei aut suadentis, præcipientisve, aut prohibentis, non consequitur (§. 416.), quæ certus effectus atque adeo signum eiusdem divinæ voluntatis absolutum est (§. 421.) & naturale (§§. 69. 71. Log.).

§. 438.

Falsum est, recte ex eo, quod quid conveniat cum perfectione universi physica, inferri, id Deum voluntate operatrice actu efficere decrevisse. Neque enim Deus rerum quarumcunque particularium bonitatem ex aptitudine ad bonum universi physicum, imo ne quidem ex aptitudine sola in actu primo ad beatitudinem instar boni moralis creaturis rationalibus absolute possibilem, sed unice ex prævisa per scientiam mediam directam aptitudine in actu secundo futura in ordine ad beatitudinem quam maximam & a quam plurimis bono libertatis usu acquirendam æstimat (§§. 226. 227. 424.), atque non aliud, nec alio fine, voluntate sua operatrice decernit efficere. Ergo male ex eo, quod quid cum solo bono physico universi consentiat, inferretur, id continuo Deum ea voluntate decrevisse; cum utique libertas creata bono physico æque abuti ad malum morale & contra finem beatitudinis, & vicissim malo physico uti ad bonum morale & prædictum finem possit (§§. 225.), atque adeo sic utroque usura prævideri a Deo potuerit.

* Errores ergo ex erroribus nectit Ill. Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 443., & nectunt cum eodem, qui similibus ex argumentis vel planeticolas, vel omnium specierum intellectualium possibilium secundum fictitiam continuitatis legem per gradus continuos actualem existentiam, probare contendunt cum D. Robinet in opere de la Nature P. V.

§. 439.

Æque falsum est, ex eo præcise, quod quid præcise secundum se spectatum conveniat cum perfectionibus divinis, recte etiam solum probabiliter inferri, quod id Deus voluntate operatrice actu decreverit efficere. Cum enim etiam, quæ opposita sunt, convenire simul perfectionibus divinis possint ob prævisum diversum usum libertatis a creaturis rationalibus circa ea faciendum, uti e. g. creare hunc vel talem mundum, vel non talem creare (§§. 383. 384.); patet, ne probabilem quidem ex id genus convenientia illationem ad liberum Dei actum fieri posse, quoties id genus res oppositæ alium atque alium influxum in humanam libertatem, ac proinde etiam indirecte atque logice etiam in Scientiam Dei mediam directam, quæ Deo agendi & volendi motiva suppeditat (§. 427.), habere possunt.

* Cum Systema Copernicanum tam parum quam Tychonicum in libertatis humanæ actus influat, in alterius quidem ex his præ alio assertione argumentatio id genus probabilis locum habere me non invito poterit. At de planeticolis, & aliis similibus, non licet perinde argutari. Certe si ex solis perfectionibus divinis argumentari liceat, sublata semel a Wolfio genuina Libertatis notione nemo non inferre deberet, Deum mala physica, uti certo potest, sic actu tollere a mundo debuisse. Quorsum enim illa, nisi mere ad cruciandos homines prosunt, si vera libertate sublata occasio bene merendi ab illorum tolerantia aufertur? Aut cur beatitudinem, quam dabit aliquando, non confert illico, sublato omni prævio cruciatu?

§. 440.

Deus ne quidem nos omnia velle vult voluntate consequente, præcipiente, vel suadente, quæ nos velle ipsius præcise perfectionibus consentaneum esse intelligit; sed tum solum indicium voluntatis istius suæ nobis facit, conferendo

ferendo cognitionem certam de bonitate actuum moralium Theologica, atque adeo tum solum etiam voluntate consequente vult nos ea velle, quæ materialiter Theologice bona sunt (§. 172. n. 4.), *cum id genus decretum voluntatis suæ præcipientis, aut suadentis* (*de voluntate prohibente cum proportione idem tenendum*) *ope scientiæ mediæ videt aliquid ad finem creationis ultimum, i. e. ad maiorem, aut plurium beatitudinem, conducturum.* Neque enim semper id Deum velle satis ex eo patet, quod non semper voluntate prævia effective efficaci cognitionem bonitatis illius Theologicæ obiectivæ actuum id genus moralium nobis tribuat, sine qua Dei voluntatem naturali modo nescire non possumus (§. 427.); quamque Deus sæpenumero nobis deesse permittit; ob varios scilicet usus libertatis, seu ex nostra parte immediate, seu ex parte aliorum ex vario usu nostro libero, inde secuturos, & a se prævisos (§§. 417. seqq. 421.).

§. 441.

Revelatio alicuius veritatis, seu necessariæ, seu contingentis, est actio, qua alicui communicatur certa id genus veritatis notitia; quæ *divina* dicitur, si Deus voluntate sua operatrice (§. 404.) illius est auctor: quodsi Deus illam operetur mere ut auctor naturæ, determinando nimirum ipsas naturæ intellectualis vires proprias ad eam notitiam producendam, dicitur *revelatio divina mere naturalis*, seu *per lumen naturæ facta;* si vero Deus eam operetur non secundum leges naturæ, nec adeo per solas vires naturæ, sed vi sua agendi ad extra infinita atque altiore, *revelatio divina supernaturalis* appellatur.

§. 442.

Deus velle mentiri, i. e. revelare falsum, non potest. Omnis enim actus intellectus falsus verum malum physicum est (§. 217.). Atqui Deus malum physicum

ſicum nec ipſe efficere, multo minus velle, i. e. ceu bonum appetere voluntate poſitiva operatrice poteſt (§§. 404. 118. 119.).

§. 443.

Siquid ergo Deus ſe velle homini revelet, Deum hoc velle reipſa certiſſimum eſt, ſive naturali, ſive ſupernaturali revelatione id faciat.

* Corollarium hoc facillime infertur quidem: at quæſtio mox ſe ingerit: unde ſciam Deum revelare, ſe hoc velle, nec niſi ab auctore Deo proficiſci certam perſuaſionem, quam de divina voluntate in re particulari habeo, nec errorem humani iudicii, de ſe obnoxii erroribus, intervenire? En tibi regulas infallibiles!

§. 444.

REGULA I. Quoties ex naturali lumine certus ſum de actionis alicuius moralis in individuo ſpectatæ bonitate, vel malitia, Theologica metaphyſice tali; toties certus etiam ſum Deum ipſum auctorem eſſe conſequentis exinde certæ cognitionis de ipſius voluntate, vel ſuadente aut præcipiente, vel prohibente. Hoc enim caſu actio ipſa moralis ſine abuſu libertatis & contemtu Dei materiali omitti, aut poni non poteſt (§. 174.). Atqui hunc Deus, quamquam non phyſice, mediis tamen moraliter ſufficientibus, nimirum præmiis & ſuppliciis æternis vitæ futuræ intentatis (§§. 197. ſeq. 206. ſeq.), i. e. voluntate ſuadente, præcipiente, aut prohibente, impedire tenetur (§§. 411. 412.). Quoties ergo certus ſum &c.

* *Neque dicas*: erroneam eſſe poſſe certitudinem præviæ cognitionis de bonitate, vel malitia, Theologica Metaphyſica actionis. *Nam* vera nihilominus erit certitudo de voluntate Dei præcipiente &c. hoc ipſo, quod, ſeu vera, ſeu erronea, ſit illa prior certitudo, tamen actio iam ſine contemtu Dei poni, aut omitti, non poſſit. Ergo vera eſt certitudo conſequens de Dei voluntate; &, licet Deus

Deus errorem prioris solum permittat. tamen veritatis inde consequentis ipse ceu veri boni est auctor.

** Qui probabilismum defendunt, probare debent, in casu dubii in utramque partem vere probabilis de bonitate vel malitia Theologica actionis moralis, talem actionem poni, vel omitti, posse sine contemtu materiali Dei necessario tunc interveniente, nec adeo illam tunc a Deo necessario præcipi, aut prohiberi. Ill. Wolfius P. II. Philosoph. Pract. §. 244. seqq. cognitionem incertam vocat *cognitionem mortuam*, seu eam, quæ voluntati motiva sufficientia non suppeditet; eo quod bonum incertum non sufficienter alliciat, nec malum incertum sufficienter absterreat. Iam vero cum voluntas Dei præcipiens & prohibens haud dubie non sit nisi voluntas moraliter saltem in actu primo satis efficax, i. e. motivis sufficientibus impellens ad bonum, & absterrens a malo, quippe ex amore benevolentiæ perfectissimo & finis ultimi desiderio ex parte sua efficacissimo orta, haud dubie ad obtinendum finem, i. e. ad bonum usum libertatis promovendum, & impediendum abusum, non nisi motivis sufficientibus, i. e. cum certitudine propositis, illam uti condecet, quoties serio vult præcipere aut prohibere.

§. 445.

REGULA II. Quoties certus sum physice, actionem, qua mihi notitia divinæ voluntatis communicatur, esse supra vires & leges naturæ, simulque de actionis ipsius existentia mihi quacunque sufficiente certitudine seu physica, seu metaphysica (nempe per sensum intimum) seu morali, reipsa constet; toties certus sum revelationem esse vere divinam supernaturalem. Patet ex ipsa definitione data §. 441.

§. 446.

REGULA III. Sicut legum naturæ certitudo physica habetur ex uniformi & nunquam per contrarium casum interrupta experientia, tum propria, tum omnium aliorum

aliorum hominum (§. 182. Psych.); *ita ex eo, quod actio revelans his legibus certo contraria esse noscatur, illam esse Dei revelationem supernaturalem physice certum esse poterit.*

§. 447.

REGULA IV. Si actio revelans immediate in mente recepta sub experientiam sensus intimi cadat, de existentia illius metaphysice certi (§. 312. I. Log.), *de supernaturali ac divino illius ortu vero certi physice esse poterimus.* Et hæc vocatur *revelatio divina supernaturalis interna.*

* Certitudo nimirum ista physica ex notitia legum naturalium tum phantasiæ, tum originis naturalis idearum & iudiciorum, obtinebitur, tum quæ cognitionem symbolicam, tum quæ intuitivam dirigunt.

** Unde *duplex revelatio interna possibilis est*, una ope phantasiæ per modum *somnii supernaturalis*, externis sensibus perinde sopitis; altera *mere intellectualis visio supernaturalis* sine symbolicæ cognitionis interventu. Utraque sopitis sensibus evenire solet.

§. 448.

REGULA V. Si actio revelans in sensu externo proprio recipiatur, de eius existentia iuxta ac divino supernaturali ortu physice certi erimus, si leges naturæ, quibus adversatur, rite perspectas habeamus (§. 312. III. Log.). Et hæc vocatur *revelatio externa supernaturalis immediata.*

* Ad hanc *apparitiones supernaturales* externæ referendæ sunt.

§. 449.

REGULA VI. Si demum actio revelans ab aliis sensu externo recepta nobis tantum ex attestatione moraliter certa innotescat; de ortu illius divino physice certi, de existentia autem moraliter certi esse poterimus, & quidem aliquando certitudine morali tanta, quæ physicæ æquiva-

quivaleat (§. cit. Log.). Et hæc *revelatio externa supernaturalis mediata* appellari solet.

* Ex his regulis de veritate cuiuslibet religionis iudicandum erit, quæ pro revelata divinitus, & quidem supernaturali revelatione, proponitur.

ARTICULUS IV.

DE DIVERSIS ACTIBUS VOLUNTATIS DIVINÆ IN SPECIE, EX QUIBUS ISTIUS NATURA & INFINITA PERFECTIO AMPLIUS INNOTESCIT.

§. 450.

Consultatio est multiplex & successiva reflexio intellectus super motivis, quæ actionem suadent, atque dissuadent. Intuitus distinctus, seu iudicium certum, exinde secutum de eo, quid deceat velle, agere, vel non velle agere, *consilium* vocatur. Determinatio seu decretum liberum voluntatis post prævium consilium cum quadam voluntatis eiusdem firmitate & constantia conceptum vocatur voluntatis *propositum.*

§. 451.

I. *Consultatio locum non habet nisi in dubio, quid agere deceat:* secus enim consilium iam est in promtu.

II. *In Deo consultatio locum non habet omnino, ne quidem eminenter,* tam parum videlicet atque dubium.

III. *Datur tamen vere & formaliter in Deo consilium infinite perfectum rerum omnium agendarum* (§. 67.) *iuxta atque propositum certæ voluntatis.*

§. 452.

IV. *Deus nunquam potest velle aliquid sine consilio, nec contra consilium intellectus sui infinite perfecti.* Inest enim illi consilium rerum omnium agendarum infi-

nite perfectum (§. praec. III.) nec quidquam potest velle agere, quod ipsum dedeceat (§§. 181. 377. 381.), adeoque nec contra consilium intellectus sui infinite perfecti (§. 450.).

§. 453.

V. *Respectu Dei nulla datur apparentia boni, aut mali, sed omnia respectu ipsius sunt vel bona vera, vel vera mala.* Apparentia enim boni & mali ex confuso utriusque intuitu nascitur, qualis in Deo non datur (§§. 201. seq. Psych. & hic §. 356. seqq.): veritas autem boni & mali distincto & adaequato eius intuitu, qualis Deo necessario competit (§.67.), non detegi non potest.

§. 454.

VI. *Deus non potest velle creaturis rationalibus nisi vera bona, nec potest ullum verum malum ipse voluntate positiva velle efficere.* Deus enim non potest velle voluntate antecedente nisi summam earum beatitudinem (§§. 370. 372.), nec potest velle voluntate consequente efficere ipse positiva voluntate, nisi quod cum voluntate antecedente consentiat (§. 381.).

* *Neque dicas,* Deum velle, ut reprobi post constantem abusum libertatis aeterna beatitudine excidant, & mactentur aeterna infelicitate positiva: atqui hoc verum utique malum est. *Nam* Deus, ut §§. 422. 423. dictum est, secundum se voluntate positiva solum vult malum istud conditionate, non ut eveniat absolute, sed ut sui praevisione (quae ipsa est effectus absolutus istius voluntatis §. 421.) absterreat a malo morali, & promoveat ad ipsam beatitudinem. Quodsi creatura rationalis proprio arbitrio & abusu libertatis determinet illius existentiam absolutam, haec quidem *absoluta* existentia est effectus potentiae divinae, & voluntatis Dei mere permissivae, sed non positivae. Unde voluntas positiva conditionata, qua Deus

hoc

hoc malum vult, reipſa eſt effectus benevolentiæ, quæ urget medio unice moraliter ſufficiente noſtram beatitudinem. Voluntas vero permittens abſolute eſt effectus iuſtitiæ divinæ (de quo infra ſuo loco) quæ non debet cum damno ipſorum electorum, qui ſupplicii timore intra limites recti uſus liberi arbitrii continentur, reprobos ſuapte ſponte ruentes in interitum eximere a malo, in quod ipſi ſeſe cum totius divinæ bonitatis, abſolutæ, & reſpectivæ, imo & Iuſtitiæ, contemtu deliberato ſe præcipitant.

§. 455.

VII. *Deus, quæ abſolute intrinſece impoſſibilia ſunt, velle non poteſt.* Hæc enim nec bona ſimpliciter ſunt hoc ipſo, quod non poſſibilia: ergo multo minus vera bona ſunt (§. 4. not. Ont.).

§. 456.

VIII. *Deo non convenit appetitus ſenſitivus,* quippe qui non niſi ex confuſa cognitione naſci, & in apparens bonum æque ac verum tendere poteſt (§§. 237. 206. Pſych.).

§. 457.

In Deum nulla cadit moleſtia, ſive tædium moleſtiam afferens. Deus enim ſeipſum conſcientia adæquata intuendo videt perfectionem infinitam cum voluptate infinita ſine ulla imperfectione (§§. 65. 66. 68.), atque adeo ſine ullo tædio, quod non niſi ex intuitu imperfectionis exiſtit (§. 205. Pſych.). Etſi porro Deus infinita ſua ſcientia ſimplicis intelligentiæ etiam videat diſtincte omnem imperfectionem poſſibilem rerum finitarum, tum vero etiam ſcientia media directa omnem imperfectionem moralem creaturarum omnium rationalium poſſibilium conditionate futuram, ac demum ſcientia viſionis etiam abſolute futuram earum, quæ in toto huius mundi ſyſtemate comprehenditur; qui intuitus tædium ſeu moleſtiam per ſe formaliter conſi-

cere videtur (§. cit. Pſych.): tamen ſumma & infinita voluptas, qua Deus in ſe ipſo omnem illam perfectionem perpetuo & immutabiliter intuetur (§§. 58. IV. 66. 68.), cuius aliquis defectus imperfectionem quamcunque creatam conficit, obſtat plane, quo minus tædium ſeu moleſtia omnino locum in Deo habere queat.

* Nimirum nos homines, imperfectionem quamcunque actu intuentes, perfectionis oppoſitæ diſtincto intuitu eodem momento prorſus caremus, atque hæc ipſa voluptatis oppoſitæ, & eodem tempore ſaltem confuſe cognitæ (§. 205. not. Pſych.) iactura nobis revera moleſta eſt. Contra Deus referendo cognitionem imperfectionis creatæ ad ſuam infinitam perfectionem in ſe ipſo præſentem perpetuo habet voluptatem infinitam, atque adeo diſtinctum intuitum illius ipſius perfectionis, quam non reperit in creaturis: adeoque ea ipſa voluptate nequaquam caret omnino. Sic neque nos tum quidem ex intuitu imperfectionis alienæ moleſtia, ſed voluptate potius tanto maiore, afficimur, ſi perfectionem illi e diametro oppoſitam ſimul eodem momento in nobis præſentem animo advertamus. Unde data tædii definitio (§. cit. Pſych.) de tali imperfectionis intuitu intelligenda eſt, quæ nullo alio oppoſitæ perfectionis ſimultaneo diſtincto intuitu elidatur. Sic viciſſim ea voluptas, ſeu intuitus alienæ perfectionis, quæ cum intuitu propriæ imperfectionis oppoſitæ coniungitur, potius nobis moleſta quam iucunda eſt.

§. 458.

I. *Tædium Deo non alio ſenſu tribui poteſt, niſi quatenus communem nobiſcum habet imperfectionis alienæ intuitum, ſed ab omni moleſtia ſeiunctum.* Sequitur ex dictis §. præc.

II. *Hoc ipſo formali ſenſu & conceptu, nec aliter, Deo odium diſplicentiæ ex quacunque imperfectione creaturæ cuiusque tribuendum eſt* (§. 242. Pſych.).

§. 459.

Voluptas Dei, beatitudinem absolute summam conficiens (§§. 84. 86. I.), *non modo immutabilis, sed etiam invariabilis est.* Deus enim sibi ipse sufficientissimus per essentiam & a se ipso est, quin re ulla extra se ad beatitudinem suam absolute summam indigeat (§. 86. II.): ergo non modo immutabilis, sed absolute necessaria, adeoque & invariabilis est voluptas illa, quæ beatitudinem ipsius absolute summam conficit.

§. 460.

I. *Itaque perfectionis creatæ cuiuscunque de se variabilis intuitus, e. g. boni moralis a creaturis rationalibus exerciti, tam parum novam Deo iucunditatem seu voluptatem affert, quam imperfectionis creatæ intuitus eidem affert molestiam* (§. 457.): quidquid enim in tali intuitu voluptatis per se inest, iam gradu immensum maiore continetur in voluptate illa, quam Deus ex sui ipsius intuitu capit (§. 68.).

II. *Voluptas ergo ex bono creato quocunque Deo haud aliter item tribui potest, quam quoad communem nobiscum habet perfectionis creatæ cuiuscunque & quidem distinctissimum intuitum; quin tamen ab istius præsentia, vel defectu, quidquam in eius absoluta beatitudine varietur.*

III. *Hoc ipso formali sensu, nec aliter, Deo amor complacentiæ in bono quocunque creaturæ, quoad id ab ipsius Dei bono distinguitur, tribuendus est.*

§. 461.

Affectus Deo aliter tribui non possunt, nisi quatenus distincta boni ac mali cognitio in ipso est ratio possibilitatis volitionum ac nolitionum, perinde atque in nobis cognitio boni ac mali confusa est ratio possibilitatis respectu affectuum (§§. 230. 241. Psych.). Cum enim affectus sint actus appetitus sensitivi (§. 241. Psych.);

 idcirco

idcirco Deo proprie tribui non possunt (§. 456.). Attamen volitiones & nolitiones divinæ in hoc cum affectibus nostris reipsa, & quidem unice, similitudinem habent, quod illæ cognitionem boni & mali distinctam a priori, i. e. ceu rationem motivi habentem, supponant (§§. 235. 356.) perinde atque affectus nostri cognitionem eiusdem confusam (§. 230. Psych.). Itaque cum ea, quæ improprie alicui tribuuntur nomina seu termini, ob similitudinem inter ipsum & rem proprie per ea significatam intercedentem præcise tribuantur (§. 75. Log.), verum est, affectus Deo aliter non posse tribui &c. &c.

* Nimirum etiam in hominibus affectus, si ratione regantur, & ex distincte cognito motivo bonitatis obiectivæ eliciantur, *virtutes* appellantur, *vitia* vero, si insuperhabito contrario ac distincto rationis dictamine præcise appetitus sensitivi confusum stimulum animus sequatur: ita in Deo quoque, qui appetitus sensitivi æque ac omnis vitii est incapax, non nisi affectus rationi prorsus conformes, & cum virtutibus nostris magis quam cum affectibus proprie talibus (qui rationem videlicet præveniunt §§. 241. 282. Psych.) similitudinem habentes locum habent.

§. 462.

Desiderium Deo eodem sensu quo amor benevolentiæ erga creaturas rationales, & quidem pro huius varia efficacia item varium, tribuendum (§§. 372. 376. 388. 392. 393.). Ambo enim non sunt nisi promtitudo aut conatus voluntatis divinæ, varie efficax, ad præsentem reddendum creaturæ rationali distinctum sui ipsius ceu summi boni æternum intuitum, quo illa beata futura est (§. 244. Psych. & §. 92.).

§. 463.

Gaudium Dei erga nos benevolum in continuata voluntate effective efficaci consistit, qua Deus media beatitudinis

titudinis consequendæ cum effectu semel collata, & ipsam beatitudinem semel actu collatam, creaturæ suæ rationali cum voluptate conservat, atque adeo Deo proprie tribuitur (§. 244. Psych.). Alias nempe independenter ab his ostendemus, Deum voluptate sua, sicut creavit, & fecit omnia, quæ vere bona sunt, sic & conservare.

* Nimirum tam desiderium boni nostri ut adhuc absentis, quam gaudium de eodem præsente, proprius ac formalis actus amoris benevolentiæ est (§. 255. Psych.).

§. 464.

Affectus odii, seu aversationis, qui feruntur in malum aliquod ut proprium ipsi aversanti (§. 242. Psych.), *Deo nullo pacto conveniunt, atque adeo hoc sensu nec tristitia, nec fuga mali, nec timor, nec alius affectus, qui ex his componatur* (§§. 244. seq. Psych.), *recte tribui Deo potest.* Neque enim in ente infinite bono, perfecto, & beato mali conceptus ullus verus possibilis est eiusmodi, quo malum quoddam ut ipsi proprium, aut ipsi nocivum, concipiatur.

§. 465.

Tristitia expers molestiæ de malo alieno præsente (§. 457.), *quæ ab amore benevolentiæ erga creaturas rationales imperetur, atque idcirco commiseratio dicitur* (§. 260. Psych.), *& in voluntate seria seu conatu abrumpendi præsentem malorum moralium in creaturis rationalibus intuitum consistit, recte Deo tribuitur.* Haud dubie enim Deus in præsentia mala moralia odio displicentiæ fertur, omnis tamen molestiæ experte (§. 458. II.), atque pro sua in creaturas rationales benevolentiæ ea non modo perpetrari non vult, sed etiam iam perpetrata vult continuo dimitti, & meliore abusu libertatis emendari. Atqui hæc omnia tristitiæ, seu commiserationi ab amore benevolentiæ imperatæ, sunt propria; ut ex citt. §§. Psych. perspicuum est.

§. 466.

Odium malevolentiæ Deo haud aliter tribui potest, quam quatenus ex odio displicentiæ erga malum morale, ceu beatitudinis æternæ creaturarum rationalium absolutum impedimentum (§. 204.), *voluntate positiva conditionata decernit supplicia æterna intentare* (§. 422.) *ceu media & motiva absterrentia ab illo* (§§. 198. 206. seq.), *& post abusum libertatis a creatura his insuper habitis admissum eventum absolutum suppliciorum illorum sine ulla propriæ absolutæ beatitudinis iactura, & sine commiseratione ulla, ac sine omni molestia propria exinde concepta* (§. 457.), *permittit* (§. 423.). Deus enim vi voluntatis antecedentis necessariæ omnes creaturas rationales ex æquo perfectissimo amore benevolentiæ amat (§. 372.), eodemque ipsis omnibus ex æquo summam beatitudinem respectivam, per boni moralis exercitium acquirendam vult. Ergo hoc ipso ex malo morali in eisdem prævisо inprimis odium displicentiæ (citra molestiam tamen suam §. 457.) concipiat necesse est; a quo proin ad decernenda positiva voluntate supplicia, id est, ad volendum ipsis saltem conditionate malum physicum, movetur, quod odii malevolentiæ proprium est (§. 255. Psych.). Differt tamen hoc Dei odium malevolentiæ in eo a nostra malevolentia; quod hæc malo præsente illius, quem odimus, voluntate positiva gaudeat, Deus vero effectum suæ voluntatis conditionatæ, i. e. supplicia æterna, ut *absolutum* deinceps consequenter ad abusum libertatis creatæ solum permittat (§§. 421. 422.); quin ullam ex eo positivam capiat molestiam, aut commiserationem, i. e. positivam voluntatem eam porro abrumpendi (§. præc.).

* Ex modo dictis etiam facile intelligitur, quo sensu Deo *irrisio* erga reprobos iam damnatos tribuatur, quæ per §. 260. Psych. est gaudium de alterius opprobrio, ab eius

eius odio imperatum. Nimirum hoc quoque Deus, quin ullam inde ipse capiat molestiam, ex prædicto odio permittit.

** Exemplum odii malevolentiæ divinæ habes in iudice humano puniente malefactorem, quem tamen proprie odisse malevolentiæ odio dici haud potest.

§. 467.

Nulla prorsus in Deo invidia locum habet. Est enim hæc tristitia de præsente felicitate illius, quem odio malevolentiæ odimus (§. 260.). Atqui nullum in Deo odium malevolentiæ locum habet, nisi aliquo modo erga reprobos, qui felicitate vera nunquam potiuntur. De cetero omnes creaturas rationales amat benevolentiæ amore, summamque ipsis vult beatitatem (§. 372.). Ergo nulla prorsus in eo habere locum invidia potest.

§. 468.

Rectitudo entis vocatur consensus determinationum eius absolute variabilium cum invariabilibus in ratione boni. Porro rectitudo determinationum variabilium enti non liberarum *rectitudo physica*, rectitudo vero determinationum variabilium, seu actionum, liberarum, *rectitudo moralis* appellatur. Utraque *respective summa rectitudo* in quovis ente est, si nulla determinatio variabilis, non libera, vel libera, in ratione boni dissentiat a bono entis invariabili; *absolute summa rectitudo* denique dicitur, qua nulla maior possibilis absolute in ullo ente.

§. 469.

I. *Rectitudo entis cum perfectione accidentali coincidit* (§§. 88. 89. Ont.).

II. *Rectitudo moralis a bonitate morali non differt, atque idcirco in ente libero creato totidem eius species, quod species bonitatum moralium, circa illius actiones liberas discerni, ac distingui possunt* (§. 172.).

III. *Ens creatum summa respective rectitudine physica rectum est, quod habet omnem perfectionem physicam accidentalem, cuius in suo genere capax est* (§. 89. I. seq. Ont.).

IV. *Ens creatum rationale liberum summa respective rectitudine morali rectum est, quod habet omnem perfectionem seu bonitatem moralem actionum suarum liberarum, cuius est absolute capax, adeoque non solum naturalem, absolutam & respectivam, sed etiam theologicam, tam obiectivam, quam formalem* (§. 172. n. seqq.).

§. 470.

In Deo datur rectitudo absolute summa tam physica quam moralis. Variabiles enim determinationes, quae Deo insunt, vel sunt actus intellectus eius contingentes, uti scientiae mediae directae, reflexae, & scientiae visionis absolutae contingentium, vel sunt actus voluntatis eiusdem liberae. Atqui tam actus intellectus consentiunt cum invariabili perfectione infinita essentiae divinae, ceu absolute veri, quam actus voluntatis liberae consequentis scientiam mediam directam (§. 334.), ceu qui nunquam non consentiunt cum voluntate antecedente summe benevola & per essentiam infinite perfectam determinata (§§. 381. 368. 370.). Praeterea non est possibilis alia rectitudo maior; quia nec ullus possibilis intellectus, qui aeque omnia contingentia etiam libera, conditionate & absolute futura ab aeterno cognoscat (§. 320. seqq.), nec voluntas, sine cuius influxu aut permissione aeque nihil contingens eveniat (§. 386.).

§. 471.

Acquiescentia, cum non sit nisi gaudium de rectitudine actionum suarum morali (§. 260. n. 2. Psych.), *Deo in summo gradu & proprie tribuenda est* (§. praec.).

§. 472.

Gloria, seu gloriatio, Deo recte tribuitur; quatenus sine amore concupiscentiæ (§. 88.) voluptatem, i. e. amorem complacentiæ (§. 108. not 2.) & gaudium (§. 463.) percipit ex vero ac eximio de se suisque actionibus rectissimis (§. 470.) iudicio creaturarum illarum rationalium, quas beatitudinem cum sui gloria inseparabiliter coniunctam actu consecuturas prævidet (§§. 397. II. 104. 108.). Vide §. 260. n. 2. Psych.

§. 473.

Pænitentia, cum sit tristitia de memoria præsente non recte, seu male, a nobis actorum (§. 260. n. 2. Psych.), atque adeo acquiescentiæ opponatur (§. 471.), *Deo in sensu proprio tribui nullo pacto potest,* ob rectitudinem actionum illius absolute summam. *Tribui ergo solum eatenus improprie Deo potest, quatenus Deus media sufficientia beatitudinis acquirendæ, quæ actu reprobis conferre decrevit; ob prævisum eorum abusum eisdem denique subtrahere, eorumque infelicitatem æternam voluntate consequente permittere decernit, quos voluntate antecedente salvos esse serio volebat.* Quod enim improprie tribuitur, ob similitudinem aliquam tribuitur, quæ inter id, quod tribuitur, & cui tribuitur, intercedit (§. 75. Log.). Atqui hæc sola similitudo inter affectum pœnitentiæ creaturis rationalibus post male acta convenientem & Dei agendi modum intercedit, quod, cum nos in ipsam malam voluntatis actionem iuxta atque eius effectus nobis imputandos tristitia feramur, vicissim Deus, qui nec malæ voluntatis est capax, nec auctor malorum effectuum, qui ex rebus a se decretis abusu libertatis creatæ consequuntur, præcise ob prævisos ex parte libertatis creatæ malos effectus rectissimæ suæ & summæ benevolæ voluntatis ab æterno decernat voluntate consequente sine omni decretorum

torum ſuorum mutatione aliquid permittere, nempe interitum reproborum, cuius oppoſitum voluntate antecedente ſeria deſiderabat (§. 462.).

§. 474.

Hilaritas, quæ eſt gaudium de mali fine præſente, *& faſtidium*, quod eſt odium diſplicentiæ ex eo conceptum, quod antea placebat, quatenus in malum & bonum creaturæ rationalis mutabile ſine ulla ipſius Dei ac voluntatis divinæ mutatione feruntur, *Deo improprie tribui poſſunt*, cum in nobis ſine ipſius voluntatis mutatione proprie non eveniant (§. 260. n. 2. Pſych.). *Riſus* vero *in Deo aliud non eſt quam ipſe immutabilis beatitudinis ſuæ abſolutæ intuitus cum tædio de malitia morali & infelicitate æterna reproborum citra ullam ſuam moleſtiam compoſitus* (§§. 457. 458. 460. I.). Hoc ſolum enim Deo commune eſt cum affectu humano, quem riſum dicimus (§. cit. Pſych.), & qui non eſt niſi gaudium de noſtra perfectione ex compoſito cum aliena imperfectione magis relucente.

§. 475.

Pudor, ſeu triſtitia ex aliorum de nobis ſiniſtro iudicio, *gratitudo* alterius erga nos benefacti complacentiam importans, cum aut damnum, aut beneficium, ex alieno facto in nos redundans, in ſuo formali conceptu involvant, quorum neutrum in Deum cadere poteſt, *Deo tribui omnino non poteſt* (§. cit. Pſych.).

§. 476.

Ex affectibus compoſitis (§. 245. Pſych. ſeq.) *ſpes, timor, deſperatio, audacia*, ceu evidentiam ſaltem de futuro bono aut malo a ſuo conceptu formali excludentes, *Deo tribui nequeunt*, qui rerum omnium evidentem ſcientiam habet. Quodſi omnem incertitu-

titudinem tollas a ſpe, timore &c., affectus iſti a ſimplici deſiderio & fuga non differunt.

§. 477.

Zelus eſt ira, ceu affectus compoſiti heterognei, ex gaudio & fuga, ex tædio & deſiderio, *ab amore benevolentiæ erga creaturas rationales imperati, & ab omni* ſimul *moleſtia ſeiunctio* (§§. 458. 462. 463. 465. & §§. 248. 249. Pſychol.) quorum uno Deus gaudet de bono præſente creaturæ rationalis tanquam apto ad eam diſponendam verſus creationis finem ultimum, & voluntate ſeria vult eius iacturam impedire; ac quorum altero averſatur odio diſplicentiæ malum illius præſens eam a fine ultimo avertens, & idem vult voluntate ſeria per media moraliter ſufficientia, nempe per ſupplicia æterna non emendantibus ſeſe conditionate intentata, amoliri, *recte Deo tribuuntur. Cupiditas vindictæ* vero (§. 260. n. 1. Pſych.) *in Deo non eſt niſi voluntas permittens abſolutum eventum æternorum ſuppliciorum* (§. 423.) *ab ira Dei omnis moleſtiæ experte*, i. e. a voluntate amoliendi mala moralia creaturæ rationalis, a fine ultimo impedientia, *reipſa imperata, & abſolutam impœnitentiæ creaturæ rationalis prævisionem conſequens.*

§. 478.

Deus omnia, quæcunque vult, ſeu non vult, vult, & non vult ab æterno. Etenim omnium omnino rerum omnigena ſcientia (§. 352.) & ipſa facultas volendi ad extra (§. 369. II.) ceu Deo eſſentialis, unaque conſilium infinite perfectum (§. 451. III.) neceſſario ineſt Deo ab æterno exiſtenti (§. 58. III.), adeoque eidem adſunt ab æterno omnia requiſita, & omnes rationes poſſibilitatis æque ac exiſtentiæ reſpectu quarumvis poſſibilium volitionum, & nolitionum: ex altera parte Deus per eſſentiam intrinſece immutabilis eſt (§. 58. IV.), adeoque, ſiquid

quid vult, vel non vult, ab æterno actu voluit, & noluit, aut hoc ipſo porro idem velle, aut non velle, amplius non poteſt; ſiquidem ſecus hoc ipſo nova volitione, aut nolitione, nunc exiſtere incipiente, quæ prius non fuerat, ceu actu per ſe immanente, neceſſario intrinſecus mutaretur. Quidquid ergo vult, aut non vult, ab æterno vult, aut non vult.

§. 479.

I. *Deus omnia, quæ vult, aut non vult, ſimul vult ſine actuum ſucceſſione:* ſecus enim hoc ipſo mutaretur, nec omnia vellet, & nollet ab æterno (§. præc.).

§. 480.

II. *Voluntas Dei eſt merus actus ſecundus, quin ulla detur in Deo facultas, quæ ſit aliquando in mero actu primo ſine actu ſecundo.* Quidquid enim vult, & non vult, ab æterno vult, & non vult, nec porro aliud velle poteſt, ſicut nec poteſt mutari. Facultas ergo volendi ab æterno ita fuit in actu ſecundo, ut iam alius aliquando actus ſecundus porro poſſibilis non ſit. Atqui ad actum ſecundum impoſſibilem actus primus nullus poſſibilis eſſe poteſt.

§. 481.

III. *Voluntas Dei variabilis quidem eſt, at ipſa quoque prorſus æque immutabilis eſt, ac Deus ipſe.* Poterat enim voluntas conſequens, ceu liberrima (§. 377.), quæ nunc Deo ineſt ab æterno, de hoc mundo creando (§. 378.) non ineſſe, atque poterat loco eius ineſſe nolitio creandi hunc mundum, adeoque variabilis eſt voluntas Dei quoad actus ſuos conſequentes (§. 47. Ont.). At poſtquam ab æterno ineſt hæc voluntas Deo, alia iam ei ineſſe porro non poteſt (§. 478.): ergo immutabilis eſt æque ac ipſe Deus.

§. 482.

IV. *In Deo non distinguuntur realiter plures actus voluntatis, sed realiter idem est voluntas necessaria, qua Deus amat seipsum* (§§. 69. 70.), *& voluntas libera consequens, qua voluit ab æterno creationem istius mundi* (§§. 377. 378.). Cum enim hæ ambæ voluntates compossibiles in Deo sint, contradictione, hoc est, realis distinctionis charactere, evidenter carent (§. 62. Ont.).

§. 483.

V. *Itaque Deus omnia, quæcunque vult, vult reipsa uno realiter actu* (§. præc.); 2. *Et si spectetur ut multiplex in suis decretis* (§. 431.), *hoc non fit nisi respectu diversitatis ac multiplicitatis obiectorum volitorum, & modi eadem decernendi* (toto Art. I. & II.).

§. 484.

Neque præscientia Dei, neque voluntas, etsi sit ob præscientiam infallibiliter efficax (§. 374.), *tollit libertatem actuum voluntatis humanæ. Non præscientia:* hæc enim vel est media directa, videns solam futuritionem conditionatam eorundem; & hæc logice impediri ab ipsa libera voluntate creata potest, quatenus possibilitas veritatis eiusdem potest impediri (§. 347. 348. seqq.): vel est scientia visionis absoluta, videns eorundem futuritionem absolutam; & hæc scientia media directa tanquam sui parte aliqua constat (§. 332.) adeoque iuxta atque illa ab ipsa voluntate creata libera impediri potest. *Non voluntas*, etiam infallibiliter efficax; siquidem nec ista est ratio adæquata, sed solum partialis, ultima (§. 386.) respectu actuum liberorum voluntatis creatæ, qui semper sunt partialis ratio ultima sui ipsorum (§. 329. not. Psych.); nec quæcunque scientia, media directa, & naturalis, prælucens voluntati divinæ consequenti, qua voluit creare hunc mundum

dum (§§. 371. 378.), aliud eſt quam præciſe ratio poſſibilitatis iſtius voluntatis infallibiliter efficacis, neque adeo efficit, quo minus voluntatis liberæ creatæ actus adhuc ſit partialis ratio ſui ultima, hoc eſt, perfecte libera.

§. 485.

Voluntas perfectiſſima omnium eſt, quæ & ipſa cum gaudio infinito fruitur beatitudine abſolute ſumma (§. 84.), & omnibus ex æquo creaturis rationalibus ita ſerio vult beatitudinem reſpective ſummam, ut, ſi iſta non reipſa omnibus obtingat, iſtius ratio ultima nequaquam ſit defectus aliquis aut imperfectio voluntatis.

* Enimvero talem voluptatem ita fore optimam, ut ea melior cogitari non poſſit, facile eſt intelligere. Tametſi enim forte facultas poteſtatis in ea deſiderari poſſe non nemini videatur, tamen id genus voluntati ipſi nihil addi perfectionis poteſt, quod eam in genere voluntatis benevolæ reddat perfectiorem. Interim nec facultatis, ſeu potentiæ defectui alicui id ipſum in Deo tribui poſſe infra §. oſtenditur.

** Ill. Wolfius ſupponit perpetuo, exiſtentiam boni creati omnium abſolute poſſibilium maximi a ſola Dei, & non item a rationalium creaturarum libera voluntate, ceu a ratione partiali ultima, pendere; uti vel ex ſolo §. 522. eiusdem Theol. Nat. P. I. patet. Idcirco iam in Pſychol. Rat. §. 650. *voluntatem perfectiſſimam*, Deo propriam, definiit eſſe eam, quæ non appetat niſi optimum; & ex hoc principio inprimis infert, mundum ſecundum ſe in ratione boni phyſici optimum actu a Deo productum eſſe. Enimvero, ſi libertatem, non mere Wolfianam, ſed veram in hominibus aliisque creaturis rationalibus admittas, continuo facillime intelliges, plurimos actus liberos moraliter bonos poſſibiles eſſe, quin tamen etiam penes voluntatem Dei ſtet, ut illi unquam ſint, aut conditionate, aut abſo-

lute,

lute, futuri. Itaque & multiplex beatitudo, instar boni moralis & libertatis bono usu acquirenda, possibilis erit, quin per solam Dei voluntatem stet, ut eadem existat absolute; adeoque abs defectu ullo aut imperfectione benevolæ Dei voluntatis contingere potest, ut eadem reipsa nunquam existat.

§. 486.

Voluntas Dei est perfectissima omnium, vereque infinite perfecta. Deus enim voluntate sua reipsa fruitur beatitudine absolute summa (§. 86.) cum gaudio infinite perfecto (§§. 69. 70.), simulque omnibus ex æquo creaturis rationalibus vult beatitudinem respective summam voluntate antecedente (§. 373. I.) eaque tam seria, ut, quo minus illa actu respectu omnium in hoc mundi systemate comprehensarum creaturarum rationalium actu existat, nequaquam ratio ultima sit aliquis defectus ex parte voluntatis divinæ (§§. 394. 395.); sicuti neque respectu creaturarum rationalium non nisi in alio mundo possibili extiturarum ratio ultima, cur nunquam existat earundem beatitudo, est aliquis defectus similis voluntatis Dei benevolæ; siquidem in Deo nolitio cuiusque mundi creandi non est minus respective bona quam eiusdem creandi volitio (§. 246.); sed ratio hæc ultima potius est præscientia eventuræ ex talis mundi creatione infelicitatis æternæ quam plurimarum creaturarum rationalium in tali mundo comprehendendarum (§. 242. II.). Itaque voluntas Dei reipsa omnium perfectissima est (§. præc.), & vere infinita; cum nec addi hoc ipso eidem absolute perfectio aliqua, nec defectus aliquis, ceu limes, locum habere possit.

§. 487.

Voluntas Dei, utut omnium perfectissima, tamen nec id, quod ex omnibus rebus finitis possibilibus opti-

mum est, necessario voluntate absolute efficaci (§.388.) *appetit, nec istius mundi contingentiam absolutam tollit.* Voluntas enim Dei antecedens, qua vult summam omnium beatitudinem in abstracto (§. 371.), non est, neque intrinsece, neque infallibiliter, efficax (§§. 374. 375.). Voluntas Dei consequens est nihilominus vere & proprie liberrima (§. 373. III.) tum quoad decretum aliquem mundum creandi simpliciter, tum quoad decretum hunc præ alio creandi, posito, quod aliquem creare velit (§§. 236. 237. 238.). Sive ergo hic ipse, sive alius quis mundus possibilis, sit optimus, seu nullus sit omnino possibilis, qui sit ita optimus, ut parem bonitate non habeat; nec hunc, nec alium quemvis optimum mundum Dei voluntas licet perfectissima (§. præc.) vult necessario, sed contingenter (§. 245.); ac proin etiam, cum hunc mundum voluntate hac perfectissima creare actu voluit, nihil hæc mundi istius contingentiæ omnimodæ obstare potest.

§. 488.

Repræsentatio optimi est quidem motivum voluntatis divinæ hoc sensu proprium, ut, quoties vult, nunquam minus bonum præ maiore in actu secundo æque possibile velit; sed non ita est motivum absolute determinans Dei voluntatem ad volendum, ut aut necessario aliquid velle agere ad extra, aut ut, cum vult libere agere ad extra, unum determinate velle, debeat. *Primum* enim si abesset in Deo, voluntas minus bonum præ maiore in actu secundo æque possibili volens sine defectu respectivæ bonitatis concipi profecto in Deo non posset, qualis in Deum omnimodis infinite perfectum non cadit. *Alterum* eo patet; quia Deo etiam ad optimum ex rebus finitis, ceu nunquam non gravissimis malis commixtum, motiva idem nolendi non desunt (§. 236.); tum vero quia probari nequaquam potest, non plura id genus optima, ceu æque bona, possibilia a Deo prævideri.

§. 489.

§. 489.

Voluntas Dei prorſus independens eſt, ab obiectis creatis volitis. Nec enim ab alio principio omnis eius actus proficiſcitur niſi a ſcientia Dei infinite perfecta, & independente (§. 346. ſeqq.) proponente motiva volendi, ceu a principio materiali, & ab appetitu ſeu facultate duplici volendi eſſentiali (§. 369.) ceu a principio efficiente, & ex parte a ſe ipſo ceu ratione partiali ultima, quoties liber eſt (§. 385.). Ergo &c. (§. 197. Ont.).

* **Unde, etſi Deus ad volendum moveatur etiam ab obiectis creatis (§. 108. not. 2. n. 2.), non tamen id imperfectionem in Deo arguit.**

§. 490.

Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus, ſeu infinite perfectus. Spiritus enim eſt ſubſtantia intellectu & voluntate prædita (§. 412. Pſych.), eoque eſt perfectior, quo perfectiore intellectu & voluntate præditus eſt. Atqui Deus tam intellectu (§. 67.) quam voluntate (§. 486.) infinite perfectis præditus eſt. Ergo &c.

CAPUT V.
DE OMNIPOTENTIA DEI.

§. 491.

Omnipotentia eſt vis completa agendi & efficiendi actione ad extra omnia, quæcunque & quatenus intrinſece poſſibilia ſunt, vel ſub ratione cauſſæ immediatæ ſeu proximæ, vel ſaltem ſub ratione cauſſæ ultimæ, ſeu primæ (§§. 259. 261. Ont.).

§. 492.

Datur in Deo omnipotentia, quæ per ſe eſt potentia infinita. Datur enim in Deo vis agendi ad extra infinita (§. 75.). Atqui non eſſet infinita, ſi in ea

deficeret vis vel unum aliquod intrinſece poſſibile efficiendi. Ergo hoc ipſo datur in Deo vis agendi ad extra ad omnia poſſibilia ſe extendens, quam omnipotentiam dicimus (§. præc.), hæcque proin per ſe in Deo eſt vis, ſeu potentia, infinita (§. 217. Ont.).

§. 493.

I. *Deus poteſt mundos omnes poſſibiles ſingillatim producere iuxta, atque hunc produxit*, hoc ipſo nempe, quod ſint intrinſece poſſibiles (§. 260. Cosmol.).

II. *Deus poteſt efficere, quidquid vult.* Non enim vult, nec velle poteſt, niſi quod poſſibile eſt (§. 455.): atqui poſſibilia omnia, ceu omnipotens, efficere poteſt (§. præc.).

III. *Deus plura facere poteſt, quam vult, imo quam ſimul velle poteſt.* Ex huius ipſius enim mundi elementis plures alii & ab hoc diverſi mundi, non quidem ſimul, ſed ſeorſum, componi poſſent, quos omnes ſeorſim efficere Deus, at non ſimul velle, poteſt; cum nec ſimul compoſſibiles ſint plures mundi ex eisdem elementis compoſiti (§. 260. Cosmol. & hic §. præc.).

IV. *Deus plura facere poteſt, quam homo quiscunque intelligere valeat.* Neque enim vel unius mundi iſtius perfectio a poſteriori (§. 272. Cosm.) ac multo minus a priori, ab ullo homine perfecte cognoſci poteſt: cum tamen Deus non hunc modo, ſed quemvis alium mundum efficere poſſit.

§. 494.

V. *Deus poteſt facere miracula, quotiescunque, & quæcunque velit.* Etenim & miracula per ſe poſſibilia ſunt (§. 296. Cosm.), & Deus efficere poteſt, quidquid poſſibile eſt, & quidquid vult (§§. 492. 493. II.)

VI. *Deus ergo poteſt facere, quæ vim naturæ excedunt* (§. 288. Cosm.), *poteſt contra naturæ leges agere*

agere (§. 295. not. Cosm.), *ac mundi iſtius ordinem, ſeu ſeriem eventuum, pro lubitu mutare.* (§§. 299. 300. Cosm.).

§. 495.

Deus ea, quæ intrinſece impoſſibilia ſunt, efficere non poteſt. Quæ enim intrinſece impoſſibilia ſunt, exiſtere non poſſunt (§. 32. III. Ont.) adeoque nec effici abſolute, i.e. ad exiſtendum determinari (§§. 204. 205. Ont.).

§. 496.

I. *Deus non poteſt facere contradictoria.*

II. *Impotentia faciendi impoſſibilia non arguit defectum potentiæ.* Eſt enim ipſa non ens, ceu contradictionem involvens.

III. *Deus nullum ens finitum ſine ſuis limitibus eſſentialibus, ac proin nec mundum ſine malo eſſentiali, facere poteſt; quin iſtud quoque ullum in eius omnipotentia defectum arguat.* Quæ enim eſſentialia ſunt, abſolute nec mutari, nec tolli ab ente poſſunt. Vide §§. 113. 114.

§. 497.

Deus abſolute mundum absque omni malo phyſico & morali producere poteſt. Omne enim malum phyſicum eſt malum accidentale (§. 111.) i. e. tale, quod ineſſe, vel non ineſſe poteſt ſubiecto ſuo, eſtque defectus boni accidentalis ſubiecto ſecundum ſe compoſſibilis (§§. 49. 52. II. IV. Ont.). Atqui Deus poteſt facere omnia poſſibilia (§. 492.): ergo & mundum, qui habeat omnia bona ſibi compoſſibilia abſolute, i. e. expertem omnis mali phyſici: *quod primum.* Porro malum morale ex prævia libertate, non mere in actu primo remoto, ſed proximo, oritur (§. 111.), & hæc, ſi ſit libertas ad malum morale poſitivum, ipſa eſt malum phyſicum (§. 137.) adeoque tolli ipſa æque, ac ipſum cum illa malum morale poſitivum e mundo per Dei omnipotentiam

 ſecun-

secundum modo demonstrata potest. Quodsi sit libertas ad malum mere negativum, est quidem bonum verum physicum (§. 136.), sed idem tamen accidentale (§. 111.), simulque ex obscura cognitione, bonum verum confuse proponente, & ex difficultate nascitur, quæ motivi absterrentis rationem habet (§. 124.): atque adeo succedente cognitione distincta, & facilitate per ipsos frequentatos actus acquisita, in necessitatem verti (§§. 127. 129.) atqui ita malum morale etiam mere negativum tolli e medio potest. Quod autem absolute possibile, id omne etiam per se immediate efficere, ut existat, Deus potest: *quod erat alterum.*

* Supra §. 117. not. diximus, ad hoc, ut mundus aliquis *natura sua* careat omni malo physico, aliis elementis, quæ præsentibus perfectiora sint, aut perfectiore præsentium compositione, opus esse. Supernaturali autem virtute omnipotentiæ divinæ & per multiplicata miracula malum physicum & morale a quovis mundo tolli posse ex præsente §. & ex §. 122. manifestum est.

§. 498.

I. *Præsens ergo istius mundi status non est omnium possibilium, quorum capax is est, statuum optimus;* siquidem is malis physicis & moralibus innumeris abundat.

II. *Melior ergo istius mundi status evidenter possibilis est;* in quo nimirum mala accidentalia omnia absint, bonis accidentalibus oppositis per Dei omnipotentiæ virtutem substitutis in eorum locum.

§. 499.

Motivum ergo decens Deo suppetere debuit, cur hunc permittere mundi istius accidentalem deteriorem statum præ meliore alio possibili voluerit. Nihil enim in mundo contingit, nisi Deo aut prædefiniente, aut permittente (§. 434.); porro mala Deus positive

non

non vult (§§. 119. 166.), adeoque ſolum permittit (§. 211.), ſciens tamen, ac volens (§§. 271. 386.). Iam vero Deus nihil vult ſine aliquo motivo ipſius amorem benevolentiæ erga rationales creaturas condecente (§. 235.). Itaque etiam decens motivum Deo ſuppetere debuit, cur &c. &c.

§. 500.

Mala phyſica per ſe in ordine mere phyſico etiam relate ad totum mundum ſunt vera mala, nec niſi bono uſu libertatis mediante per accidens verti poſſunt in inſtrumenta maioris boni. 2. Idem valet de malis moralibus. Etenim mala phyſica effectus negativi ſunt imperfectionis mundo eſſentialis (§. 117.) adeoque totam mundi eſſentiam imperfectiorem ſupponunt, quam ea eſſet, ſi malis phyſicis mundus natura ſua careret (§. 497. not.). Sed nec per ſe, ceu negationes, alicuius boni realis cauſſa ſufficiens eſſe poſſunt (§. 7. II. Ont.), nec niſi per accidens bono libertatis circa eadem uſu alicuius boni moralis occaſio (§§. 222. 218.), atque ſic ipſius beatitudinis æternæ origo ſunt (§. 190.): *quod primum.* Porro mala moralia vera quoque & abſoluta mala ſunt eius, a quo admittuntur (§. 131.) ſimulque libertas ad eadem ſaltem poſitive talia malum phyſicum pro origine habet (§§. 134. 137.), nec item, ceu negativum quid, boni per ſe ratio eſſe poteſt, ſed ſolum per accidens ope boni uſus libertatis (§§. 220. 222.), adeoque par illius cum malo phyſico ratio eſt: *quod erat alterum.*

* Inanis ergo eſt demonſtratio Wolfiana (Theol. Nat. P. I. §§. 550. 563.) nec ſublata libertate genuina, quam Ill. Wolfius revera ſuſtulit, excuſari poſſunt mala tam phyſica huic mundo propria, quam quæ ipſe, ſublata licet homini libertate, nihilominus moralia vocat; neque dignus Dei bonitate ac ſapientia finis aſſignari poteſt, cur illa Deus permiſerit. Paralogismus Ill. Wolfii in eo latet, quod

quod is, hunc mundum esse optimum, primo præcise ex natura voluntatis divinæ, non nisi optimum volentis, inferat, atque inde concludat, mala, quæcunque huic mundo insunt, non obstare posse summæ perfectioni illius, eo quod illis insuperhabitis is tamen optimus sit. At impossibile est, ut malum *per se* ratio evadat boni, sed non nisi occasio, seu caussa per accidens boni moralis ope boni usus liberi arbitrii evadere potest (§. 266. Ont.).

§. 501.

Motivum, cur actu Deus mundi istius statum hunc tot malis obnoxium præ meliore alio possibili permittere voluerit, aliud haud esse potuit, quam ipsa aptitudo istius status prævisa ad finem creationis ultimum, nempe ad maiorem sui gloriam & beatitudinem creaturæ rationalis (§. 108.). Finis enim determinat omnes regulas circa usum mediorum (§§. 304. 308. Ont.): Atqui præsens status mundi medium est ad alium statum ceu finem ordinatum (§. 184.), etiam secundum ipsa mala, quibus inficitur (§. 225.).

* Iam supra §. 185. ostensum est, in quo aptitudo præsentis istius status mundi ad finem creationis ultimum consistat, dictumque, consistere eam in usu libertatis, vi cuius Deo liberum nunc exhibentes obsequium, beatitudinem, i. e. statum omnis mali expertem, ope omnipotentiæ divinæ (§. 190.), per modum boni moralis, quod physico bono, cetera æquali, longe est præstantius (§. 132.), acquiramus. Proferant iam illi, qui & libertatem negant homini vere & proprie talem, & Deum tamen non nisi optimum velle facere posse defendunt; proferant, inquam, motivum dignum Deo, cur voluerit tot creaturas rationales in statu tam misero, qualis est præsens istius mundi status, inde ab initio creare.

** Notent vero omnes, qui iuris naturæ disciplinam ad præsentis vitæ status considerationem restringunt (§. 420. not.), in §§. immediate præcedentibus principia tam evidentia de libertate vere tali, & de statu alterius secu-

turæ

turæ vitæ, contineri, ut nihil obſtet, quo minus eisdem vera ſcientia iuris naturæ, accurata methodo demonſtrata, inædificari poſſit. Ut quid ergo in iure naturæ ſiſtimus, quod aliam niſi præſentis vitæ felicitatem propoſitam ſibi non habeat? quaſi vero motiva, quæ alterius vitæ certiſſime ſecuturus ſtatus pro firmanda obligatione legum ad ius naturæ pertinentium longe fortiora multoque magis ſufficientia ſubminiſtrat, non reipſa ad iuris naturæ ambitum pertineant.

§. 502.

Deus ſolus ceu cauſſa efficiens principalis miracula patrare poteſt. 2. Idem tamen etiam cauſſis finitis ad patranda vera miracula ceu inſtrumentis etiam phyſicis vereque efficientibus uti pro arbitrio poteſt. Primum iam §. 292. in Cosmologia demonſtratum eſt. *Alterum* ex eo evidens eſt, quod cauſſa efficiens etiam creata ad modum inſtrumenti phyſici vere efficientis, utique talem motum a Deo accipere queat, cuius ratio ſufficiens in omnibus viribus creatis non inſit, indeque eius motus virtute quid contra omnes naturæ leges ſtatas operari. Uti ſi ſol, aut planeta aliquis, ad motum inſolitum a Deo contra naturæ leges concitus, in planetam alium impelleretur. Vide 260. Ont.

§. 503.

Unde ſi Deus alicui homini miracula patrandi facultatem conferat, is eorundem aut cauſſa mere intentionalis, ſeu moralis, ſeu mere occaſionalis, aut etiam cauſſa efficiens inſtrumentalis eſſe poteſt (§. præc.). Cauſſa mere intentionalis erit, ſi ſolus Deus, non ſolum ut cauſſa principalis (§. 260. Ont.) ſed ut adæquata, virtute completa ſuæ unius omnipotentiæ propria (§. 217. Ont.), effectum miraculi efficiat: & quidem tum homo talis erit cauſſa intentionalis moralis, ſi ſuo aliquo merito & bonitate cognita Deum ad ita agendum moveat (§. 265. Ont.); me-

re occasionalis, si absque aliquo ipsius merito proprio præcise ex eius aliquo facto, ceu a caussa per accidens (§. 266. Ont.), principaliter vero ab alia quadam caussa morali, e. g. a suo promisso olim facto Deus moveatur, ut miraculum efficiat. Contra in utroque casu homo eiusmodi erit caussa instrumentalis physica, si Deus ipso mediante, veluti instrumento physico, per virtutem motricem ipsi immediata omnipotentiæ suæ supernaturali virtute communicatam, effectum miraculi operetur.

§. 504.

Mundus iste, tam prout ex elementis mere corporeis, quam prout ex animabus rationalibus simplicibus compositus est, non nisi creatione oriri potuit. Tam elementa enim corporea, quam rationales animæ simplices substantiæ sunt, simulque entia ab alio (§. 4. Cosm. §. 403. Psych. & hic §. 28. II.). Itaque non nisi ab ente infinito immediate ceu a ratione proxima simul & ultima adæquata produci (§. 232. II. Ont.), i. e. non nisi creatione oriri potuerunt (§. 235. I. Ont.). Quoniam ergo nec mundus oriri nisi ex compositione elementorum potuit, is quoque non nisi creatione elementorum primo existere & oriri potuit.

§. 505.

Mundus iste cum omnibus suis elementis, & animabus hominum, & brutorum, a Deo omnipotente creatus est, & ab eodem solo perpetuo conservatur. Solus enim Deus ens est infinitum & potentia, i. e. vi agendi ad extra, infinita præditum (§§. 75. 492.). Quoniam ergo mundus iste cum omnibus substantiis finitis, elementis nimirum, & animabus, ex quibus componitur, non nisi creatione (§. præc.) ab ente infinito produci potuit (§§. 232. 235. Ont.), nunc autem reipsa existit; hoc ipso a Deo omnipotente est

eſt creatus. 2. Porro per §. 232. II. Ont. ſubſtantiæ finitæ, queis ceu elementis ſuis hic totus mundus conſtat, æque parum ſe ipſas conſervare quam creare poſſunt, ſed ab ſolo ente infinito, i. e. Deo omnipotente conſervari debent, & quidem continua creatione (§. 252. Ont.).

§. 506.

Deo competit potentia creatrix infinita. Competit enim eidem vis agendi ad extra infinita (§. 75.) & potentia producendi omnes mundos poſſibiles (§. 493.) i. e. omnia poſſibilia creandi (§. 504.).

§. 507.

Deus eodem actu, quo mundum creavit, mundi quoque & naturæ ordinem mere phyſicum determinavit. Neque enim creare elementa mundi omnia ſine determinato aliquo primo compoſitionis modo potuit (§. 22. II. Ont.). Atqui ex natura elementorum & primo compoſitionis modo totus mundi iſtius & naturæ ordo mere phyſicus, & naturalis (prout nempe ab omni eventu libero, immediato, vel mediato, diſtinguitur) tanquam ex ratione ſufficiente conſequitur, & determinatur (§§. 253. 264. 281. Coſm.).

* Dixi, *ordinem mere phyſicum* a Deo ſolo eſſe determinatum creatione ipſa, ſeu omnipotentiæ actione. Nam ſeriem eventuum liberorum voluntate infallibili prædefiniente, aut permittente (§. 434.), quidem ſecundum conſilium æternæ ſapientiæ ſuæ diſpoſuit, ſed non actione omnipotentiæ propriæ determinavit.

§. 508.

Intellectus & potentia divina non ſunt ratio ſufficiens completa, cur ens quoddam finitum actu exiſtat, neque creationis mundi in ſpecie. In ideis enim divini intellectus æque continentur omnia poſſibilia, & mundi, qui ex his ipſis iſtius mundi elementis plures

res ab hoc diversi creari possent (§§. 259. 260. Cosm.), perinde atque iste præsens actu creatus in eisdem distincte exhibentur (§. 63. III. V.). Dei quoque omnipotentia infinita perinde aliis & ab hoc diversis mundis producendis ex æquo sufficit (§. 493. I. III.), quin tamen omnes mundi, saltem qui ex eisdem elementis seorsim componi possent, simul compossibiles sunt. Itaque per intellectum divinum & potentiam quidem intelligitur, quod Deus singula entia finita, & mundos singulos, creare possit, nondum vero, quod unum præ altero æque possibili actu crearit. Jam vero ratio sufficiens completa existentiæ ac creationis cuiusque rei non nisi id est, ex quo cognito intelligitur perfecte, cur hoc determinate præ alio existat, ac creatum sit. Itaque intellectus &c. &c.

§. 509.

Intellectus, potentia, & voluntas Dei simul sunt ratio sufficiens completa creationis & existentiæ entis finiti cuiuscunque. Cum enim per intellectnm & potentiam Dei intelligatur, quod ens quodvis finitum possibile creari possit (§. præc.); quamprimum pones, Deum velle hunc mundum, vel quodvis ens finitum, præ alio creare, intelliges, cur hic determinato actu præ alio creatus existat. Itaque cum ratio sufficiens completa sit illud, ex quo aliquid perfecte intelligitur; intellectus, potentia, & voluntas Dei simul sunt ratio sufficiens completa creationis mundi & existentiæ entis finiti cuiuscunque.

* Eorum, quæ circa hanc thesin Ill. Wolfius Theol. Nat. P. II. §. 382. addit, insufficientiam facile intelliges ex dictis §. 48. not. 2.: cuius ipsius paragraphi demonstratio defectum Wolfianæ demonstrationis supplet.

** D. Robinet, cum Deo scientiam & voluntatem prorsus abiudicasset (P. V. de la Nature) rationem suffi-

cientem

cientem exiſtentiæ mundi conſequenter reponit in ſola Dei potentia ceu cauſſa neceſſaria, ſimul vero hoc ipſo ſtatuit, totum effectum ab ea actu & ab æterno eſſe productum, qui ab ea abſolute produci poterat. Enimvero, quisquis veram Dei & hominum libertatem negaverit, ni fallor, in hanc erroneam opinionem conſequentia doctrinæ incidet.

§. 510.

Ex mundi ordine Dei intellectum & ex magnitudine Dei potentiam, ex parte intelligere licet. Ordo enim mundi, & magnitudo iſtius, effectus tam intellectus divini quam potentiæ ſunt, intellectus quidem, quatenus ille per ideas rerum omnium poſſibilium erat ratio poſſibilitatis reſpectu voluntatis & decreti hunc mundum præ aliis eligendi; potentiæ vero, quatenus illa a voluntate determinata ad unum poſſibilem præ alio æque poſſibili efficiendum. Iam vero ex effectu perfectio cauſſæ intelligi poteſt, licet tantum ex parte, ſi libera ſit ad diverſos effectus (§. 226. IV. Ont.), prout Dei potentia ope voluntatis mediate libera eſt ad hunc vel alium mundum producendum (§. 239.).

* Quo minus ipſam quoque *Dei voluntatem*, huiusque in nos ſtudium, ex præſente mundi iſtius ſtatu colligere poſſimus, obſtat illud inprimis, quod hunc ſtatum ad alium multo meliorem beatitudinis Dei ipſa voluntas ordinarit, quem iſtius præſentis ſtatus toleratione, ac bono circa eum uſu libertatis, cum maiore noſtri ipſorum gloria acquiri a nobis voluit. Unde, quam bene nobis Deus velit, non ex præſente ſtatu, niſi obſcure & ex parte, nequaquam vero iuſte & univerſe metiri poſſumus, ſed in alterius venturæ vitæ feliciore ſtatu primum ſumus experturi.

§. 511.

Creatio, etſi miraculum proprie non ſit, tamen nulli niſi Deo ex natura ſua convenire poteſt. Proprie enim miracu-

miraculum effectus est supernaturalis in natura iam existente, ut §. 291. not. Cosm. adnotatum iam est. Porro cum nullum ens finitum substantiam ullam producere possit (§. 231. Ont.) atque omnis creatio sit substantiæ productio (§. 234. seq. Ont.): idcirco creatio alteri quam Deo convenire ex natura sua non potest.

§. 512.

Potentia creatrix nulli enti seu substantiæ finitæ etiam per miraculum a Deo communicari potest. Neque enim communicari potest per modum essentialis aut attributi, eo quod hæc sint immutabilia in eodem ente. Sed neque communicari potest instar modificationis, seu accidentis. Namque ratio ultima completa existentiæ substantiæ B non magis compossibilis esse potest substantiæ A, quam huic eidem compossibilis per modum accidentis esse possit ratio ultima completa existentiæ propriæ, vi cuius creet, aut conservet, se ipsam. Atqui ratio ultima existentiæ propriæ completa per modum accidentis, seu modificationis, incompossibilis absolute est cum quovis ente finito. Etenim modificatio omnis ut compossibilis sit cum aliquo subiecto, istius existentiam a priori requirit: contra vero is ipse modus, ceu sui proprii subiecti ratio existentiæ ultima, necessario prior esse deberet existentia sui subiecti eiusmodi. Iam vero potentia creatrix non est nisi ratio ultima completa existentiæ alicuius substantiæ finitæ nullo interveniente alio diverso comprincipio (§. 234. Ont.). Itaque nulli enti finito hæc absolute compossibilis est, ac proin nec per miraculum a Deo eidem communicari potest: siquidem effectus supernaturalis, seu miraculum, saltem compossibilis substantiæ creatæ esse debet, in quo producitur (§. 291. Cosm.).

* Adde,

* *Adde*, quod, cum Deus id genus potentiam creatricem ſemper ipſe producere & conſervare deberet in tali ſubſtantia finita, hæc, licet eadem potentia reipſa inſtrui a Deo poſſet, tamen non ageret ſolitaria, nec ut ratio ultima, ſed ſemper Deum pro comprincipio haberet, nec adeo crearet (§. 234. Ont.). *Rurſus* tali caſu non ageret ipſum ens finitum; quippe quod nullam exiſtentiæ rationem reſpectu alterius ſubſtantiæ finitæ in ſua eſſentia continet (§. 231. Ont.); ſed ageret ſolus modus ille vi ſupernaturali eidem inditus: ergo rurſus non ipſum ens finitum crearet, ſed vel ſolus Deus mediante illo modo creato, vel hic ipſe modus.

** Wolfiana iſtius theſis demonſtratio, §. 775. Theol. Nat. P. I. propoſita, cum unice nitatur demonſtratione ibid. §§. 470. 471. adornata, mero argumento negativo abſolvitur, ut conſideranti facile patebit.

§. 513.

Ante creationem mundi nec ſpatium, nec tempus erat; ſed utrumque cum ipſo mundo cœpit. Nec tempus enim ſine rebus ſucceſſivis (§. 183. II. Ont.) nec ſpatium ſine ſimultaneis (§. 159. Ont. I. & II.) exiſtere poteſt: extitit vero utrumque mundo condito; quippe qui ex elementis coexiſtentibus extra ſe poſitis, & continuo ſibi ſuccedentes mutationes loci ſubeuntibus, compoſitus eſt (§§. 241. 245. Coſm.) ac proin ſine ſpatio reali (§. 158. Ont.) & tempore (§. 182. Ont.) nequaquam exiſtere poteſt.

§. 514.

Itaque *Deus & ſpatium, & tempus, fecit*; cum mundum ex elementis, ceu partibus ſimultaneis, & continuæ mutationi obnoxiis, compoſitum creavit.

§. 515.

Mundus hic totus adſpectabilis cum omnibus & ſingulis ſui partibus & creaturis, quæ eidem inſunt, dependet a Dei intellectu, voluntate, potentia, & exiſtentia

tia necessaria. Est enim illorum omnium rationatum (§. 509.), & quidem contingens (§. 245.); nec tamen existere etiam contingenter a libera Dei voluntate posset, nisi ipsius intellectus, voluntatis, & potentiæ Dei existentia esset necessaria (§. 101. Ont.). Itaque a posteriori cum Dei intellectu, voluntate, & potentia, ipsiusque Dei existentia necessaria, contingenter connexus est mundus secundum omnes suas partes, adeoque dependet ab eisdem (§§. 195. 197. Ont.).

§. 516.

Auctor naturæ dicitur, qui universam naturam (§. 285. Cosm.) libere creavit. *Auctor ordinis naturæ* vocatur is, qui naturæ universæ, secundum leges necessarias agentis (§. 295. Cosm.), ordinem, secundum quod is absolute contingens est (§. 282. Cosm.), libera sua voluntate ceu ratione ultima determinavit.

§. 517.

Deus est auctor naturæ & ordinis ipsius. Natura enim universa est collectio omnium virium activarum & passivarum, quæ elementis mundique omnibus partibus simplicibus, seu substantiis, insunt, ex quibus componitur (§. 285. Cosm.). Iam vero & has omnes vires, ceu cum ipsis substantiarum simplicium essentiis identificatas (§. 51. Cosmol.), Deus creavit, & ordinem tum simultaneæ coexistentiæ, tum successivarum mutationum, quoad istæ per leges solius naturæ non determinantur, sed absolute contingenter eveniunt (§. 282. Cosm.), Deus vi ipsius primæ compositionis, cunctis mundi partibus solo voluntatis suæ libero arbitrio inditæ (§. 237.), ceu ratione sufficientissima æque ac ultima (§. 281. Cosm. & §. 386, hic), determinavit. Ergo Deus & naturæ ipsius, & ordinis naturæ, verus auctor est.

§. 518.

§. 518.

Natura in hoc universo diversa & distincta est ab omnipotentia Dei. Illa enim est collectio omnium virium, quæ substantiis finitis, hunc mundum componentibus insunt (§. 285. Cosm. & hic §. 98.): Dei vero omnipotentia est vis agendi ad extra infinita (§§. 491. 492.).

§. 519.

Per solas naturæ simplicium elementorum leges absolute necessarias nullus certus naturæ ordo determinatur. Leges enim illæ omnes licet in ipsa substantiarum simplicium essentia habentes rationem sufficientem, (§. 295. Cosm.), tamen non nisi conditionatæ sunt, & ad conditionem certæ compositionis ipsis substantiis simplicibus mundum componentibus aliunde inductæ adstringuntur; quin elementorum aut quarumcunque substantiarum simplicium essentia ipsa determinatum compositionis modum seu initio determinarit, seu deinceps determinet (§. 259. Cosm.). Sic leges virium motricum a distantia certa elementorum agentium omnes pendent, & ab ista varie modificantur. Iam vero a prima mundi partium compositione totus deinceps consequens naturæ ordo dependet (§. 253. Cosm.), ac quilibet posterior ordo simultaneus mundi dependet a priore proximo existente (§. 280. Cosm. & §. 197. Ont.). Ergo, cum per solas naturæ leges nulla certa, seu prima, seu deinceps consequens, mundi partium simplicium compositio determinetur, nec ullus certus naturæ universæ ordo per easdem determinari potest.

§. 520.

Deus naturæ, suis legibus cum absoluta necessitate, in agendo insistenti (§. 295. Cosm.), *leges arbitratu suo præscripsit; quatenus in ipsa creatione vires elementares, vi legum suæ simplicis naturæ ad certum naturæ univer-*

sæ ordinem conficiendum adhuc indifferentes (§. præc.), *determinatum compositionis modum libere in elementa introducendo, ad certum naturæ mundi compositæ conficiendum ordinem determinavit* (§. 517.); *i. e. quatenus hunc mundum præ alio possibili, & ex eisdem elementis composito* (§. 260. Cosm.), *libere creavit* (§. 291. Ont.).

* Inde nimirum proficiscuntur leges illæ naturæ magis particulares, reipsa tamen non minus statæ, secundum quas vicissitudines corporum integrorum iam compositorum, & minime simplicium, in mundo præsente constanter eveniunt. Unde revera *aliæ sunt leges naturæ entium compositorum, aliæ elementorum simplicium.* Istæ ab illis differunt, quod sint magis generales, & in omni mundo possibili, ex homogeneis cum isto præsente elementis composito, locum habeant: cum ex adverso leges ex compositione Deo arbitraria exortæ magis particulares, nec nisi ei mundo propriæ sint, cui compositio illa ex integro convenit, ex cuius indole nascuntur. Interim tamen *omnes ex æquo absolute necessariæ sunt in eo mundo, in quo locum habent;* quia, etsi ex compositione, quæ singulis elementis simplicibus contingenter obtingit, oriantur, tamen ipsa compositio determinato cuilibet composito essentialis est, ita, ut sine ipsa idem compositum esse haud possit (§. 291. Ont.).

§. 521.

Natura leges a Deo sibi in creatione præscriptas non observare non potest. Sunt enim in ipsa essentia huius mundi, i. e. in essentia elementorum eum componentium, & in hoc compositionis modo illi per essentiam proprio (§. 291. Ont.) ceu in sua ratione sufficiente, fundatæ (§. præc.), adeoque absolute necessariæ, & veræ leges naturæ (§§. 293. 295. Cosm.). Vide §. præc. not. Unde *nec aliter contingentes sunt, quam ipse mundus, scilicet in existendo absolute.*

§. 522.

§. 522.

Ordo naturæ idem tamdiu perdurat, quamdiu nec Deus leges initio naturæ præscriptas actione supernaturali mutat, nec alterius entis liberi actio libera, a naturæ legibus exemta, quid in cœpto ordine invertit. Cum enim identitas seu unitas ordinis ab identitate termini communis pendeat, ad quem omnia in ordinem disposita, ceu ad communem finem, tendunt (§§. 313. 321. 327. Ont.); cumque idem terminus communis instar unius finis etiam easdem regulas ordinis determinet (§§. 322. 304. Ont.) i. e. easdem leges naturæ (§. 293. Cosm.): idcirco necesse est, servatis in naturæ cursu iisdem legibus, tendi ad eundem finem, atque adeo eundem ordinem continuari; contra vero legibus naturæ mutatis alium finem, ceu communem rerum ordinandarum terminum, a Deo ordinante, seu naturæ ordinem determinante (§. 517.), intendi. Porro cum in mundo corporeo, absente agente libero alium ordinem determinante, ex sola prima compositione elementorum tota series mutationum hypothetica necessitate, & proin vi legum naturæ semel a Deo per primam compositionem præscriptarum, eveniat (§. 264. Cosm. & hic §. 520.): nisi Deus actione supernaturali, ex fine alium ordinem introducendi, cœptæ seriei ordinem turbet, aut creatura libera citra naturæ leges mutationem aliquam determinet; eundem continuari naturæ ordinem perpetuo debere evidens est.

* Nimirum terminus communis, ad quem tota series ordine consequentium mutationum ceu ad finem secundum easdem naturæ leges tendit, non alius est quam ipsa eadem series componens eundem mundum, quatenus is præter simultanea etiam ex omnibus successivis constat, ceu per essentiam mutabilis (§. 245. Cosm.): omnia quippe antecedentia in ista serie ad consequentia, tum proxi-

ma, tum mediata, tendunt aptitudine sua, per quam priora cum posterioribus nectuntur. Mutata serie (i. e. aliis consequentibus actionis extraneæ liberæ, creatæ, aut increatæ, interventu determinatis) finis ordinis mutatur, & aliquid in ordine consequitur, quod vi legum primitus a Deo præscriptarum, i. e. earundem, consequi non deberet. Igitur aut leges mutatas omnino fuisse oportuit, quod actione divina supernaturali utique contingere possibile est, aut certe actione quidem naturali, sed a naturæ legibus exemta (i. e. libera alicuius entis creati liberi) mutatum aliquid in ordine saltem ex parte fuisse necesse est. Interim satis constat, in motu & habitudine mutua totalium corporum, ex quibus universum componitur (§. 236. seq. Cosm.) liberis actionibus hominum nihil turbari, bene tamen his naturæ ordinem in partialibus corporibus idem totale componentibus notabiliter per diversas ætates mutari.

§. 223.

Naturam universi, sibimet relictam, nihil uspiam mutari, sed eandem permanere evidens est. Inde tamen neutiquam sequitur, a priori demonstrari posse, eius vires in generationibus plantarum atque animalium nunquam deficere, nec quasi senio languescere. Ut enim universi natura, sibimet relicta, propria actione mutaretur, aut minui virium elementarium numerus, aut augeri, aut certæ naturæ eiusdem leges, creationis initio semel a Deo præscriptæ (§. 520.), ipsius naturæ actione mutari deberent. Primum sine annihilatione, alterum sine creatione nova quorumdam elementorum, tertium ob legum illarum necessitatem absolutam (§. 295. Cosm. & hic §. 521.) fieri omnino non potest, tamque creatio, quam annihilatio naturæ vires excedit (§§. 235. 237. Ont.): *hoc primum.* Inde vero neutiquam sequitur, ex ipsa prima compositione non posse determinari hanc ipsam statam naturæ legem, vi cuius vires ipsius naturæ

furæ in ordine ad certos ac determinatos effectus continuo decrementorum ordine per certa intervalla temporum deficiant. Siquidem vis ad effectum quemdam compositum tendens non solum a numero æquali elementorum totius mundi pendet, sed vel maxime a consensione plurium vel pauciorum elementorum ex omnibus mundum componentibus in ordine ad eundem effectum compositum producendum; quæ ipsa consensio per variam compositionem maior, vel minor, item stabilis in eodem gradu, vel inconstans, determinari potest. Sic supposita hypothesi evolutionis seminum in plantis evidens foret, in seminibus continuo magis magisve evolutis, ob minorem densitatem & numerum elementorum, vim attractivam ex lege gravitatis agentem iuxta, atque agentem ex lege cohæsionis, continuo fore minuendam. Ita supposita hypothesi de luminis effluvio perpetuo ex sole, nulla reparatione facta, motus astrorum retardari successu temporis demum necesse foret; quin tamen idcirco lex naturæ vel unica mutaretur. Imo hæc ipsa stata lex naturæ foret, ut vires naturæ in ordine ad certos effectus statis temporibus stataque mensura identidem decrescerent.

* Dixi vero, *a priore istud demonstrari non posse.* Nulla enim sat certa experientia idem a posteriori adhuc dum evinci, facile concedam. Et vero quis leges naturæ aut ipsam naturam propterea mutari dixerit, quod vires hominis ad eosdem effectus corporeos producendos senio denique languescant. Aut quis ob immutabilitatem naturalem naturæ legum concludat, vires hominis corporeas senio languescere haud posse. Ut nihil dicam, summos Astronomos fuisse aliquando suspicatos, motus astrorum actu fuisse inde ab antiquissimis temporibus retardatos.

** Æque nutant demonstrationes Wolfianæ §§. 780. 834. in Theol. Nat. P. I. propositæ, in quibus animas hu-

manas omnes primitus cum ipso mundo creatas fuisse, nec porro quidquam de novo creari a Deo unquam, affirmat. Utraque demonstratio tum positiva experientia de generatione & seminibus animalium, tum negativa, unice nititur. At nemini docto incompertum iam esse potest, quam incertæ sint experientiæ illæ de spermaticis animalibus; quippe ab naturæ exploratoribus pœne ultra modum studiosis post experimenta summe industria in dubium vocata, & pro phantasiæ præoccupatæ ludibrio habita. Alterum argumentum, quod Ill. Wolfius §. 834. cit. loc. ab unitate mundi eiusque sufficientia in ratione medii ad finem creationis repetit, totam vim ex eo supposito habet, quod vi præposteræ notionis, quam de libertate pridem sibi præfixerat, existimarit, finem creationis talem esse, qui per ordinem naturæ mere physicum, & per substantias creatas secundum solas naturæ leges actiones suas determinantes, unice demum obtineatur. At aliter cogitandum illi est, qui ordinem huius universi non solo naturæ necessario agentis cursu absolvi, sed præterea cum alia serie actionum, nullo necessario nexu connexarum, vereque liberarum, & a naturæ legibus immunium, componi, pro certo habet. Inde enim confestim statuet, finem, seu terminum communem ultimum, ad quem Deus collimabat tum determinando sua unius creante actione (saltem quoad partem longe maximam) ipsum naturæ ordinem, tum decernendo (decreto partim prædefinitivo, partim permissivo §. 434.) voluntate infallibiliter efficaci (§. 374.) hanc determinatam seriem interpolatarum actionibus naturæ necessariis actionum creatarum liberarum, quibus ex parte etiam ipse cursus naturæ præter leges naturæ alteratur; finem, inquam, ad quem Deus toto dispositionis suæ consilio collimabat, non fuisse, quemdam mundum physice unum, sed alterius cuiusdam vitæ seu in alio meliore mundo, a præsente hoc prorsus diverso, vel saltem in alio plane istius mundi statu agendæ, beatitudinem, non per mutationes mere physicas physice efficiendam,

ciendam, sed per actiones vere liberas a creaturis rationalibus a Deo illius quoque creatore moraliter promerendam. Interim ex eo ipso, quod §. 188. & §. 189. not. iam dictum est, videlicet quod vires solius naturae, toti huic mundo modo adspectabili propriae, se solis in ratione medii physici sufficere haud possint ad beatitudinem veram creaturis rationalibus procurandam, manifestum est, ab ipso naturae lumine nos manuduci ad fidem divinae revelationi facilius adhibendam, quae de supernaturali alterius vitae statu pro ultimo creationis fine a Deo universe constituto certos nos facit.

§. 524.

Ut cuiuscunque effectus producendi facultas Deo omnipotentiae etiam infinitae nomine tribui actu cum fundamento possit, prius constare de possibilitate intrinseca talis effectus debet. Namque omnipotentia etiam infinita non est nisi vis seu facultas completa ad producenda omnia, quae intrinsece possibilia sunt (§. 491.), nec tota sua infinitudine vim etiam ad impossibilia se extendentem complecti potest (§. 495. seq.). Itaque sine fundamento effectus ei tribuetur, de cuius intrinseca possibilitate non satis constat.

* Sic ergo frustra ex Dei omnipotentiae infinitudine statues, quovis mundo utcunque perfecto perfectiorem alium condi posse, nisi prius ostendas, quovis utut perfecto perfectiorem alium intrinsece possibilem esse. Nisi enim hoc ita sit, imperfectionem in Dei omnipotentia non arguet, si perfectiorem mundum, qui possibilis non est, producere non possit (§. 496. II.).

§. 525.

Ad Dei omnipotentiam utut infinitam non pertinet effectum quemcunque aliter aut sub alio conceptu efficere, quam sub quo solo idem intrinsece possibilis est. Cum enim rerum omnium ideae; conceptus, & possibilitates, sint immutabiles (§. 95. II. Ont.), idcirco

si Deus etiam omnipotens rem aliter aut sub alio conceptu efficeret, quam sub quo illa possibilis est, & concipitur, vel eadem res non esset, vel intrinsece impossibilis. Atqui intrinsece impossibilia Deus etiam omnipotens facere non potest (§. 495.).

§. 526.

Deus itaque, licet omnipotens sit, tamen actus immanentes substantiarum creatarum viventium, sola sua omnipotentia & voluntate, ceu vi efficiente completa simul & proxima, efficere non potest. Actus enim eiusmodi immanentes vitales substantiarum creatarum viventium secundum conceptum possibilitatis intrinsecae inexistentiam, seu identitatem realem (§. 64. Ont.) cum caussa sua agente proxima, ceu subiecto suo, involvunt (§. 208. Ont.), sic, ut tale subiectum, uti agere immanenter, sic & vivere, per tales actus dicatur. Pone iam, tales actus a sola Dei omnipotentia in substantia creata, ex natura sua vitali, produci; & nec Deus, nec talis substantia, per tales actus aget immanenter, aut vivet; nec actus isti erunt revera immanentes respectu suae caussae proximae, ceu subiecti; siquidem caussa efficiens proxima adaequata Deus esse ponitur, subiectum autem substantia creata, sed nihil agens in ordine ad illos actus. Itaque, si ponas, tales actus a Deo solo omnipotente produci, revera non erunt actus immanentes, nec vitales, quod est contra hypothesin ipsam, quam ponis; quae adeo evidenter absurda est.

* Hinc Deus quidem ideas rerum infundere animis hominum, & quidem tam claras intensive & extensive, seu distinctas, potest, ut attentionem simul intellectus, & voluntatis amorem ad se rapiant; at ipse solus ceu caussa adaequata proxima efficere ipsos attentionis & amoris actus in animo haud potest, licet omnipotens sit; nec tamen istud defectum omnipotentiae arguit.

§. 527.

§. 527.

Possibiles sunt caussæ creatæ rationales liberæ. Istud quidem ex dictis a §. 301. seqq. Psych. a posteriori, ex ipsa vero definitione libertatis, eiusdemque possibilitatis vindicatione (§. 307. seqq. Psych.) etiam a priori, abunde patet.

§. 528.

Itaque ad omnipotentiam Dei pertinet caussas creatas rationales liberas Deum producere posse: siquidem illa omnia intrinsecus possibilia producendi facultas est, seu proxima, seu ultima completa (§. 491.) eaque infinita (§. 492.).

§. 529.

Actus ipsi liberi caussarum creatarum rationalium liberarum sub alio conceptu intrinsece possibiles non sunt, nisi ut ipsimet sint ratio existentiæ suæ tum proxima, tum ultima saltem partialis (§. 329. not. Psych.). Conceptum istum actus liberi enimvero aut admittere, aut absolute negare libertatem omnem, ceu chimæram, oportet.

§. 530.

Itaque ad Dei omnipotentiam licet revera infinitam non pertinet, actus liberos creaturarum sua unius virtute & vi effectrice completa (§. 491.) *efficere, & ad existentiam determinare:* 2. *neque defectum in Dei omnipotentia arguit, quod non sola sua unius omnipotentia ac pro arbitrio suæ voluntatis, quemvis actum liberum creaturæ rationalis Deus efficere possit.* Actus enim liberi creati & tamen simul a sola Dei omnipotentia ceu caussa etiam tantum ultima, sed completa ad existentiam determinati, actus liberi creati intrinsece possibiles non sunt (§. præc.). Ergo illos sua unius virtute effectrice, seu ultima, seu proxima, efficere ad Dei omnipotentiam licet infinitam non pertinet (§§. 495. 525.), nec istud tamen defectum seu in omnipotentia (§. 496. II.) nec in Dei voluntate

 arguit;

arguit; quippe quæ nec ipsa vult impossibilia, aut aliter res velle fieri potest, quam quo modo possibiles esse intellectu infinite perfecto cognoscit (§.455.).

CAPUT VI.
DE SAPIENTIA ET SANCTITATE DEI.
ARTICULUS I.
DE SAPIENTIA DEI.

§. 531.

Sapientia est facilitas quædam ac promtitudo intellectus in bonis consiliis voluntati suggerendis (§. 450.) circa fines decentes (§. 180.) actionibus suis præstituendos, & circa media ad eosdem apta eligenda. *Differt a prudentia ceu totum a parte;* siquidem *prudentia non circa fines versatur*, quos aliunde iam præstitutos supponit, *sed solum circa media* voluntati proponenda.

* *Sapientia* vulgo rerum altissimarum ex caussis altissimis scientia appellari solet: nimirum quia finis decentis cognitio rei altissimæ per se cognitio est, & caussa finalis caussarum omnium altissima est, quippe efficientem, materialem, media remota, & proxima, i. e. omnes alias agendi regulas, determinans (§§.267.304. Ont.).

§. 532.

I. *Quo decentiorem finem quis sibi præstituere in suis actionibus novit; 2. quo certius & minore erroris periculo decentissimum finem consilio suo attingit;* 3. *quo magis apta media eligere*, 4. *quoque certius eadem discernere novit a minus aptis*, *eo sapientior est.*

§. 533.

II. *Finis optimus est*, *præter quem non est alius possibilis*, *quem velle magis deceat agentem*, seu cuius volitio ita cum perfectione essentiali agentis in ratione boni consentit, ut nullus alius sit finis possibilis,

bilis, cuius volitio magis cum eadem eſſentiali perfectione conſentiret (§. 180.).

§. 534.

III. *Media aptiſſima ad finem quemque ſunt, quæ & complete ſufficientia ſunt, & conveniente ordine diſpoſita, & via breviſſima ad finem propoſitum perducunt.* Media enim rationes ſufficientes reſpectu finis ſunt, vel poſſibilitatis, vel exiſtentiæ eiusdem (§. 267. Ont.), præter quas nihil a priori connexum eſt cum fine (§. 202. Ont.), & ſiquid ultra iſtas rationes ſufficientes completas adhiberetur, ſuperfluæ eſſent ambages in ordine ad finem (§. 8. Coſm.). Iam vero ad rationes poſſibilitatis etiam cauſſarum efficientium ordinata diſpoſitio requiritur, ut applicatæ ad ſua ſubiecta ſint, in quibus recipiendus effectus eſt (§§. 251. 313. Ont.). Itaque media aptiſſima &c. &c.

§. 535.

IV. *Sapientia ſumma & perfectiſſima eſt facilitas ſumma intellectus in ſuggerendis conſiliis optimis voluntati, ac fines omnium optimos, & media omnium aptiſſima ad eosdem conſequendos, cum evidentia & ſecuritate ſumma, ſummoque compendio, ac ſubordinatione, præſcribendi* (§. 532. ſeqq.).

§. 536.

Sapientia eſt realis perfectio, cuius non niſi ſpiritus capax eſſe poteſt. Eſt enim facilitas quædam intellectus voluntati motiva, & rationes poſſibilitatis, aliquid inſtar finis volendi, volendi item alia inſtar mediorum, proponens (§. 531.), atque adeo non niſi ſpiritui, id eſt, ſubſtantiæ intellectu & voluntate præditæ (§. 412. Pſych.), convenire poteſt. Eſt vero omnis facilitas agendi per actus veros & diſtinctos intellectus realitas quædam, hoc ipſo, quod ſit ratio exiſtentiæ actuum realium & vere

bono-

bonorum intellectus (§§. 217. 337. Psych. & §. 7. II. Ont.). Et quoniam sapientia facilitas est multiplex, i. e. ad diversos actus bonos intellectus, nimirum tam circa finem, quam circa media; consensum quemdam variorum in bono, id est, realem perfectionem in ente, cui inest, reipsa conficit (§. 86. Ont.).

§. 537.

Deo competit sapientia in gradu absolute summo, seu perfectissima. Deus enim spiritus est infinite perfectus (§. 490.), adeoque illi omnes reales perfectiones, quae spiritui compossibiles per se sunt, in gradu absolute summo, i. e. sine omni defectu, seu limite, conveniunt (§. 110.). Quoniam ergo sapientia realis perfectio est, non nisi spiritui conveniens (§. praec.); quin eadem Deo in gradu absolute summo, seu perfectissima, conveniat, dubitari non potest.

* Quidquid vitilitigationis hic opponat D. Robinet in operis sui (De la nature) P. V. c. XXVI. c. LXIII. & alibi; evidens est, non posse rebus finitis alias inesse realitates finitas, quam tales, quales enti infinito insunt sine limitibus; siquidem & possibilitas entium finitorum a priori non aliunde demonstrari potest, quam ex eo, quod non implicet realitates quasdam Deo proprias creatione limitari in creaturis (§. 71.), & impossibile est in creaturis, ceu Dei effectibus, realitates & perfectiones inesse, quae Deo, ceu illorum caussae primae & ultimae adaequatae non insint. Quodsi ergo & quatenus in spiritibus creatis sapientia realis perfectio est, evidens est, eatenus eandem, sed sine limitibus spirituum creatorum propriis, i. e. infinite perfectam, etiam Deo tribui oportere. Atque haec sola adnotatio omnes ratiociniorum argutias planissime evertit, quae praefatus auctor tota illa P. V. sui operis contra perfectiones Deo huc usque ab omni sano homine, ipso communi sensu naturae dictante, adiudicari solitas,

inani

inani prorsus laboriositate congerit, non alio fructu, quam ut ad Atheismum infirmiores animos promoveat.

** Ceterum sapientia in Deo secundum se formaliter & *immediate a posteriori* ostendi proprie non potest, hoc ipso, quod sit perfectio intellectus, quae non nisi per actus voluntatis, quos dirigit, ad extra in rebus creatis sese manifestat. Unde si per hypothesin impossibilem voluntati divinae sanctitas & bonitas respectiva aeque infinita non competeret, qua parata illa summeque item prona esset ad fines optimos cum perfectissima decretorum suorum rectitudine per optima media creatione consectandos; tametsi Deus esset infinite sapiens, inferri tamen non posset, illum creando sibi finem optimum per media aptissima consequendum actuali voluntatis suae decreto proposuisse. Itaque nec ex sola Dei sapientia utut infinita *immediate* mox inferri potest, quod Deus actu sibi finem optimum creando constituerit, nec ex eo Dei sapientia *immediate* impugnari, quod spectatis huius universi malis Deus videatur non finem optimum sibi actu creando praestituisse. Executio enim omnis consilii sapientiae etiam Dei infinitae voluntatis reipsa actus & officium est. Et quoniam fines sibi solum utiles Deus sibi absolute sufficientissimus creando prae oculis habere non potest; illud quoque patet, sapientiae consiliorum executionem non nisi ad *benevolam* Dei voluntatem reipsa pertinere. Bonitas ergo Dei respectiva prius Deo aeque vi essentiae infinitae propria esse ostendi debet; antequam vel a Dei sapientia essentiali ad actuales voluntatis divinae effectus eidem conformes, vel a defectu talium conformium effectuum ad defectum sapientiae, in Deo argumentum quoddam promoveri possit. Ex adverso voluntatis divinae effectus a posteriori noti an boni reipsa sint, & a bonitate respectiva infinita proficiscantur, ad sapientiae infinitae consilium, ceu ad normam, expendi posse deberent, ut directe & cum evidentia tales agnosci possent. Ostensa autem semel a priori bonitate Dei respectiva, simulque ipsius sapientiae divi-

divinæ inscrutabilitate, quod paulo post effectum dabimus, utcunque difficile nobis accidet in eventu quodam creato Dei benevolam voluntatem ceu illius caussam, prædefinientem, aut permittentem (§. 434.), immediate intueri; subiicere tamen iudicium inscrutabili Dei sapientiæ consilio oportebit.

§. 538.

I. *Deus fines optimos, & qui ipsum maxime omnium deceant, voluntatis suæ decretis præstituere cum adæquata evidentia novit* (§§. præc. & 532. 533.).

II. *Deus media omnium aptissima ad quemvis finem sibi semel propositum eligere scit cum omni item evidentia.* (§. 534.).

III. *Deus item cum plena evidentia novit media remota proximis, seu fines proximos finibus mediatis, subordinate* (§. 268. Ont.), *& via brevissima ad ipsum finem ultimum pertingere* (§§. citt.).

ARTICULUS II.
DE SANCTITATE DEI.

§. 539.

Sanctitas est constans rectitudo moralis, seu consensus omnium actionum liberarum entis in ratione boni cum eiusdem perfectione essentiali (§§. 468. 469.).

§. 540.

I. *Sanctitas omnes species rectitudinis moralis per se complectitur* (§. 469. II.).

II. *Sanctitas eosdem suscipit gradus, quos rectitudo moralis.* (§§. citt.).

§. 541.

Deus per essentiam suam sanctissimus est, eiusque sanctitas absolute summa est, & infinita. Datur enim in omnibus eius decretis liberis rectitudo moralis absolute summa (§. 470.), sic, ut nulla actio moralis

ralis non perfecte recta, seu cum essentiali eius perfectione non plene consentiens, in eo possibilis sit, hoc ipso, quod is, ceu ens per essentiam infinite perfectum, defectus etiam accidentalis sit absolute incapax. Porro cum nihil in mundo usquam sine aliquo decreto Dei libero eveniat (§. 434.); patet actiones Dei liberas, formaliter licet innumeras (§. 483.), universas tamen, & quidem per ipsam Dei essentiam, sic in rectitudine morali consentire, ut absolute nulla non recta in Deo possibilis sit, sicut nec decreta Dei, ab æterno semel concepta (§. 478.), porro unquam mutari possunt. Datur ergo in Deo vi ipsius essentiæ divinæ infinitæ, & incapacis omnium defectuum, summe constans rectitudo moralis omnium prorsus actionum liberarum, cui nihil addi, nihil demi posset, & qua maior haud absolute possibilis, atque adeo in Deo datur sanctitas per essentiam Dei infinita (§. 539.).

§. 542.

Deus virtute sanctitatis sibi essentialis omnes actiones suas liberas, seu decreta voluntatis regulis & consiliis infinitæ sapientiæ suæ (§. 537.) perfecte conformat. Regulæ enim seu consilia sapientiæ Dei infinitæ sunt iudicia seu intuitus distincti (§. 450.), proponentes divinæ voluntati, quinam sint fines omnium optimi, & quæ ad eos consequendos media aptissima (§§. 531. 533. 534. 535.), i. e. qui fines, & quæ media, velle Deum, ens infinite perfectum, ex omnibus possibilibus maxime deceat (§. 533.), seu quos, & quæ, velle cum ipsius perfectione essentiali perfectissime consentiat (§. 180.). Iam vero virtute sanctitatis suæ per essentiam infinitæ Deus constanter vult ea, quæ velle ipsum maxime decet, seu quæ velle ipsum maxime cum perfectione essentiali propria consentit (§§. 539. 541.). Ergo Deus virtute sanctitatis sibi essentialis &c. &c.

§. 543.

§. 543.

I. *Electio huius mundi ex omnibus aliis possibilibus, eius creatio, primae compositionis elementorum determinatio, praescriptio legum naturae* (§§. 520. 238. 239.), *tota voluntas Dei consequens* (§. 371.), *benevolentia specialis erga electos* (§. 400.), *voluntas operatrix, & actus liberos creatos moralis disponens* (§. 404.), *praecipiens, & suadens* (§. 411.), *mere permittens, & prohibens* (§. 412.), *omnia demum & universa Dei decreta praedefinitiva & permissiva* (§. 434.), *non modo perfectissima sanctitate sancta sunt* (§. 541.), *sed etiam tum ipsa secundum se, tum illorum obiecta, quae ex eis, quatenus infallibiliter sunt efficacia* (§. 374.), *ceu illorum effectus voliti, consequuntur, secundum regulas & consilia sapientiae Dei absolute summae & infinitae sunt conformata* (§. praec.).

* Thesin ergo §. praec. demonstratam praemittere oportebat, ut corollarium hoc §. assertum secundum dicta §. not. 2. inferre possemus.

§. 544.

II. *Deus ergo in omnibus suis actionibus ad extra actu sibi finem ultimum omnium optimum* (*i. e. quem ex omnibus possibilibus infinita scientia praevisis se maxime decere, seu cuius volitionem infinitae perfectioni essentiae suae in ratione boni maxime consentire, evidentissime noverat*) *voluntati suae praestituit, & media ad eum certissime obtinendum omnium possibilium aptissima actu adhibuit.* Tales enim fines, & talia media, consiliis suis suggerere infinitae eius sapientiae proprium est (§§. 535. 537.), & virtute sanctitatis suae item infinitae Deus eisdem sapientiae suae consiliis se non conformare non potuit (§. 542.).

* A priori hactenus demonstrando progressi, scimus quidem, optimos sanctissimosque fines Deo in omni voluntatis suae decreto fuisse propositos: at quales hi fines fuerint, ex hoc solo definire nondum possumus, sed alia prin-

principia porro conquirenda ſuperſunt. Ill. D. Wolfius §. 608. Theol. Nat. P. I. ex aptitudine naturali mundi præciſe ad hoc, ut ſit ſignum naturale Dei ceu ſpiritus perfectiſſimi, infert, finem creationis mundi ultimum adæquatum eſſe patefactionem divinæ gloriæ, quatenus mundus per hanc aptitudinem relate ad Deum bonus eſt (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 370.). Quæro autem: quid eſt hoc, gloriam eſſe relate ad Deum bonam? Ill. Wolfius loco modo citato §. 370. *relate ad aliud bonum* id eſſe dicit, *quod ad perfectionem alterius quid confert, ſeu in eandem quodammodo influit, vel eiusdem ſignum eſt.* Verum enimvero, ignoro equidem oppido, quod hoc reſpectivi boni genus ſit, quod magnopere Deum, ſe ſolo abſolute beatum, ſibiqui ſufficientiſſimum, ad illud tam efficaciter volendum movere poſſit; cuius actuali præſentia voluptas Dei ne hilo quidem creſcat, ſicut nec tantillo ex eiusdem abſentia decreſcit. Et tamen illuſtris ille ſcriptor huic bono, præciſe relate ad Deum tali, tantam vim movendi Deum ineſſe vult, ut illius intuitu Deus nec abſolute omittere creationem omnis mundi, nec loco optimi in hoc boni genere abſolute alium minus in eodem genere bonum creare potuerit. Et vero ſi tanti apud Deum eſt ſolum præciſe gloriæ ſuæ bonum relate ad ſe ſpectatum, ut & abſolute illum ad creandum moveat, nec aliam boni rationem in eadem ſui gloria Deus attendat, aut æque pro fine ultimo habeat; profecto motivo omni abſterrente ab hoc creando mundo caruit. Nihil enim facilius eſt quam oſtendere, ultima etiam creaturarum rationalium mala ad alicuius divinæ perfectionis patefactionem etiam directe & per ſe ſervire, e. g. dominii, iuſtitiæ vindicativæ &c. adeoque nec per ſe, nec directe, mala revera eſſe; quamprimum *bonitatem reſpectivam* erga rationales creaturas itidem abſolute ſummam a Dei perfectionibus *eſſentialibus* removeris. Unde & in Ill. Wolfii ſententiam obiectio cadit a D. Robinet ingeſta (§. 108. not. 1.). Igitur alterutrum neceſſarium reipſa illis eſt, qui factum generale inferre in mundum nolunt exemplo Ill. Wolfii,

videlicet ut aut admittant, gloriam Dei non ut bonum Dei finem creandi ultimum, saltem adæquatum, Deo fuisse, sed vel maxime Deum in ipsa sui gloria bonum rationalis creaturæ respexisse (secundum illud S. Scripturæ: *miserationes Domini super omnia opera eius.* Psal. 144. 9.: id quod finis proprium est, nempe determinare regulas omnium aliarum actionum, ceu circa media versantium §. 404. Ont.) aut ut fateantur, Deum motivorum absterrentium defectu, quæ non sunt nisi mala plurimis creaturis rationabilibus ex creatione eventura, & a Deo prævisa, hunc mundum necessario creasse. Neque enim boni, quod finis ultimi rationem nullo pacto habet, defectus absterrere ullo pacto potest ab ipso fine ultimo intendendo, qui secuudum se seorsim sine illo bono absolute finis ultimus & possibilis est. Quodsi ergo bonum creaturæ rationalis finem creationis ultimum qua tale non ingreditur, nec illius iactura absterrere a bono Dei, seu a sua gloria, ceu fine ultimo, consectanda Deum creantem poterit, si Dei gloriæ instrumentum ipsa creaturæ rationalis infelicitas esse præcise secundum se spectata queat. *Adde*, inexplicabilem esse illam rationem boni respectivi relate ad Deum tam, quæ mundo in ratione signi, quam quæ ipsi gloriæ, tribuitur. Si enim bonum Dei extrinsecum dicis esse gloriam, vox *extrinsecum* non dicit nisi distinctum realiter, sed nondum ullo pacto explicat, quomodo Dei bonum sit, quem nec meliorem, nec magis beatum efficit. Potest esse effectus Dei, hoc capio; esse Dei bonum alio respectu, quam quo refertur effectus ad caussam, non plane capio. Necesse est ergo, gloriæ bonum, ut ad sui existentiam determinandam Deum sibi sufficientissimum movere possit, sub alia boni relativi ratione, nimirum relate ad creaturas, ab eo spectari debere. Sic enim id mox intelligitur revera *bonum* esse *relate ad Deum*, h. e. intuitu Dei, & aptum movere Deum ad se efficiendum; quamprimum Deum sub ratione entis infinite *respective boni* seu *benevoli* conceperis. Oportet ergo, ut, antequam de fine mundi ultimo, & de Sapientiæ divinæ consiliis circa hunc, rite possimus iudicare,

care, oportet, inquam, omnino prius Deo infinitam quoque bonitatem respectivam distinctis & fixis notionibus stabilitis asserere, & vindicare.

** Ceterum notes velim praeterea, duo Corollaria proxime praecedentia non nisi necessitatem hypotheticam asserere, h. e. Deum supposita creatione, de qua iam a posteriori constat, actu finem omnium optimum sibi praestituisse; nullo autem pacto asseritur, Deum mundi creationem suscipere absolute debuisse finis cuiuscunque per eam obtinendi caussa.

CAPUT VII.

DE BONITATE DEI RESPECTIVA.

ARTICULUS I.

BONITAS DEI INFINITE PERFECTA UNA CUM CONSECTARIIS SUIS OSTENDITUR IN CONSTITUENDO PRÆSENTE FINE CREATIONIS ULTIMO.

§. 545.

Bonitas respectiva in ente spirituali, i. e. intellectu & voluntate praedito, dicitur promtitudo voluntatis ad promovendam aliorum felicitatem. Unde *bonus erga alios* dicitur, qui promtam habet voluntatem ad aliorum felicitatem promovendam.

* Bonitas etiam adversus bruta animantia fertur, sed eatenus videlicet, quatenus felicitatis sunt capacia, secundum dicta §. 84. not.

§. 546.

I. *Qui bonus est, vera bona aliis conferre pro sua facultate studet* : & vicissim, *qui vera bona aliis conferre studet, bonus est erga alios.* Non enim nisi verorum bonorum distinctus intuitus felicitatem conficit (§. 84.); promovere autem rem aliquam est media illius ad existendum determinare (§. 194.); promta autem voluntas non est, ni facultati commensuretur.

§. 547.

II. *Quo maiora bona, quove pluribus, quis conferre promtus, & quo promtior denique est ad ea singulis atque omnibus actu conferenda, eo magis bonus esse censendus est.*

§. 548.

III. *Bonitas absolute summa est, qua quis ad bona maxima, quorum quisque est absolute capax, singulis aeque ac universis, & quantum est in sua facultate, conferenda promtissimus est.*

§. 549.

Deo bonitas absolute summa per essentiam competit, & hoc ipso infinita. Datur enim in Deo potentia infinita (§. 492.), i. e. talis, qua summa facilitate efficit ea omnia, quaecunque possibilia ipsi alioquin sunt. Datur quoque in Deo scientia infinite perfecta, qua distinctissime cognoscit, quorum universe bonorum, & cuius felicitatis, quaevis creaturae sint absolute capaces, tum singulae, tum universae. Datur in eodem sapientia infinita (§. 537.), qua, tum quod optimum omnium possibilium bonorum seu in singulis, seu in universis est, pro fine sibi praestituere, tum aptissima ad illud consequendum media eligere, perfectissime novit. Datur denique in Deo absolute summa rectitudo, tam physica (§. 470.), quam moralis, i. e. sanctitas infinita (§. 541.), seu consensus omnium voluntatis suae actuum perfectus cum perfectione eiusdem essentiali in ratione boni (§§. 468. 539.). Unde seu necessarium, seu liberum ponas voluntatis divinae actum, quo haec in summum quodlibet cuiusque creaturae rationalis bonum, quod simul in Dei potestate sit, feratur; consentire is debet absolute & perfectissime cum infinita perfectione Deo essentiali. Atqui non consentiret, nisi summa promtitudine vellet omne illud istius creaturae bonum, cuius istam novit esse

capa-

capacem, & nisi ad idem promovendum vellet concurrere, quantum est in ipsius potestate; ac demum nisi id ipsum pari promtitudine vellet respectu omnium, prout id velle respectu omnium, & efficere respectu omnium, itidem in ipsius est potestate positum: Atqui talis est bonitas absolute summa (§. praec.), cui nec addi gradus alius bonitatis potest, hoc ipso, quod summum bonum, intrinsece iuxta ac extrinsece possibile, cuique nullo excepto pro sua virili parte summa possibili promtitudine velit; adeoque vere est infinita. Itaque reipsa Deo bonitas absolute summa & infinita tribuenda est, & quidem vi essentiae, hoc ipso, quod illa non nisi ex perfectionibus eidem per essentiam insitis, ex omnipotentia videlicet, scientia, sapientia, & sanctistitate (§§. citt.) derivetur.

* Ecce tibi demonstrationem propriam & maxime completam principii foecundissimi, ex cuius suppositione per ratiocinia minus completa superius interim stabilita (§. 92.) tanta iam in decursu huius Theologiae Naturalis inde a Capite II. hucusque iam intulimus; quorum brevem hic repetere synopsin non erit supervacaneum.

§. 550.

I. *Deus vi bonitatis suae non potest non bene velle omnibus & singulis creaturis rationalibus, nec potest illis velle nisi verum bonum, i. e. non nisi tale, quod in similitudine quadam illius boni consistat, quo ipse absolute beatissimus est* (§§. 546. 86. 101.).

II. *Deus vi bonitatis suae infinitae non potest velle creaturis rationalibus aliam beatitatem, nisi quae in ipsius distinctissimo intuitu & amore, i. e. in ipsius Dei glorificatione, quam fieri potest, perfectissima consistit: siquidem nec ipse alia beatitudine gaudet* (Cor. I. & §§. 102. 103. 104.).

III. *Deus vi bonitatis suae infinitae per se & voluntate antecedente* (§. 371.) *velle debet creaturis rationalibus*

libus singulis atque omnibus beatitudinem talem, quam ipsæmet bono usu libertatis per modum boni moralis acquisiverint. Vi bonitatis suæ infinitæ namque debet ipsis velle beatitudinem respective summam, seu bonum optimum, cuiuscunque absolute capaces sunt (§. 548.). Atqui eadem beatitudo in eodem gradu boni physici spectata maior est, id est, in maiorem gloriam habenti eam cedit, si per modum boni moralis ab ipsa creatura rationali acquisita fuerit, bono usu libertatis propriæ, quam si ex mera aliena liberalitate per modum boni mere physici fuerit accepta (§. 132.); simulque rationalis quælibet creatura, per se beatitudinis cuiuslibet per modum boni moralis acquirendæ capax est, quamprimum libertate ipsa proxime completa, & mediis ad eam tanquam finem obtinendam moraliter sufficientibus (§§. 187. 197.) ab ipso Deo instruitur. Ergo Deus vi bonitatis suæ infinitæ hanc ipsi beatitudinem velle debet, & quidem voluntate antecedente, & per se; quia bonitas summa, cuius caussa ipsi eam velle debet, Deo essentialis est, simulque talis beatitudo per se possibilis est (§. 371.).

* Quodsi ergo aliam tamen beatitudinem Deus creaturis rationalibus actu voluntate consequente vellet, i. e. talem, quam sine illarum cooperatione libera solus ipse per modum boni mere physici eis largiretur; per accidens id fieret, nimirum quia prævidet, plurimas eam libero obsequio haud promerituras; quæ præscientia Dei media directa accidentalis in Deo est, neque necessitatem Deo imponit, ut reprobis prævisis gratificandi caussa prævisis electis occasionem subtrahat beatitudinis cum maiore sua gloria & honore per liberum obsequium promerendæ: quippe qua ipsa re isti maxime ad Dei similitudinem sunt accessuri, qui & ipse omnem suam beatitudinem a se ipso ceu a ratione sufficiente prorsus *adæquata* habet.

** Vides

** Vides simul, ex modo dictis veram necessitatem voluntatis Dei generalis benevolæ antecedentis, §. 332. assertam, clarissime fluere.

IV. *Etsi Deus vi sanctitatis suæ non possit velle pro fine ultimo aliud bonum in creaturis rationalibus efficiendum quam sui gloriam: tamen hanc pro fine ultimo non vult ceu sibi bonam, sed ut bonam nobis, efficaciam voluntatis determinante præcise bonitate ipsius respectiva* (§§. 98. 99. 108. not. 2.).

V. *Unde finis ultimus in creatione volitus ut efficiendus est quidem Dei gloria veram creaturæ rationalis beatitudinem conficiens; ratio tamen ultima volendi hunc finem non est bonitas ipsius finis istius, sed ipsa Dei bonitas respectiva essentialis iuxta atque bonitas essentialis absoluta*, ista quidem eatenus, quatenus non nisi similitudo cum ipsa verum illud bonum creaturæ conficere potest, quod solum illi velle Deus vi sanctitatis suæ potest (Cor. I. hic); illa vero, quatenus ipsa ratio ultima est necessariæ voluntatis Dei antecedentis ac generalis, qua Deus actu ita serio vult omnium salutem, ut non nisi ex defectu ipsarum creaturarum rationalium contingere possit, ut salus illa non semper actu consequatur (§§. 372. 392. 393. &c. &c.).

VI. *Neutiquam tamen idcirco a sua bonitate respectiva licet infinita Deo absoluta necessitas imponitur volendi bonum quodcunque voluntate efficaci, id est, creandi vel aliquem mundum simpliciter, vel ullum ex cunctis possibilibus determinate:* quia, licet voluntate antecedente scientiam mediam directam Deus necessario velit beatitudinem omnium summam in abstracto, tamen ea voluntas se sola efficax non est (§. 375.) & respectu voluntatis consequentis circa quemlibet mundum creandum in individuo Deo motiva absterrentia suppetunt, ut possit nolle

illum creare insuperhabita bonitate sua respectiva infinita (§§. 236. seqq. & 373. III. huiusque notis.)

VII. *Illud tamen ex Dei bonitate essentiali prorsus consequens est, ut, siquidem Deus aliquem mundum libere creare velit, quamdiu prævidet in quodam possibili mundo bonum universum, seu beatitudinem cunctis creaturis rationalibus in eo comprehensis obventuram (spectato simul numero beandorum & gradu beatitudinis consequendo) majorem fore quam in alio, non possit velle creare mundum posteriorem, seu minus bonum in dicto sensu, præ illo priore ac meliore.* Pro altero enim, seu minus bono, volendo nec motiva ipsum decentia suppeterent (§. 235.) nec talis electio cum Dei perfectione essentiali consentiret, proin cum summa Dei rectitudine morali atque sanctitate infinita pugnaret (§. 549.)

VIII. *Unde si ex revelatione quadam divina supernaturali aliunde constet, Deum actu diversos mundos, seu eosdem homines in diverso naturæ statu, potentia proxima creare potuisse, certo indicio foret, Deum actu prævidisse, comparato inter se numero beandorum & gradu beatitudinis in utroque mundo consequendæ, æquale beatitudinis bonum universe liberi arbitrii bono usu a creaturis rationalibus consequendum fore in utroque* (§. 373.) not. 3. ad 2.)

* Neque istud est inverisimile; siquidem nec tantæ obligationes, natura sua valde difficiles, in illo statu puræ naturæ extitissent, quæ modo ex ipsa status supernaturalis indole nascuntur, & ex mente Suarii nostri (de quo in nota 3tia. §. 1. 373. in resp. ad 2.) etiam tunc Deus certa auxilia gratuita naturæ nostræ præsentibus viribus addidisset. Vide loc. cit.

IX. *Ex sola bonitate Dei respectiva infinita, ac Deo essentiali, nec usquam aliunde, per solum lumen naturæ recte infertur tam alterius beatæ vitæ status existentia, quam ipsius futura æternitas.* (§. 179. 182.)

* Et

* Et vero infra, de pleno Dei in suas creaturas dominio acturi, uberius adhuc ostendemus, Deum nullo libero creaturae rationalis obsequio *obligari* posse, aut necessitate aliqua affici, ut aut alio praemio virtutem remuneretur, quam quod virtus ipsa sibi natura sua praestat, aut ut omnino aeternitate mercedis eam compenset. Itaque nisi bonitas Deo infinita vindicetur, eaque necessaria per se ac Deo essentialis; gravissimorum dogmatum, quibus omnis vitae honestas innititur, fundamenta subrui necesse est.

X. *Itaque nan magis ipsa facultas proxima libertatis, quam beatitudo aeterna bono ex illius usu consequens, eique respondens, liberale divinae bonitatis donum est.*

XI. *Pari modo omnis voluntas Dei praecipiens & prohibens, poenasque simul aeternas cum praemiis malo & bono usui libertatis intentans merus hypothetice necessarius effectus est solius bonitatis Deo essentialis (supposita scilicet creatione substantiarum rationalium liberarum) & istius sequela talis, quae bonitate illa essentiali Deo semel abjudicata porro defendi & probari nequaquam potest.* (§§. 411. 412. 197. 203. seqq.) Profecto necessitatem istam utriusque illius voluntatis frustra aliunde repetas.

§. 551.

Negata seu hominum libertate in praesentis vitae statu, seu alterius beatae vitae existentia, in qua bono libertatis usui convenientia praemia, & abusui congrua supplicia a Deo sint retribuenda, etiam Dei bonitas respectiva infinita porro defendi ac salvari nullo pacto potest. Quodsi enim *libertatem humanam* praesentis vitae statui abiudices; seu simul alterius quoque vitae beatitudinem inficieris, seu admittas; quorsum tantae tamque enormes huius vitae miseriae servient? An ad alterius vitae beatitudinem patienti earum toleratione promerendam? At merito non est locus, ubi libertati non est. An ut do-

minium suum physicum & potestatem in creaturas Deus ostentet? Crudelis sane & Deo longe indignissima voluptas! sine ullo malo suo merito creaturas per longam annorum seriem acerbe cruciare, antequam easdem æque nullo ipsarum merito felices reddat. Gloriatio plus quam vana, vim suam torquendo imbelles ostentare velle. Turpius etiam adhuc erit asserere, nec posse quidem Deum omnipotentem aliter nisi post plurima mala accidentalia & nec nisi his mediantibus, creaturas suas ad veram felicitatem promovere; siquidem mala esse bonorum media physica absolute nequeunt; cum illa negatione, hæc realitatibus constituantur (§. 7. Ont.) Quodsi ne alterius quidem vitæ beatitatem futuram adstruas, quamcunque perfectum esse mundum præsentem dixeris sine usu libertatis; quis non malit, omissam illius creationem, quam factam, a Deo fuisse? Ubi ergo Dei bonitas sublata libertate? *Hoc primum.*

Vicissim *sublata alterius beatæ vitæ spe;* seu concedas homini in præsentis vitæ statu libertatis usum, seu abjudices; quid respondebis ita urgenti Epicuro apud Lactantium *in Libro de ira Dei.* c. XIII. *num Deus non potuit* nos a malis præsentis vitæ tam enormibus præservare? Enimvero si ita est; cum mala mere accidentalia tolli per bona opposita item accidentalia possibile prorsus in se sit, (§. 479.) Deus facere impotens, quod in se possibile est, *omnipotens*, ac proin Deus, non erit. *Num vero nescivit* modum, quo nos liberare a malis eisdem posset? Et *omniscius* non est, qui aliqua per se possibilia ignorat. *Num* denique, quod scivit probe, ac potuit, facere tamen *noluit?* Profecto nisi ut infinite sapiens finem istius permissionis tam acerbæ sibi proposuerit ejusmodi, qui mala isthæc omnia bonitate multo maiore sibi propria compenset, *bonus*

nus Deus atque adeo Deus, hoc ipso non est. Jam vero quisnam ille finis sapientia dignus infinita? Num virtus ipsa, libere, sine prœmio ullo, imo etiam absque spe istius, exercita? Enimvero finis imprudenter statuitur, si nulla illius assequendi media sufficientia (seu physice, seu moraliter) administrentur. Ubi vero media ista virtutis exercendæ, omni spe prœmii, & metu supplicii, in vitam alteram saltem reservati, penitus sublatis? An ipsa virtuti insita voluptas? Ast præsens ex eo nata voluptas in comparationem venire nequit seu cum voluptate vitium comitante, seu cum doloribus ac tædiis, quæ virtutis comites sunt individui. Vide §. 200. seqq. Aut bonus ergo Deus esse non potest, qui nullo fine meliore ultima permittit mala, quæ tollere scit, & potest: aut sapiens non est, qui finem quidem meliorem in ea permissione sed sine aptis ullis ac sufficientibus mediis propositum sibi habet. Atque *hoc alterum*, nimirum sublata alterius vitæ spe Dei bonitatem porro defendi non posse.

* Quam ergo male Dei bonitatem Ill. D. Wolfius, atque illi omnes, qui paucis admodum ejus dogmatis mutatis Epitomes Theologiæ Wolfianæ conscripserunt, quam male, inquam, isti omnes Dei bonitatem vindicant infinitam, qui aut libertatem veram secundum Wolfiana principia homini abjudicant, aut ita Theologiæ Naturalis juxta ac Juris Naturæ dogmata proponunt; ut nullam de alterius cuiusdam immortalis vitæ futuræ existentia mentionem ingerant, pro desperato veluti consilio habentes, istius existentiam ex principiis lumine naturæ notis velle demonstrare. Næ male isti omnes & miserabiliter objectiones solvent, quas contra Dei sapientiam & bonitatem ex præsentibus mundi istius malis tum Epicuræi veteres, tum recentiores Philosophi cum DD. Bayle & Robinet, millies opponunt; idque eo amplius, quod ipse Ill. Wolfius

fius §. 1078. not. Theol. Nat. P. I. ultro affirmet, *ex principiis rationis demonſtrari minime poſſe, præter eas pœnas, quæ rerum nexui inſunt, aliis etiam locum eſſe in altera præſertim vita, quæ a morte corporis initium capit.*

** Videamus modo, quam prona conſecutione ex nota ſemel a poſteriori hominis libertate, & ex divinæ bonitatis reſpectivæ infinitudine a priori demonſtrata (§. 549.) fluant tum alterius vitæ beatæ poſt hanc futura exiſtentia, tum eiusdem bonitatis divinæ, cum iſtius vitæ malis compoſitæ, certiſſimæ vindiciæ.

§. 552.

Deus vi bonitatis ſuæ abſolute ſummæ non modo non vult homines abuti libertate, qua in præſentis vitæ ſtatu pollent, ad malum morale, ſed prorſus ſeria voluntate vult abuſum illum non fieri, nec mala moralia committi. Mala enim moralia recta obſtant felicitati hominis, ceu mala abſoluta tum ea libere committentis (§. 131.) tum reſpectiva, reſpectu aliorum nempe illi conviventium (§§. 165. 168.) Atqui Deus vi bonitatis ſuæ abſolute ſummæ perfectiſſima, adeoque ſeria, voluntate vult promovere felicitatem cuiuslibet creaturæ rationalis (§§. 549. 545. 485. 392.) Ergo non modo non vult homines abuti libertate &c.

§. 553.

Etſi homo quisque in individuo huic divinæ voluntati, de qua §. præc. perfecte ſe conformet, & ab omni libertatis abuſu ac malo morali conſtanter ſe per omnem hanc vitam abſtineat; tamen felicitatem completam conſequi eum in hac vita evidenter impoſſibile eſt; (§. 177.) quia videlicet nec ipſe a malis mere phyſicis propterea immunis eſt, nec mala moralia ab aliis ei una conviventibus hominibus perpetuo admitti ſolita, ipſi moleſtiſſima eſſe ceſſant. (§. 168.)

§. 554.

§. 554.

Ex ipsa notione bonitatis divinæ respectivæ (quæ per §. 537. *not.* & §. 549. *evidentrr realis est,) accedente experientia* §. *præc. memorata, evidens plane est, Deum beatitudinem, seu completam felicitatem hominum, in hoc præsente mundo ejusque systemate comprehensorum, alteri cuidam certissime futuro vitæ melioris statui reservasse,* 2do. *eidemque ceu fini ultimo totum præsentis vitæ statum, rectumque in isto humanæ libertatis, quam nobis dedit, usum, ceu medium, subordinasse, cujus ope summæ illius beatitatis futuræ statum ceu bonum morale maiore cum nostra gloria & ipsius beatitatis insigni incremento ipsi acquireremus,* 3tio *ac demum felicissimum illum beatitudinis statum æternum duraturum in omnibus, qui illum recto libertatis usu in hac vita sibi iverint acquisitum.* Enimvero ex omnibus ratiociniis, quibus istas theses supra §§. 179. 182. usque ad §. 194. stabilivimus patet, ea omnia, suppositis præfatis experientiis a posteriori notis, in notionem illam divinæ bonitatis, ceu rationem sufficientem ultimam, resolvi.

* Notes vero, qua ratione in his demonstratio a priori cum demonstratione a posteriori concurrat æque, ac ad ammussim consentiat. Etenim §. 372. seq. a priori demonstratum est, Deum vi benevolæ suæ voluntatis innatæ velle debere voluntate antecedente beatitudinem a nobis per modum boni moralis acquirendam (§. 373. II.) Quoniam tamen hæc antecedens voluntas non est necessario efficax (ibid. III. & §. 375.) & per se voluntas consequens ob prævisa mala, ex permisso nobis libertatis usu secutura, æque decernere potuisset beatitudinem nobis per modum boni mere physici universe largiendam: idcirco, quid Deus actu consequente voluntate liberrime voluerit, nonnisi a posteriori constare nobis potest. Id autem ex gemina experientia certissime & cum omni evidentia colligimus

mus, nempe ex usu libertatis, quem nobis in hac vita concessum a Deo intime sentimus, & ex impossibilitate, in qua versamur toto præsentis vitæ statu circa veram aliquam felicitatem etiam quamcunque constante bono libertatis usu acquirendam. Ex gemina enim isthac experientia, supposita divinæ bonitatis notione, evidenter prorsus colligimus, Deum bono usu libertatis acquirendam beatitudinem nobis reipsa pro fine ultimo voluntate consequente actu constituisse, & hanc beatitudinem non esse huius, sed alterius cuiusdam hoc ipso evidenter consecuturæ vitæ propriam; quæ quin duratura æternum sit ipsa divinæ bonitatis infinitas, motivo omni se decente illam ad certum tempus limitandi caritura (§. 235.) nos dubitare non finit.

§. 555.

Finis ultimus, quem Deus in creatione istius mundi sibi voluntate consequente libera præstituit, tam sapientiæ eius infinitæ, quam infinitæ bonitati, perfecte consentit. Finis enim iste est beatitudo respective summa, eaque æterna, in futuro alterius vitæ statu æternum duratura, & omnibus creaturis rationalibus, in hoc mundi systemate comprehensis proposita, ceu recto libertatis usu in præsentis vitæ statu per modum boni moralis acquirenda; (§. præc.) quippe quam Deus voluntate antecedente vi perfectionis sibi insitæ & naturalis omnibus ex æquo velle tenetur, & quam omnibus in hoc mundi systemate comprehensis actu voluntate etiam concomitante seria vult (§. 393.). Jam vero finis iste talis est, quo non est alius melior possibilis, sive beatitudo illa spectetur, ut est participatio quædam ipsius beatitudinis divinæ absolute summæ, sive ut est bonum ipsius creaturæ rationalis. Vult enim Deus per se voluntate antecedente beatitudinem omnium respective summam, in suæ beatitudinis similitudine consistentem

(§. 101.)

(§. 101.) eamque modo excellentissimo, i. e. per modum boni moralis propria opera acquisitam & possessam a creaturis rationalibus (§§. 373. 132.) &, licet eundem finem pro tota sua magnitudine non respectu omnium assequatur, nec velit voluntate efficaci; vult tamen voluntate seria, (§. 393.) & quia ratio ultima, cur is non integre consequatur, sit aliquis defectus voluntatis ipsius, (§. 392.). Unde non est alius finis possibilis, cuius volitio magis cum Dei essentiali perfectione consentiat, quam is ipse (§. 150. VII.) adeoque idem revera finis optimus (§. 533.) ac Dei sapientiæ absolute summæ conformis est (§§. 535. 537.) *quod primum.* Est vero idem finis bonum maximum, cuius quævis rationalis creatura est absolute capax, seu beatitudo respective summa, & per modum boni moralis possessa (§§. 84. 132.); est a Deo volitum seria voluntate universis, & voluntate quidem promtissima ad idem actu conferendum, quibuscunque, seu bono libertatis usu prævio promeritum, conferre id ipsum est in sua potestate positum (§. 393. seqq.); ita quidem, ut, si esset aliquis mundus possibilis, in quo plures beatitudinem bono usu libertatis promerituri, aut promerituri maiorem illius gradum, a Deo prævidirentur, quam in præsente, Deus illum mundum haud dubie præ isto elegisset (§. 550. VII.). Quoniam itaque non nisi bonitati absolute summæ, qualis divina, proprium est velle quam plurimis bonum maximum, cuius & ipsi capaces sunt, & quoad in volentis est potestate id ipsum conferre; patet, finem eundem, quem Deus creando hunc mundum sibi proposuit, etiam bonitati ipsius absolute summæ, seu infinitæ, prorsus conformem esse: *quod erat alterum.*

* Ex

* Ex ſtabilita theſi hac porro nequaquam ſequitur, alium finem ultimum, quem Deus ſibi præſentis loco ſtatuere libere potuiſſet, e. g. beatitudinem omnibus ſine diſcrimine per modum boni mere phyſici conferendam, non æque conſenſurum fuiſſe cum infinita Dei ſapientia & bonitate; ſiquidem utraque volitio ſecundum ſe æque bona (§. 246.) licet alia aliis melior (§§. 247. 248.) futura fuiſſet.

** Præterea bonitas non ex effectu ipſo tunc metienda eſt, cum is a duplici principio libero quoad exiſtentiam dependet, ſed ex promtitudine volentis pro ſua virili parte conferre omnia, quæ ex ſua parte ad conferendum alteri bonum abſolute maximum, cuius iſte capax eſt, neceſſaria ſunt; præſertim ſi præter iſta aliud porro quam ipſius recipientis bonum cooperatio libera nihil admodum requiratur.

§. 556.

Media, quæ Deus in creatione iſtius mundi ad obtinendum creationis finem ultimum obtinendum adhibuit, itidem eius ſapientiæ iuxta ac bonitati infinitæ apprime ſunt conformia. Deus enim per eſſentiam ſanctiſſimus eſt (§. 541.) i. e. actiones ſuas omnes liberas in ratione boni cum eſſentiali ſua perfectione (§. 539.) atque idcirco hoc ipſo etiam cum conſiliis infinitæ ſapientiæ ſuæ, perfectiſſima rectitudine (§. 468.) conformans. Quoniam autem, cum libera eſt finis electio, mediorum quoque ſelectus ſaltem mediate & abſolute liber eſt; dubitari non poteſt, quin Deus, electo libere ſecundum conſilium ſapientiæ ſuæ infinitæ fine optimo creationis huius mundi (§. præc.) etiam ſelectum mediorum ad eundem finem optimum reipſa obtinendum conſiliis eiusdem infinitæ ſapientiæ ſuæ conformarit. *Hoc primum.* Porro hoc ipſo, quod ſelectus mediorum, fine ſemel conſtituto, iam non

non amplius sit immediate, sed solum mediate liber, eo quod finis rationem mediorum determinet (§. 304.) idcirco, cum simul infinita scientia & sapientia consilio suo Deo decretis divinis ad voluntatem consequentem pertinentibus, quale creationis decretum est, (§. 378.) perfectissime præluceat, (§. 334.) evidens est, Deum, finem optimum decreto bonitati suæ infinitæ perfecte conformi semel eligentem, non potuisse item nisi media ad eum obtinendum bonitati suæ infinitæ item perfecte conformia eligere. *Hoc alterum.*

§. 557.

Deus haud dubie elegit media omnium possibilium aptissima ad creationis finem optimum (i. e, ad summum beatitudinis per modum boni moralis recto libertatis usu a creaturis rationalibus in hoc mundi systemate comprehensis acquirendæ gradum) infallibiliter obtinendum. Elegit enim media illa conformiter consilio infinitæ sapientiæ suæ, & conformitet fini, quem optimum sibi eius bonitas præstituerat (§§. 555. & præc.) Atqui sapientiæ infinitæ est media omnium aptissima suggerere (§§. 535. 538.) & bonitatis infinitæ, non solum finem optimum velle, sed & pro tota facultate sua, adeoque & pro scientia, eundem per aptissima media urgere (§. 548.)

§. 558.

Consilium divinæ sapientiæ, Deo & finem creationis optimum, & media ad hunc aptissima, proponens, non secundum scientiam solum simplicis intelligentiæ, sed secundum scientiam mediam directam, & quidem non solum proponentem media aptissima pro singulis seorsum, sed & aptissima respectu totius collectionis rationalium creaturarum in hoc mundi systemate comprehensarum, conceptum erat, ita, ut proponeret seriem ac

nexum mediorum universis offerendorum præcise illam & illum, ex quo secundum universitatem scientiæ suæ mediæ directæ Deus prævidebat tantum gloriæ suæ juxta ac beatitudinis creatæ gradum consecuturum, quo maior nullus alius esset sub quavis alia serie aut nexu mediorum vi libertatis creatæ secuturus. Deus enim de quovis bono particulari iudicat, ac proin & consilium quodvis sapientiæ suæ circa idem concipit, non prout est in se absolute bonum, sed secundum nexum ipsius cum universo bono & beatitudine universarum creaturarum rationalium in quovis mundi systemate comprehensarum (§.424.) Idem vero nec quodcunque bonum vult quacunque voluntate in particulari absolute, sed singula atque omnia cum relatione ad totum creationis finem, seu omnium beatitudinem simul spectatam, eamque quam maximam, & quam plurimorum (§.426.) & quidem per modum boni moralis acquirendam (§.373.). Jam vero nexus iste quorumcunque possibilium mediorum cum isto fine, cum non nisi per ipsos liberi arbitrii creati actus, ceu rationes sui ipsorum partiales ultimas (§.329. not. Psych.) determinetur, a Deo non per solam scientiam simplicis intelligentiæ, nec per particulares solum scientias medias directas, sed per solam universitatem scientiæ mediæ directæ infinitam, omnes possibiles actuum liberorum unius creaturæ cum actibus liberis alterius conditionate futuros nexus proponentem, prævideri potest. Itaque consilium divinæ sapientiæ &c.

§. 559.

Nemo hominum directe & a priori de aptitudine mediorum in præsens a Deo pro consequendo fine creationis optimo adhibitorum, tum singulorum, tum universorum respectu, adeoque nec de Dei sapientia & bo- nitate

nitate circa eorundem selectum, nisi cum evidenti temeritate & stultitia iudicare potest: sed hoc ipso, quod ista & non alia ab eo adhibita fuisse aliquando compertum habeatur, ob evidenter perspectam a priori sapientiæ & bonitatis ejus infinitudinem (§. 537. 549.) *certissime statuendum est, hæc ipsa esse omnium possibilium aptissima ab ipso Deo prævisa.* Ut enim sapienter de hoc & cum aliquo fundamento possemus iudicare, scientia Dei media directa, nec ea particulari tantum, sed tota eius infinitudine, nobis omnino opus foret (§. præc.). Atqui tam evidens est, illam nemini hominum competere, quam est evidens, illam Deo perfectam cum infinitæ sapientiæ consilio & æque infinita bonitate voluntatis inesse. Ergo nemo hominum &c.

* Si de aptitudine mediorum variorum tantum ad beatitudinem per modum boni mere physici illius ope promovendam, vel de sola aptitudine mediorum in actu primo etiam ad beatitudinem per modum boni moralis acquirendam, vel demum de eadem aptitudine etiam in actu secundo respectu unius singillatim hominis, iudices; necesse est perversum consequi iudicium. Jam vero non sic Deus judicat, nec tam contracto obtutui finitæ sapientiæ selectum mediorum, & divinæ bonitatis suæ decreta, conformat.

§. 560.

Ex thesis præcedentis demonstratione *evidentissimum plane est, nequaquam peti ab ullo posse demonstrationem positivam, quod hæc vel illa Dei decreta, seu prædefinitiva bonorum, seu permissiva malorum, cum Dei bonitate infinita consentiant, sed solum demonstrationem negativam, qua ostendatur, nulla probabili ratione probari posse, quod ab ea dissentiant.*

ARTICULUS II.

BONITAS DEI INFINITE PERFECTA STANTE PERMISSIONE MALORUM IN ISTO MUNDO DEFENDITUR.

§. 561.

Aliqua mala physica Deus virtute sapientiæ suæ & bonitatis ipsius infinitæ, supposito semel creationis fine ultimo præsente, debuit permittere, Debuit enim creationis fine præsente supposito conferre creaturis rationalibus libertatem in actu primo proximo tam ad bonum, quam ad malum morale atque ad istud tam negativum, quam positivum, addendo præceptum boni, & mali prohibitionem (§§.198. not. 175. not. 411. 412.) quo posito etiam omissio boni iam non mere negativum malum morale esse potest. Etenim sine libertate prædicta beatitudo per modum moralis acquiri non potest; qualis tamen pro fine ultimo in præsens ipsius divinæ sapientiæ infinitæ consilio, & decreto infinitæ bonitatis, actu nobis constituta est. (§§. 108. 393. II. 555.) Jam vero libertas ad malum morale, præsertim positivum, malum physicum per essentiam involvit. (§§. 136. 137.) Ergo aliqua mala physica &c.

§. 562.

Non dedecebat Dei bonitatem permittere ad breve tempus vitæ cuiusque hominis, ut affligeretur omnibus illis malis physicis, sine quibus secundum infinitæ sapientiæ suæ consilium prævidebat, bonum illum usum libertatis in universis creaturis rationalibus non esse in præsentis vitæ statu extiturum, per quem, ceu medium morale proxime sufficiens (§§. 185. 189.) summus beatitudinis universæ instar boni moralis obtinendæ gradus esset alioquin pro secuturæ melioris determinandus. Cum enim hic finis ipse, ceu optimus, non dedecere possit

possit (§. 555.) nec media, quæ ad eundem unice in actu secundo sufficientia futura certissime prævidentur, sive a consilio infinitæ sapientiæ, sive ab inclinatione infinitæ bonitatis dissentire possunt, nisi aut ipsa maiora sint mala, quam bonum sit, quod in fine consequendum proponitur, aut saltem proportione quadam malitiæ suæ finis boni* tati respondeant. Atqui mala physica, istius vitæ status brevitati propria, tum per se media sunt etiam ad bonum usum libertatis circa ea faciendum apta (§. 225.) per quem beatitudo alterius vitæ immediate obtinenda est (§. 190.); tum vero utcunque magna respondeant cuique homini singillatim juxta, atque creaturis rationalibus universis in hoc mundi systemate comprehensis, nullam habere proportionem possunt seu ad æternitatem, seu ad magnitudinem bonorum, quæ Deus infinite potens & bonus conferre in vita altera evidenter secutura (§. 554.) & potest, & actu vult. (§. 373. I.) Etenim duratio temporanea ad durationem non finiendam necessario proportionem qualibet data minima minorem habet; simulque Deo omnipotenti & infinite bono nec facultas, nec voluntas deesse potest, quantamcunque mali physici præsentis magnitudinem magnitudine futuræ beatitudinis immensum maiore compensare. Itaque non dedecebat &c.

* Adde (quod infra ostensuri sumus §. 574. seqq.) pleraque mala non tantum pœnæ per malefacta nostra commeritæ, quin & medicinæ ac paternæ correctionis rationem iustissimam habere (§. 737.)

§. 563.

Diuturnitas iuxta ac magnitudo malorum physicorum, quæ a quovis probo homine huius vitæ statu durante exantlantur (nullo malo morali ceu illorum caussa

ex parte ipsius probi hominis interveniente) certum specimen & argumentum sunt æternitatis & immensæ magnitudinis beatitatis illius, quam eidem, si in probitate sua constans perseveret, in alterius vitæ statu Dei bonitas infinita præpararit. Neque enim deceret secus bonitatem infinitam, mala tam grandia ut innocenti creaturæ suæ incumberent, permittere; si non posset iuxta, sciret, ac vellet, ea bonis sine omni proportione maioribus & æternis compensare (§. præc.)

§. 564.

Dedeceret infinitam Dei bonitatem, maiora mala physica vel uni tantum creaturæ rationali, & quidem gradu vel tantillo, ut evenirent, permittere, quam necesse esse prævidet ad hoc, ut summus beatitudinis possibilis prævisus gradus in creaturarum rationalium hoc mundi systemate comprehensarum universitate reipsa ope boni usus libertatis in hac vita acquiratur. Infinitæ enim bonitatis proprium est pro tota facultate cuique conferre omne bonum, cuius est capax, nec decet illam permittere malum, nisi quoad maioris boni medium est absolute necessarium (§§. 562. 548.). Quodsi autem maius malum physicum in hac vita Deus permitteret, quam ad finem prædictum permittere absolute necessarium est, nec pro tota facultate omne bonum conferret, nec maioris boni caussa illum mali excessum permitteret; quippe quo etiam non permisso totum bonum idem obtineretur. Ergo dedeceret &c.

§. 565.

Itaque ex ipso eventu quorumcunque malorum physicorum a posteriori certissimum evadit, eadem ut actu evenirent, ad summum creaturarum rationalium in hoc mundi systemate comprehensarum, quæ per modum boni moralis esse possibilis prævisa est, beatitudinem promovendam necessarium fuisse nec nisi secundum infinitæ sapientiæ

pientiæ consilium, decreto infinitæ bonitati consono, a Deo actu permissum esse. Nec enim sine permissione Dei evenire (§. 434.), nec nisi ut necessaria ad eum finem permitti a Dei bonitate possent (§. præc.)

* Nimirum ipsa experientia satis docet, mala physica non minus quam bona physica in actu primo æque ad bonum atque ad malum libertatis usum provocandum caussæ occasionalis & medii rationem habere; (§. 225.) constantem ex adverso bonorum in hoc vitæ statu affluentiam saltem non minus quam malorum illuvionem morum integritati creare pericula, nutrire superbiam, suscitare ardorem & immoderationem affectuum, assuefacere hominem molliori vitæ, esse in caussa, ut totus animus terræ bonis ubertim affluentibus affigatur cum supremi boni & futuræ vitæ beatitudinis contemtu ac neglectu; vicissim malorum tolerantiam servire fastui deprimendo, & mollitiei extirpandæ, nutrire animi constantiam & affectuum circa res cunctas huius vitæ moderationem, detegere istarum vanitatem, ac provocare ardens studium summi boni in altera meliore vita perfectissime possidendi. Adde, malorum tolerantiæ non minus quam turbini bellorum inprimis deberi heroicæ virtutis periclitationem juxta ac perfectionem.

** D. Robinet P. V. C. 71. operis sui (De la Nature) contemnit istas observationes, quæ vindicandæ divinæ bonitatis studio communiter a Christianis morum doctoribus circa permissionem malorum in hoc mundo congeri consueverunt; aitque, totum, quod ad excusandam in malis permittendis Dei bonitatem affertur, pari energia servire ad eam minuendam & incusandam circa prosperitatum huius vitæ largitionem, quæ non nisi pro donis veneno infectis, & pro innocentium animorum laqueis, haberi debeant. Verum facillima est responsio. Nimirum Dei bonitas ex æquo in bonis & malis huius vitæ prædefiniendis & permittendis se commendat, non præcise ex eo, quod bona & mala huius vitæ secundum se decernat,

ſed quod non alio fine, nec alia menſura, tam bona, quam mala, inter ſe alternantia, in huius vitæ decurſu pro hominibus diſponat, quam prout ſecundum infinitæ ſapientiæ ſuæ conſilium conducere novit ad beatitudinem quam maximam & quam plurimarum creaturarum rationalium ope boni uſus libertatis circa eadem faciendi obtinendam. Oſtenſa bonorum & malorum huius vitæ indifferentia, æqualis per ſe aptitudo ad hunc finem eo quidem ſervit, ut demonſtratione ſaltem negativa convincamur (§. 560.) nihil obſtare, quo minus cum malorum permiſſione ſumma & infinita bonitas conſtare poſſit. Aſt ipſe infinitæ bonitatis conceptus a priori notus nos convincit, non alio fine, nec alia ex cauſſa (atque adeo nequaquam ex aliquo bonitatis defectu, qui in ente infinito repugnat) mala, quæ actu ineſſe huic mundo experimur, a Deo permiſſa fuiſſe, quam quod permiſſio hæc ipſorum determinate neceſſaria fore præviſa ab ipſo fuerit ad ſummum bonum illud obtinendum, quod pro ſua benevolentia creaturis rationalibus conferre ab æterno exoptabat.

§. 567.

Permiſſio mere phyſica malorum moralium, etſi voluntaria (§. 213.) *coniuncta tamen cum voluntate prorſus ſeria eadem impediendi per media moraliter perfecte ſufficientia* (§§. 214. 197.), *non modo non repugnat ſapientiæ & bonitati divinæ, ſed prorſus cum eadem conſentit.* Decet enim poſitive vi ipſius bonitatis ſuæ Deum, ut velit beatitudinem creaturarum rationalium ab his per modum boni moralis acquirendam recto uſu libertatis (§. 550. III.), huncque finem ceu optimum illi ipſa infinita ſapientia conſilio ſuo decernendum proponit (§. 555.). Jam vero ſerio volens finem etiam ſerio debet velle media ad finem abſolute neceſſaria; quale medium reſpectu prædictæ beatitudinis eſt libertas indifferentiæ nullo phyſico impedimento reſpectu utrius-

que

que membri contradictionis præpedita (§. 185. & §. 307. Nro. 2. Psych.). Itaque Deus, etiam conformiter consilio sapientiæ suæ, media aptissima ad finem proponenti (§§. 537. 535.), & vi ipsius bonitatis (§. 557.), decrevit libertatem ad bonum iuxta ac malum morale, omni ad utrumque impedimento physico exsolutam, creaturis rationalibus in præsentis vitæ statu conferre, atque adeo & hoc ipsum decernere ipsum decebat. Porro autem permissio physica etiam voluntaria mali moralis aliud non est, quam ipsius libertatis ab omni impedimento physico solutæ decreta a Deo collatio (§§. 212. 194.). Ergo decebat Deum positive vi ipsius sapientiæ & bonitatis suæ physica, etiam voluntaria, malorum moralium permissio, nec adeo eisdem perfectionibus repugnare potest (§. 180.).

§. 568.

Dedeceret Deum, vel tantillo plus malorum moralium permittere, quam necesse esse ab æterno prævidit ad hoc, ut summus in actu secundo possibilis beatitudinis creaturarum rationalium in hoc mundi systemate comprehensarum gradus, recto usu libertatis obtinendus, reipsa obtineretur. Dedecet enim bonitatem infinitam non conferre summum bonum pro tota sua benefaciendi facultate (§. 548.); item dedecet Deum ad finem optimum non brevissima via & per media aptissima contendere, (§§. 534. 538. III.) adeoque etiam dedecet illam promovere summum illum beatitudinis gradum per plurium malorum præsertim moralium permissionem, quam permittere necesse sit ad eundem reipsa obtinendum §. 564.).

§. 569.

Ex ipso eventu actuali quorumcunque malorum moralium in hoc mundo, applicato ad distinctam notio-

nem sapientiæ & bonitatis divinæ, nobis a posteriori evidens sit, prævidisse Deum ab æterno, ad summum universæ beatitudinis gradum illum (de quo §. præc.) reipsa obtinendum prorsus necessarium esse, ut eadem omnia permitteret: secus enim ea voluntarie Deus permittere vi bonitatis suæ & sapientiæ infinitæ haud utique potuisset (§. præc.); sicut nec sine Dei permissione contingere possent (§. 434.).

* Nimirum physica non magis quam moralia mala seriei eventuum bonorum, tam physicorum, quam moralium, ita innectuntur, ut malis illis utrisque, vel alterutris, sublatis, non modo eventus physice boni, sed nec bona moralia, idemque usus bonus libertatis, porro eventura essent (§. 221.); quippe cuius ipsius occasiones tam sunt mala moralia, quam physica (§. 222.)

** Quam liquidum, quam solidum solatium probo homini malis non modo physicis, sed etiam aliena improbitate, undique presso nosse, omnia nonnisi secundum consilium sapientiæ infinitæ, & præcise ex decreto permittente infinito bonitatis, sibi eo unice evenire, quod eorum permissio necessaria esse a Deo omniscio intelligatur ad summam, quæ possibilis prævidetur, tum ipsius, tum omnium electorum universe, beatitatem attingendam, & promovendam; nec ultra, quam necesse sit ad finem hunc, vel pilum capitis cum sui molestia sibi loco dimovendum esse. Quis conqueratur de inæquali bonorum & malorum istius vitæ divisione? quis meliorem alteri sortem invideat? si credat universa a Deo secundum unam finis istius regulam definiri, qui in maximo universæ rationalis creaturæ bono consistit.

ARTICULUS III.

BONITAS DIVINA PRÆCIPUE DECLARATUR EX DIRECTIONE MALORUM HUIUS VITÆ IN BONUM FINEM.

§. 570.

Mala dicuntur *dirigi in bonum finem*, si, quando sine illorum permissione finis bonus obtineri non potest,

potest, eatenus præcise illa aliunde evenientia voluntarie permittimus, quatenus novimus ex illis ceu, caussis per accidens, finem bonum certissime eventurum.

* Mala non posse esse caussas boni per se, ultro constat; cum boni ratio sufficiens per se realis esse debeat. Unde errat Ill. Wolfius, cum in demonstratione §. 680. Theol. Nat. P. I. & sæpe alias, affirmat, *in ipsis malis physicis & moralibus rationem actualitatis summi boni, ac finis ultimi, contineri.* Non itaque nisi ope libertatis, i. e. per accidens, mala quæcunque caussæ boni finis atque media evadere possunt, idque vel ope solius libertatis illi propriæ, qui ea dirigit in bonum finem, vel ope libertatis alienæ, a qua vertenda in medium boni finis prævidentur. Unde & discrimen est inter id, *quod mala,* sine præscitu nostro aliunde evenientia, & actu præsentia, *vertantur in occasionem finis boni,* & inter id, quod præscita tunc, cum absolute adhuc impediri possent, non impediantur, sed permittantur aliunde evenire, sed eo fine, ut eveniat bonum, quod ex eorum occasione eventurum item iam prævidetur, id quod proprie est *mala dirigere in bonum finem.*

§. 571.

Deus in hoc universo mala physica & moralia dirigit in bonum finem, atque id ipsum sapientiæ & bonitatis ipsius proprium est. Sine ipsis enim nec bonus usus libertatis præsens in creaturis rationalibus, hoc mundi systemate comprehensis, nec ipsa proin beatitudo earundem alteri futuræ vitæ in præsens reservata, & ab illo usu libertatis dependens (§. 190.), obtineri posse a Deo prævisa est (§. 569.). Eadem itaque mala, cum nec Deus ipse efficere queat, nec ut finem velle (§§. 118. 119.), ut aliunde eventura præcise permisit, sciens quidem ac volens, haud alio tamen motivo motus, nisi quod certissime præsciret, non nisi ex illis ipsis bonum illum

illum libertatis usum in creaturis rationalibus isto mundo comprehensis demum eventurum, qui ipsius beatitudinis illius medium moraliter sufficiens futurus esset (§. 193.), quam ceu finem optimum creando hunc ipsum mundum sibi proposuerat (§§. 544. 95.). Atqui hoc ipso utraque illa mala direxit in bonum finem (§. praec.). 2. Porro cum beatitudo illa sit finis optimus in praesens possibilis a Deo praevisus (§§. 186. 150. VII.), media vero eadem sint aptissima, quae sola sufficientia, ac proin absolute ad finem determinatum necessaria sunt: quin sapientiae divinae proprium sit mala huius mundi dicto modo in bonum finem dirigenda consilio suo docere (§§. 450. 538.), dubitari non potest. 3. Cum denique bonitas Dei infinita mala quaecunque haud aliter permittere queat, nisi prout boni usus media, seu caussae per accidens (§. praec. not.), fore ab ipso praesciuntur (§§. 564. 568.); eiusdem quoque est eadem, siquidem permittantur actu, od bonum finem illum actu dirigere, ad quem usum aliquem habere actu praevidentur.

§. 572.

Bonus finis proximus, in quem mala physica & moralia a Deo in hoc mundo diriguntur, est bonus usus libertatis, qui in plurimis ex eisdem tanquam caussis per accidens consequitur; finis ultimus vero ipsa beatitudo a bono usu libertatis dependens. Reipsa enim bonus usus ille libertatis ita ex illis consequitur (§§. 218. 220), ut sine ipsis eodem modo nequaquam consequeretur (§. 221.); ac proin mala illa caussae per accidens quidem (§. 570. not.), sed necessariae (§. 569.), atque adeo media (§. 267. Ont.) sunt respectu boni usus libertatis ex eisdem consequentis (§. 222.); qui & ipse medium est moraliter unice sufficiens respectu beatitudinis in praesens pro fine creationis

ultimo

ultimo a Deo sibi* propositæ (§§. 190. 189.). Bonus ergo usus libertatis ob ipsam bonitatem tum absolutam, tum respectivam, seu aptitudinem in ratione medii ad finem ultimum, rationem finis proximi habet respectu malorum huius mundi, tam physicorum, quam moralium; finis vero ultimus ipsa beatitudo est &c. &c. (§§. 267. 268. Ont.); in quos fines proin mala illa a Deo diriguntur (§. præc.).

§. 573.

Mala physica omnia in hoc mundo vel ceu effectus naturales per se cum malo morali propria libertate commisso connexa sunt (§. 168.); *vel ex solo nexu rerum & ordine naturæ a Deo ipso libere determinato consequuntur sine creatæ libertatis interventu* (§. 517.); *vel ex usu aut abusu alieno libertatis a creaturis rationalibus admisso, ceu illius effectus, nobis eveniunt* (§.168.). Vel enim nostræ propriæ libertatis effectus sunt, vel non sunt. Si primum; natura ex eius solo abusu, i.e. ex malo morali, nasci possunt; cum bonus usus illius per se cum incremento perfectionis atque adeo & felicitatis connexus sit (§§. 131. 84.), nec bonum per se mali ratio esse possit. Si alterum: ergo vel creatæ alterius libertatis effectus erunt, vel non erunt. Si prius; ex malo morali alieno creaturæ liberæ orientur: sin minus; nullius creatæ libertatis, sod ordinis naturæ, i. e. libertatis divinæ, a qua leges naturæ præscriptæ (§. 520.), & ordo ille determinatus est cum omni sua serie eventurum (§. 517.), effectus sunt.

* Sic ex immoderatione gulæ sanitatis iactura naturaliter consequens est malum physicum cum malo morali naturaliter connexum instar effectus. Terræ motus domos evertens, & hominum stragem faciens, est malum physicum ex solo rerum nexu & ordine naturæ a Deo constituto profectum. Bonorum fortnnæ rapina mali moralis alieni effectus est physice nobis malus.

§. 574.

§. 574.

Mala physica, cum actionibus nostris (vel omissionibus) moraliter malis per se connexa instar effectuum naturalium, universe boni usus libertatis media evadunt, quatenus eorum aut prævisio, aut propria post malum morale semel admissum experientia, motivum absterrens est a malis id genus moralibus, quibuscum per se & universe connexa sunt, deinceps committendis. Patet ex notione motivi absterrentis (§. 290. Psych.) & ex dicis §. 198.

§. 575.

Mala physica ex solo nexu rerum & naturæ ordine profecta, sed eo tempore a Deo, naturæ leges præscribente (§. 520.), *disposita, ut post malum morale iam perpetratum ob illud ipsum ea nobis evenire voluerit, itidem boni usus libertatis media evadunt, quatenus eorum aut metus, aut experientia, itidem est motivum absterrens a quibuscunque malis moralibus similiter admittendis.* Ratio eadem est, quæ §. præc.

§. 576.

Idem tenendum est de malis physicis ex usu bono, vel ex abusu libertatis alienæ, nobis post propria perpetrata mala moralia exortis, quod §. præc. de malis physicis ex solo rerum nexu naturali pendentibus affirmatum est. Etenim nec ista mala nobis sine Dei præscitu & permissione evenire (§. 434.), ac proin æque ob malum proprium morale patratum a Deo immitti possunt, ut deinceps ab eodem patrando absterreant.

§. 577.

Mala physica, tam quæ ex solo naturali rerum nexu, quam quæ creatæ libertatis alieno abusu nobis eveniunt vel ante omne malum morale a nobis ipsis patratum, vel ob ipsum bonum morale, quod operati constanter sumus, etiam ipsa quam maxime boni usus libertatis media eatenus evadunt; quatenus vel abusus mali occasionem

una

una cum bonis physicis sibi oppositis subtrahunt; vel boni moralis magis ardui, seu virtutum maxime heroicarum, caussae sunt occasionales, imo conditiones necessariae; sine quibus actiones moraliter bonae magis difficiles, & hoc ipso magis heroicae, ne quidem possibiles, certe nunquam ponendae, forent. Etenim nec in huius quidem thesis utraque hypothesi id genus mala nobis sine praescitu & decreto Dei saltem permissivo evenire possunt (§. 434.), atque adeo, licet ob malum morale iam admissum nobis immitti a Deo in praesens non possint, nihilominus nobis, distincta Dei, eiusque sapientiae, sanctitatis, ac in nos bonitatis infinitae, notitia praeditis, caussae occasionales & signa naturalia sunt (§. 266. Ont.) voluntatis divinae tum ea permittentis, tum in finem in se aeque ac respectu nostri optimum eadem pro sua sapientia & bonitate dirigentis (§§. 570. 535. 537. 548. 549.), imo nec eadem nisi ex certo fine maioris boni inde obtinendi permittere valentis (§§. 564. 568.). Iam vero id genus mala duplicem usum in ordine ad bonum usum libertatis habere possunt; *primo* quidem negativum quatenus opponuntur bonis physicis, quae forte ceu mali moralis instrumenta mere occasionalia a nobis abutenda praevidit Deus, si illorum copia fuisset (§§. 219. 224.); atque sic mala physica praedicta occasiones tollendo, libertatis abusum, alias futurum, impediunt. *Deinde* positivum quoque usum ceu media occasionalia habere possunt, ad usum bonum libertatis magis heroicum, imo ceu conditiones prorsus necessariae, sine quibus ille nec esset possibilis. Etenim cum voluntas nostra caeteroquin natura sua secundum appetitum sensitivum in praesentis vitae bona quaecunque magno affectu feratur (§§. 263. I. 262. Psych.); fieri non potest, ut ex id genus oppositorum malorum physicorum intuitu taedium vehemens persentiscat,

ac

ac proin ex eodem intuitu prævifo ad fugam eorundem, ex præfentia vero illorum ad triftitiam vehementer ftimuletur (§§. 231. 244. 282. Pfych.). Ex parte vero altera eadem voluntas noftra, quatenus diftincta notitia de divinæ voluntatis, mala ifta omnia nullo etiam prævio noftro malo merito permittentis, fapientia, fanctitate, in nos bonitate (adde etiam, de fupremo illius iure & in libertatem noftram iuftiffimo dominio; quod infra §.642. oftendetur) probe alioquin eft inftructa, non poteft non ab ipfa ifta genuina divinæ voluntatis cognitione, ex ipforum malorum iftorum occurfu, velut ex occafione (§. 266. Ont.) refufcitata, ceu motivo perquam potente, in divinæ eiusdem voluntatis, ceu præfentis boni eximii, amorem fecundum rationalem appetitum vehementer impelli, & incitari. Quo ipfo in præfente conflictu & pugna utriusque appetitus (§. 285. Pfych.) non modo occafio fuppetit, ut ex præconcepto eximio de Deo eiusque univerfe fanctiffima iuxta atque optima voluntate iudicio, hanc ipfam cum omnibus, quæ ei conformiter eveniunt, fuo naturali fenfitivo appetitui multum præferat, ficque Deum practice honorando, boni ufus libertatis occafionem ex ipfis malis illis phyficis fapienter capiat; occafionem, inquam (§. 266. Ont.): fiquidem mala non nifi per accidens boni iftius cauffa ac medium effe poffunt (§. 570. not.). Atque *hoc primum.*

Porro autem bonum quodvis morale tum eo magis arduum eft ac difficile, quo maiora tædia in eo amplectenda funt, feu quo maior neceffitas moralis appetitum ad oppofitum inclinat, atque adeo ipfum bonum morale magis moraliter impoffibile reddit (§. 146. & §. 320. Pfych. verfus finem); tum vero, ubi magna tædia vincenda abfunt, arduum ac difficile effe omnino non poteft. Pari modo

do honor Dei practicus tanto maior est, quo maiori bono physico creato Dei voluntas, mala his opposita permittens, adeoque quo maiore cum appetitus sensitivi tædio & repugnantia, præfertur, ita quidem, ut honor Dei practicus sine id genus tædiis arduus esse insigni aliquo gradu omnino non possit (§. 176. IV.). Itaque mala physica, quatenus pro sua magnitudine magnorum quoque tædiorum in Dei voluntate amplectenda & practice honoranda unice necessaria ratio sunt, sine qua tædia illa, ac proin ipsa arduitas boni usus libertatis, possibilia haud sunt, reipsa conditiones prorsus necessariæ sunt, sine quibus actiones moraliter bonæ magis arduæ, & hoc ipso etiam magis heroicæ, ne quidem possibiles, certe nunquam ponendæ, forent. Et *hoc alterum* erat.

* Exempla in omni vitæ humanæ historia obvia sunt, quæ thesin istam confirmant. Nihil pronius, quam ut virtus nimia & constante bonorum istius vitæ affluentia in vitium trahatur. Constans ex adverso experientia docet, adversitates genuinam cotem virtutis esse, nec iustorum maximas virtutes sine adversis grandibus locum unquam fuisse habituras. Non raro temporalis quoque virtutis exaltatio non nisi magnis illorum ærumnis præviis videtur. Sacer veteris testamenti textus eximia istius rei exempla in Josepho, Mose, Davide, Machabæis fratribus &c. suppeditat.

§. 578.

Malorum moralium ipsorum quoque permissio medium est boni usus libertatis, ceu finis proximi, & ipsius beatitudinis per hunc acquirendæ, ceu finis ultimi creationis (§. 572.), *& quidem absolute necessarium.* Absque illorum enim permissione nec ipsa libertas, nec bonus istius usus possibilis est, nec adeo per hunc beatitudo acquiri posset (§. 569.).

§. 579.

Mala quæcunque huic mundo insita Deus ita in bonum finem dirigit, ut omnem, quem ceu media habere possunt, usum in ordine ad bonum usum libertatis ceu finem illorum proximum eorundem permissione intenderit, huncque ipsum ceu medium fini ultimo subordinavit. Deus enim pro fine ultimo creationis sibi constituit beatitudinem creaturarum rationalium in hoc mundo comprehensarum tantam, quantam maximam bono usu libertatis ab eis ope rerum creatarum omnium (quas item omnes ad hunc finem ordinavit §. 95.) obtineri posse ipse prævidit (§. 550 III. VII.). Simul vero Deus, quæcunque vult, vult sub relatione eorum ad totum (§. 426.), i. e. secundum omnem aptitudinem, seu usum (§. 155.), quem habere ad beatitudinem totam possunt, quæ finis ultimi totam rationem conficit. Iam vero quicunque malorum usus, quem habent ad bonum usum libertatis creatæ, etiam usus aliquis aptus est ad finem illum ultimum; quippe qui solo bono usu libertatis acquirendus est (§. 190.). Ergo Deus actu omnem illorum usum intendit ut finem proximum fini ultimo subordinatum (§. 572.).

§. 580.

Mala facere, ut eveniant bona, quis dicitur, quatenus mala ceu finem voluntate positiva vult ut mala, i. e. mala voluntate. *Auctor mali* appellatur, qui aut mala ceu finem positiva voluntate vult ut mala, aut saltem voluntate negativa libere permittit, cum permittere ea dedecet (§§. 403. 180. 211.).

§. 581.

I. *Deus non facit mala, ut eveniant bona,* Solum enim voluntate negativa permittit (§§. 211. 194.); ita tamen, ut nec permittat aliter, nisi ea lege, ut omnia dirigat ad bonum finem (§. 579.), adeoque non nisi voluntate optima permittit (§. 571.).

II. *Unde*

II. *Unde mala quidem in se obiective sumta Deus cognoscit esse conditiones, sine quibus bona non essent eventura; at hæc ipsa bona ex malis eventura respectu permissionis divinæ sunt conditio, sine qua Deus mala non permitteret.*

§. 582.

III. *Deus nullo pacto est auctor proprie talis ullius mali, seu physici, seu moralis.* Nec enim aut ipse vult positiva voluntate ullum malum qua tale, nec permittit, nisi quatenus ipsum non dedecet, imo decet, permittere (§. 181. 562. 569.).

* Quæ a §. 573. de malis physicis huc usque dicta sunt, eadem omnia in partem contrariam de bonis physicis tenenda esse, quidem ultro patet. Nihilominus, quoniam principia demonstrationum fœcunda admodum in eis continentur, paucis ea item hic subnectenda sunt.

ARTICULUS IV.

BONITAS DEI EX DISPENSATIONE HUIUS VITÆ BONORUM OSTENDITUR.

§. 583.

Bona physica omnia in hoc mundo, perinde ac mala physica (§. 573.), *vel sunt effectus naturales boni moralis propria libertate peracti, vel sunt effectus solius rerum nexus naturalis solius Dei libero arbitrio determinati, vel sunt effectus alienæ libertatis creatæ* (§. cit.); *vel denique sunt effectus ipsius mali nostri moralis & abusus propriæ facultatis liberæ.* Quod enim hoc ultimum membrum huius disiunctivæ assertionis attinet; constat, improbos, si potestate polleant, sæpe huius libero abusu cum oppressione aliorum imbecillium bona huius vitæ physica penes se accumulare.

§. 584.

Bona physica, cum actionibus nostris (vel omissionibus) moraliter bonis per se connexa, aut prævisa, aut

actu experientia propria percepta, sunt motivum impellens ad actiones (vel omissiones) similes moraliter bonas sæpius repetendas, atque eatenus medium aptum evadunt ad bonum usum libertatis (§. 299. Psych. & §§. 198. 574.).

§. 585.

Bona physica ex solo rerum nexu naturali orta, & a Deo naturæ leges præscribente eo tempore disposita (§. 520.), *ut post bonum morale a nobis rite patratum ob illud idem ea nobis evenire voluerit, itidem motivo impellenti serviunt ad similes actiones (vel omissiones) moraliter bonas iterandas, adeoque eatenus medium sunt ad bonum usum libertatis.* Vide §. 575.

§. 586.

Idem tenendum de bonis physicis post proprias actiones (vel omissiones) moraliter bonas nobis ex alienæ libertatis creatæ arbitrio evenientibus. Vide §. 576.

§. 587.

Deus omnem usum, quem bona physica, quocunque tempore nobis in hoc mundo obvenientia, in ordine ad bonum usum libertatis promovendum habere possunt ceu media (§. 584. seqq.), *ut finem illorum proximum intendit, & ceu medium fini ultimo creationis subordinavit.* Demonstratio est eadem, quæ fuit (§. 579.)

§. 588.

Bona physica, quæ citra propriæ libertatis arbitrium nobis in hac vita eveniunt, vel ante omne bonum morale patratum, vel post patrata etiam mala moralia, quin tamen ipsorum malorum nostrorum moralium proprii sint effectus, a bonitate divina nobis obveniunt eo fine, ut sint motiva impellentia ad actiones (seu omissiones) moraliter bonas, & absterrentia a moraliter malis deinceps committendis. Cum enim bona sint (per hypothesin), illorum intuitus, quatenus bona sunt, veram voluptatem affert (§. 204. Psych.), atque adeo

adeo felicitatis seu medium, seu pars quædam, est (§. 84.). Quoniam ergo nihil in hoc mundo usquam sine divinæ voluntatis decreto aliquo speciali contingit (§. 434.), atque adeo & bona illa physica Deo volente nobis nunquam non eveniunt; Deus autem eatenus bonus est, quatenus promtam voluntatem habet ad felicitatem nostram pro sua facultate promovendam (§. 545. seq.): quin ea bona, quatenus sunt bona, nobis etiam in thesis præsentis hypothesi a Dei bonitate, eadem positive volentis (§. 403.), eveniant, dubitari non potest. *Quod primum.* Porro Deus quæcunque evenire vult, beatitudinis nostræ per bonum usum libertatis a nobis promerendæ ceu finis ultimi caussa tanquam istius media evenire vult (§§. 95. 190.), ita quidem, ut medii proximi rationem respectu illius finis ultimi ipse bonus usus libertatis, medii vero remoti vicem completa libertas, habeat (§. 185.). Cum ergo bona physica in huius vitæ statu nec beatitudinem ipsam, quæ finis ultimus est, conficiant (§§. 177. 179.), nec ipsum usum bonum libertatis (§§. 111. 157.): necesse est, ut eatenus sint media remota ad finem prædictum ultimum beatitudinis; quatenus sunt media, bonum usum libertatis, non physice, sed moraliter promoventia (§§. 194. 195. 197.), hoc est, quatenus sunt motiva impellentia ad actiones moraliter bonas, & absterrentia a moraliter malis (§. 198,). Habet vero istiuscemodi bonorum intuitus per se aptitudinem istiuscemodi medii remoti, seu motivi. Est enim intuitus boni venientis ab ente bono etiam in illum, qui vel nunquam aliquid fecit, quod illud ab eo fieri volebat (§§. 160. 161.), vel omnino fecit, quod illius voluntati adversabatur (§. 167.), adeoque quod non poterat ei magnopere displicere (§§. 229. 205. Psych.): hoc est; est intuitus trahens

poſt ſe intuitum divinæ bonitatis, tanto maioris, quo minora motiva impellentia ad benevolentiam; imo quo maiora motiva abſterrentia (§§. 256. 257. Pſych.), Deo ex parte noſtra ſuppetunt, atque adeo a ſe ipſa ſola omnem benevolentiæ ſuæ ſufficientem rationem repetentis. Iam vero bonitatis reſpectivæ, ſeu benevolentiæ, alterius erga nos intuitus (tam experientia, quam ratione teſte) eſt motivum impellens ad faciendum, quod ille vult a nobis fieri, ſeu quod illi placet fieri a nobis, & abſterrens a faciendo, quod ille non vult fieri a nobis, ſeu quod ipſi diſplicet (§§. 234. 204. 205. Pſychol.). Eſt enim motivum proprium amoris complacentiæ de perſona illius, quem tam in nos benevolum intuemur, & ſimul eſt motivum impellens, ut id quoque, quod ille nos facere vult, nobis placeat, i. e. ut idem & nos velimus facere, ceu ut bonum tam relate ad ipſum, quam relate ad nos; quippe quod placet illi, qui nobis tam bene vult. Ergo hoc ipſo ceu ex gemino amore complacentiæ imperante ſibi proprio naſcetur in nobis tam amor benevolentiæ erga Deum tam bonum, quo velimus illi id, quod tantopere ipſi placet, bonum; quam amor concupiſcentiæ erga nos, quo nobis velimus idem bonum, quod nobis vult Deus tam erga nos benevolus (§§. 255. 256. Pſych.); i. e. fiet, ut velimus facere bonum morale, quod nos facere vult Deus (§. 197.), & nolimus facere malum morale, quod Deus non vult fieri a nobis (§. 167.): atque adeo bona phyſica, quatenus cognoſcuntur eſſe effectus bonitatis erga nos divinæ, eatenus aptiſſima omnino ſunt motiva impellentia ad actiones (vel omiſſiones) moraliter bonas, & abſterrentia a moraliter malis (§. 299. Pſych.). Dubitari ergo non poteſt, quin Deus, qui per bona phyſica voluit promovere bonum uſum libertatis, atque hoc mediante

te

te ipsum finem ultimum, seu beatitudinem nostram illius ope unice promerendam (*per demonstrata*), eadem nobis voluerit eo fine, ut cognita per eadem, ceu effectus sibi proprios, ipsius Dei in nos bonitate, ceu motivo, impellamur ad actiones (vel omissiones) moraliter bonas, & a moraliter malis absterreamur. *Quod alterum.*

§. 589.

Bona physica quaecunque istius vitae praesentis, modo non sint a nobis parta ipso abusu libertatis per malum morale proprium, per se vera sunt bona. Sunt enim omnia per se apta media & motiva ad bonum usum libertatis (§. 583. seqq.), & ob ipsum hunc usum, quem habere possunt, sunt a Deo ut fines intenta, seu volita (§. 587.). Ergo cum Deus velle malum pro fine non possit (§. 119.), nec possit velle pro fine nisi verum bonum (§. 550. I.); necesse est, ea omnia bona esse vera bona per se loquendi, i.e. apta ad veram felicitatem nostram promovenda media, sic ut per se nulli bono maiori, i. e. ipsi felicitati nostrae verae non opponantur (§§. 225. 84. & §. 198. Psychol.).

§. 590.

Bonum huius vitae quodcunque proprio malo morali Theologice formaliter tali (§. 172. n. 2. & 3.) *& ipso libertatis abusu partum, ceu illius effectus, impossibile est, ut eatenus possit idem esse verum bonum.* Quodsi enim malo morali mediante, Theologice formaliter tali, libere effectum a nobis est, opponi idem cum bono naturae nostrae, ac cum ipsis perfectionibus divinis necesse est, atque sub cognitione oppositionis istius a nobis cum contemtu boni veri naturae nostrae proprii, & ipsius Dei, reipsa eligi (§§. cit. & 174.): proinde idem ipsum pro gravitate huius oppositionis a Deo sub interminatione iacturae beatitudinis aeternae & ipsius aeternae infeli-

licitatis prohiberi (§. 419.). Iam vero impossibile est idem esse eatenus verum bonum quatenus tantis bonis veris opponitur (§. 198. Psych.). *Imo* hoc ipso *bona quæcunque malo morali Theologice formaliter tali parta verissima mala sunt* per §§. 199. Psych.

§. 591.

Felicitas huius vitæ ex bonis orta, quæ non nisi per malum morale Theologice formaliter tale (§.172. n.2.3.) *parta sunt, non nisi apparens reipsa est, & si longius perduret novorum malorum moralium potens stimulus, ac proin vera summa infelicitas est.* Talia enim bona vera sunt mala (§. præc.): ergo eorum intuitus aliam quam ad summum apparentem felicitatem producere non potest (§. 84. not.): *quod primum.* Porro voluptates apparentes ex eorum intuitu diutius gustatæ stimulus sunt ad eadem bona deinceps etiam cum morali malitia appetenda (§.231. Psych.) eoque maior, quo maior est voluptas ex talibus bonis præsens, aut prævisa (§. 235.): atqui hæc pro actuum frequentia & diuturno talium bonorum usu identidem crescit (§§. 211. 225. 226. Psych.); adeoque felicitas apparens ex talibus bonis orta, quo diutius perdurat, eo maior est stimulus novorum malorum moralium, ac proin veræ felicitati nostræ semper magis magisque opponitur (§. 165.), sicque haud dubie vera summaque infelicitas est (§. 84.).

§. 592.

Felicitas malorum spuria usque ad vitæ finem constans, iuxta atque constans bonorum in hac vita infelicitas, alterius venturæ vitæ, simulque beatitudinis bonorum in ea futuræ, & futuræ infelicitatis malorum, certissimum est argumentum, ac proinde instar medii insignem usum habet in ordine ad promovendum bonum usum libertatis in hac vita. Evidens enim est, Deum sapientem sanctum, & bonum pro fine creationis ultimo

ctimo habere non potuisse felicitatem aut nullam, aut spuriam (§. 550. I.), aut velle, ut per media de se ineptissima, qualia sunt mala moralia (§§. 165. 170.), maior quam per media de se apta, cuiusmodi sunt bona moralia (§. 131.), felicitas acquiratur (§§. 535. 537.). Atqui æque ineptus & sapientia, sanctitate, & bonitate divina, indignus finis esset felicitas spuria & constans in hac vita malorum (§§. citt. & 542. 549. 550. I.), ac inepta essent media, i. e. mala moralia, quibus ad spuriam illam felicitatem mali grassantur. Unde, si alia vita non superesset, in qua beatitudo bonis, & malis vera infelicitas, a Deo obveniret, carerent boni æque ac mali motivis, i. e. mediis, physice & moraliter sufficientibus, quibus Deus bonum usum libertatis ceu unicum medium proximum finis ultimi promoveret; quod Deum dedecet (§§. 191. 197. 204.). Ergo alia post hanc superesse vita debet, in qua Deus bonis veram beatitudinem pro constante bono usu libertatis etiam in perdurantibus huius vitæ malis constanter continuato retribuat, quin eandem malis libertate in hac vita constanter abutentibus impertiri ibidem queat. Vide dicta §§. 177. seqq. totumque illum articulum. Est itaque ipsa felicitas spuria malorum, & infelicitas bonorum, constans utraque in hac vita, certissimum alterius vitæ argumentum &c. *quod primum.* Iam vero certitudo atque evidentia de alterius vitæ existentia, & vera illius beatitudine non nisi bono libertatis nostræ usui a Deo constituta (§. 190.), & vicissim de infelicitate consecutura malorum, potentissimum est motivum & medium morale unice sufficiens ad bonum usum libertatis promovendum in hac vita (§§. 203. 208.), adeoque infelicitas bonorum, & malorum felicitas licet spuria, constans tamen utraque ad huius vitæ finem usque, quæ certitudinem

& evidentiam illa de alterius fecuturæ vitæ bonis & malis promovet, infignem quoque ufum habet ad promovendum in hac vita bonum ufum libertatis: *quod alterum.*

§. 593.

Deus felicitatem fpuriam improborum, & bonorum infelicitatem, utramque in hac vita conftantem fæpe permittit eo fine, ut ferviat argumento certitudinis de futuræ alterius vitæ exiftentia. Habet enim utraque hunc ufum eiusmodi argumenti ad promovendum bonum ufum libertatis noftræ (§. præc.). Ergo cum Deus omnem id genus ufum bonorum & malorum phyficorum huius vitæ pro fine intendat (§§. 579.), etiam permittendo felicitatem malorum & bonorum infelicitatem iftum utriusque ufum pro fine habet.

§. 593.

Deus omnibus bonis & malis phyficis huius mundi unice utitur ad promovendum per ea bonum ufum libertatis, a nobis faciendum. Mala enim quæcunque phyfica eo folum fine permittit, ut ex eis eveniant bona moralia, quæ fine his in hoc mundo nunquam eventura prænofcit (§. 565.), eademque ipfe pro fua fapientia & bonitate ad hunc finem unice dirigit (§. 570. feq.), quatenus omnem illorum ufum, quem, ceu motiva actionum moralium committendarum & omittendarum, per fe habere poffunt (§. 574. feqq.), ceu finem ipfe intendit (§. 579.). *Bona* pariter phyfica quamquam etiam præfentis felicitatis noftræ promovendæ ftudio nobis pro fua bonitate aliquando procuret (§. 588. parte 1.), tamen & ipforum omnem ufum, quem in ordine ad bonum ufum libertatis, ceu motiva actionum moralium, habere poffunt, in omni illorum difpofitione pro fine habet (§. 584. feq.

seq. 587. & §. praec.). Actio ergo divinae voluntatis tum operantis, tum permittentis, bona & mala physica quaecunque (§. 403.), sine quarum alterutra nullum eorum nobis evenire solet (§. 434.), est actio determinans aptitudinem remotam ipsorum omnium bonorum & malorum physicorum ad promovendum bonum usum libertatis a nobis faciendum, quam ceu motiva actionum moralium, i. e. ceu earundem rationes possibilitatis (§§. 230. 231. Psych.), absolute habere possunt (§§. 194. 198.), atque adeo usum activum constituit (§. 155.). Deus ergo bonis & malis physicis omnibus utitur ad promovendum per ea bonum usum libertatis a nobis faciendum, & quidem unice per illa hunc finem proximum intendit, hoc ipso, quod hoc solo mediante omnia ordinet ad finem unicum ultimum creationis (§§. 95. 190.).

* Quodsi Deus non semper finem intentum reipsa assequatur, proprius abusus libertatis nostrae in caussa est; ceu a quibus usus activus bonus liberae facultatis nostrae coniungendus esset, actioni divinae qua Deus bonis & malis physicis, ceu mediis, non physice, sed moraliter, promoventibus bonum usum nostrae libertatis, actu utebatur, ut effectus ille, ceu a duplici caussa principali libera pendens, ex utriusque concursu consentaneo reipsa consequeretur.

§. 594.

Deus cuilibet rationali creaturae in hoc mundo comprehensae tantum boni actu confert, quantum praefixo semel praesente ultimo creationis fine salva sua sapientia & sanctitate conferre potest. Quoniam enim finis ultimus semel recte praefixus regulas aeque rectas circa selectum mediorum determinat (§. 304. Ont.); idcirco, praefixa semel sapienter pro fine ultimo creationis beatitudine respectiva summa creaturarum rationalium quamplurimarum, quam

quam per bonum usum libertatis ab eis obtinendam esse, prævidet (§. 550. VII.), haud dubie vi ipsius sapientiæ & sanctitatis suæ Deus ita temperare bonitatis suæ effectus in hac vita malorum tum physicorum (§. 561.) tum moralium (§. 567.) permissione debet, prout ad illum finem actu consequendum omnino esse necessarium certo prævidet. Interim tamen infinita bonitas eiusdem non permittit ipsi, ut vel hilo plus malorum illorum permittat ipse evenire, quam finis ille & ipsa sapientia sua permitti exigit (§§. 564. 568.). Imo eadem bonitas, ceu promtitudo summa ad benefaciendum cunctis pro tota sua potestate, Deoque essentialis per se (§§. 549. seq.), ubicunque per sapientiæ regulas & consilia, ex fine ultimo determinata, non restringitur, ac temperatur, quidquid bonorum de cetero conferre potest, cuilibet creaturæ rationali in hoc mundo comprehensæ actu confert, hoc ipso, quod illa secundum se infinita sit, nec nisi impedimentis sibi ex parte nostræ libertatis secundum finis ultimi consecutionem positis, ceu motivis absterrentibus, ab effectus sui plenitudine restringatur. Itaque Deus cuilibet creaturæ rationali &c.

* Restringenda necessario erat nimis generalis illa Ill. Wolfii propositio (quam is §. 698. Theol. Nat. P. I. posuit) ad hypothesin præsentis finis ultimi creationis; ut *concederem*, Deum bona omnia omnibus conferre, quæ libere semel constituto in præsens fine ultimo salva adhuc sua sapientia poterat cuique conferre; *negarem* vero, Deum non potuisse in alia hypothesi finis ultimi, quæ salva Dei sapientia æque possibilis erat, multis plurima bona conferre, quæ in præsente nec confert unquam, nec vero salva sapientia sua porro conferre potest. Profecto enim, si Deus, ut salva utique sapientia sua libere poterat (§. 237. seq.), pro fine creationis ultimo beatitudinem mere physicam rationa-

tionalibus creaturis conferendam sibi præstituisset, mutato fine alias regulas agendi sua ipsi sapientia circa media haud dubie suggessisset, nec finis ullus suffecisset, cuius caussa malum aliquod permittere ipsius bonitas teneretur (§.561.)

** Atque ex huc usque dictis inde a §. 561. facilis, opinor, erit responsio ad omnes argutias, quas D. Robinet in P. V. C. 66. & 71. sui operis (De la Nature) ad abiudicandam Deo bonitatem non sine periculosa styli elegantia & loquacitate acervat. Unicam ipsius notam (dd) exscribere satis superque erit, eidemque singillatim respondere. Proponit ibidem ex auctore quodam Gallo (cuius opus inscribitur (*Instruction Chretienne*, eiusque Liber IV. T. I. *Des perfections de Dieu*) fines malorum, quos Dei sapientia propositos in eorum permissione habere potuit, his verbis: *Mala, quibus obnoxii in hac vita sumus, utilitatem suam habere possunt. Serviunt illa ad humanam arrogantiam deprimendam, & restinguendam nimis delicatam mollitiem. Revocant nos ad modestiam, ad temperantiam, ad fraternam commiserationem. Monstrant nobis rerum terrestrium vanitatem, atque de alibi quærendo summo bono nostro admonent. Sunt ea medicinæ amaræ quidem, sed salubres. Sunt utiles castigationes, ceu correctiones ab optimo patrefamilias in suos liberos susceptæ. Sunt probationes, per quas virtus, sicut in igne aurum, purgatur, & purior evadit. Historia satis docet, non alias quam personas virtute eminentes cum maioribus & pluribus adversitatum molestiis conflictari.* Percipe iam, amice lector, qua argutia præfatus auctor cit. loc. sapientissimis his Christiani præceptoris animadversionibus respondeat. *Egregie hæc quidem omnino*, inquit. *At enim omnes ratiocinium eiusmodi, quod malorum utilitatem probet, pari soliditate prosperitatis ac bonorum detrimenta evincit, sic, ut lucrum, quod ex una parte feceris, omne in partis alterius damnum connumerare necesse sit. Bonitas divina, quæ effulgere in probationibus, tentationibus, & pœnis huius vitæ videbitur, in eiusdem prosperitatibus obscurior lucebit, quas pro donis*

veneno

veneno infectis habere oportebit. Ad quae facta indigna illa non pertrahunt? Vae! quibus affluunt. Nutriunt fastum, inflammant pravos affectus, assuefaciunt molliori vitae, cor indurant, atque omni alienae miseriae sensu exuere solent. Hominis affectum omnem terrae affigunt ut eius bonis contentus, supremum bonum vilipendere non dubitet. Sunt illae dona iucunda quidem, ast periculo plena, eoque magis, quo minus talia esse creduntur. Voluptas credulos facit, facileque nos illis, quae placent, committimus. Pervolve historias, & videbis sapientes, prosperitatum ebrios vino, virtutis iacturam facere, & heroes gloriae oblivisci. Quid iam, quaeso, elegantes hae verborum phalerae probant? An quod si mala usus habere bonos possint, quorum caussa divina bonitas illa permittat, bona nullos habere possint, quorum caussa a Deo nobis conferantur? Minime gentium profecto; siquidem contrarium a §. 584. seqq. prorsus demonstratum a nobis est; sed illud solummodo recte asseritur, videlicet, tametsi mala iuxta ac bona huius vitae Dei bonitas non nisi optimis ex finibus nobis unice immittat, tamen salva nostra libertate nos semper tam bonis abuti, quam male uti malis, utrumque tamen contra sapientiae divinae consilium, posse. Ast, *inquis*, cum Deus abusuros nos his aut illis praeviderit, cur tamen eo fine, ut bene uteremur, ambo immisit? *Repono* ego: quia abusu nostro & malitia insuperhabita finem creationis ultimum in aliis consecuturum se certissime praescivit, nec suprema licet eius bonitas tenebatur impedire perniciem illorum, qui, cum salutem trahere ex donis suis & poterant aeque, & vel maxime debebant, venenum atque mortem mera obstinatione propria trahere exinde maluissent. Vide dicta §. 555. not. §. 567. §. 580. seq.

§. 595.

Auctor boni est, qui libere existentiam istius promovet (§. 194.).

Deus auctor est omnis veri boni in mundo hoc ubi ubi & quocunque tempore existentis. Deus namque

non

non potest velle nisi verum bonum (§. 454.), adeoque & solius veri boni auctor esse potest. Porro omne bonum verum aut essentiale, aut accidentale, istudque physicum, vel morale est. Essentiale & accidentale mere physicum omne rationem existendi ultimam in libera Dei voluntate habet (§. 386.). Bonum morale Deus non modo ita vult, ut illius saltem ratio partialis ultima existentiæ item per ipsam volitionem suam liberam sit (§. cit.), sed etiam æterna beatitudine in illius præmium proposita idem promovet (§. 197. seq.) Deus ergo per §. præc. auctor est omnis veri boni &c.

§. 596.

Deus omnes creaturas rationales istius mundi amat, nec ullam odio habet. Amare enim alium est ei bonum velle, odisse vero est velle eidem malum. Atqui Deus omnibus bonum vult (§. 372.), nec ulli per se velle malum positive potest (§. 119. 167.).

§. 597.

De bonitate Dei ex præsentis solum vitæ bonis & malis iudicari recte haud potest, sed iudicari deberet ex beatitudine alteri vitæ reservata, ad quam omnia ceu ad finem ultimum a Deo diriguntur. De bonitate enim iudicari debet ex bono, quod ille alicui vult instar finis ultimi, cui bonitas tribuitur, ipsaque media, quæ in eum finem adhibet, ex eodem fine, & aptitudine, qua perducunt ad eundem, diiudicari debent (§. 304. Ont.). Jam vero bonum, quod finis ultimi instar nobis universis Deus vult, est beatitudo vitæ alteri reservata; media autem istius sunt bona æque ac mala vitæ præsentis (§. 574. seqq. 584. seqq.). Ergo ex beatitudine illa de bonitate Dei erga nos iudicari deberet, & ex aptitudine tam bonorum quam malorum

lorum huius vitæ ad ſummum illius gradum in nobis promovendum; non autem ex bonis & malis iſtis ſecundum ſe.

CAPUT VIII.

DE JUSTITIA DEI ET JURE IN CREATURAS.

ARTICULUS I.

DE JUSTITIA DEI IN GENERE.

§. 598.

Juſtitia eſt bonitas reſpectiva ſapientiæ cum perfecta ſanctitate attemperata: ſive eſt promta & conſtans voluntas felicitatem aliorum ſecundum ſapientiæ perfectæ conſilia ſancte promovendi (§§. 538. 542.): Unde *iuſtus* eſt, qui bonitatem ſapientiæ ſancte attemperat; vel qui aliorum felicitati ſalva ſapientia & perfecta voluntatis rectitudine, ſeu ſanctitate ſtudet (§§. 539. 542. 545.).

* Vulgo *iuſtitiam* definiunt, eſſe promtam voluntatem tribuendi cuique ius ſuum. Cum definitione hac vulgari non pugnare noſtram, tum ex dicendis ſuo loco & tempore clariſſime patebit, cum ex eadem omnia deriventur, quæcunque de generali & particulari iuſtitia vulgo tradere conſueverunt; tum exinde interim animadverti poteſt; quod caritatem proximi, quacum confundere iuſtitiam videbor, etiam hodiernorum doctorum ſententia ad generalis iuſtitiæ ſphæram & notionem referat. Illud vero definitio data eximium habet, quod divinæ iuxta ac humanæ iuſtitiæ congruat, ſicque doceat, qua ratione proprio quodam ſenſu Deo iuſtitia conveniat, etſi is nihil debere cuiquam poſſit, & quidem erga ereaturas, quibus nec competere ius ullum ante divinæ bonitatis iuſtiſſima decreta poteſt.

§. 599.

Actio quemcunque materialiter, ſeu phyſice, *reſpicere* dicitur, quatenus cum exiſtentia boni, vel mali,

mali, eiusdem, seu per se, seu per accidens (§. 263. Ont.), connectitur; *formaliter* vero *respicere, seu referri ad aliquem actio* dicitur, quatenus ponitur ab agente intellectuali prælucente ipsi loco motivi cognitione connexionis illius cum bono, vel malo, alterius.

Porro *formaliter positive referri actio ad aliquem* dicitur, si propter cognitam connexionem cum bono (vel malo) alterius ceu motivum actuale (seu in actu secundo) actio ponitur, vel omittitur; & quidem formaliter positive *primario* actio referri ad illum dicetur, si connexio actionis cum eius bono, vel malo, sit motivum principale agendi, vel non agendi, *secundario* autem, si tantum sit motivum non principale. Demum *formaliter negative actio referri ad aliquem* dicitur, quatenus connexio actionis cum bono (vel malo) illius quidem instar motivi (in actu primo) cognoscitur, quin tamen ob id actio in actu secundo vel ponatur, vel omittatur, ceu ob motivum actuale; quo casu dicere solemus, *nullam alterius rationem in agendo, vel non agendo, fuisse habitam.*

* Exemplo harum notionum sit actio famuli, cuius positio, vel omissio, connexa est cum damno Domini. Talis actio itaque, vel omissio, *materialiter respicit* dominum. Quodsi famulus cognoscat connexionem illam suæ actionis, vel omissionis, cum damno domini sui, & iratus domino suo ex eo ipso motivo præcipuo actionem ponat, vel omittat, ut damnum domini sequatur, *formaliter positive, & primario* quidem ad damnum domini *referri* a famulo dicetur: sin damnum domini quidem prævidens, illique subirascens actionem ponat, vel omittat, ex motivo primario, quod ipsi vel actio commoda, vel incommoda sit, gaudens tamen simul, quod domino, cui subirascitur, ex ea molestia accedat; *formaliter positive* quidem, sed solum *secundario actionem, vel omissionem* suam, *referre* ad do-

mini damnum dicetur. Denique si minime male erga dominum affectus, solum propriæ molestiæ vitandæ, aut commodi quærendi caussa actionem ponat, vel omittat, prævidens quidem damnum domini, eoque ceu motivo primo absterritus, sed demum commodi sui studio prævalente; *formaliter negative retulisse* ad dominum dicetur, i. e. *nullam illius in agendo, vel in omissione actionis, rationem habuisse.*

§. 600.

I. *Justitia perfecta est voluntas promovendi aliorum felicitatem per actiones secundum omnem respectum formalem veræ sapientiæ perfecta cum sanctitate conformatas.* Quodsi enim vel secundum unum respectum aliquem formalem, seu cognitum (§. præc.), seu positivum, seu negativum, veræ sapientiæ conformata non sit, actio perfecte sancta non erit (§. 542.), adeoque talis agendi voluntas iustitiæ haud erit conveniens (§. 598.).

§. 601.

II. *Justus quis erga se ipsum esse potest, quatenus secundum veræ sapientiæ regulas sancte bonus respective erga seipsum esse potest,* i. e. boni sibi non essentialis auctor. Est enim iustitia bonitas respectiva (§. 598.); cuius est esse rationem sufficientem rei distinctæ (§. 85. Ont.). Jam vero bonum accidentale, saltem antequam insit substantiæ, negative ab ea distinguitur (§§. 67. 69. II. Ont.). Qui ergo sibi ipsi secundum veræ sapientiæ regulas boni accidentalis sanctus est auctor, in se ipsum bonus æque, ac iustus, est.

* Nimirum generalis iustitia etiam caritatem (ut supra §. 598. not. memoratum) complectitur; quæ cum bono ordine etiam erga nos ipsos ferri potest.

§. 602.

III. *Deus iustus erga se ipsum esse non potest;* quia nec ullius boni accidentalis proprii est capax, quo secun-

secundum se aut ipsius perfectio, aut beatitudo absolute summa crescat (§. 86.). Est autem iustitia bonitas respectiva; cuius est esse rationem sufficientem rei alterius a se ipsa distinctæ (§. 85. Ont.).

* Unde nec titulo iustitiæ erga se ipsum, sed sola bonitate erga nos ipsos, exigere obsequium a nobis potest. Nec vero *ius Dei in creaturas*, uti videbimus, aliud est, nisi facultas secundum veræ sapientiæ leges, non uni solum aut alteri creaturæ bene faciendi, sed summum bonum earum universitati cum perfecta sanctitate procurandi. Vide infra §. 638. & §. 683.

§. 603.

Deo convenit iustitia absolute summa & infinite perfecta. Est enim iustitia bonitas sapientiæ cum perfecta sanctitate conformata (§. 598.) Ergo ubi bonitas, sapientia, & sanctitas absolute summæ & infinitæ sunt, ibi etiam infinita & absolute summa iustitia est. Atqui sic sese res in Deo habet (§§. 537. 541. 549.).

* *Justitiæ notio* resolvitur in notiones sapientiæ, sanctitatis, & bonitatis, hæ vero in notiones infinite perfecti intellectus & voluntatis divinæ. Unde evidens est, iustitiam divinam plene intelligi non posse, nisi probe perspecta & familiaria sint ea, quæ de intellectu & voluntate divina superius iam snnt tradita.

§. 604.

Omnis Dei actio secundum omnes suos respectus est infinite iusta. Etenim inprimis ob infinitam Dei scientiam nullus potest esse in Dei quavis actione respectus materialis, seu connexio cum bono, vel malo, creaturæ, seu per se, seu per accidens, qui non sit Deo cognitus, adeoque sub quo actio non sit formaliter, positive, aut negative a Deo relata ad creaturam (§. 599.). Ex altera parte actio nulla perfecte iusta esse potest, nisi secundum omnem respectum formalem sapientiæ veræ regulis

perfecta sanctitate sit conformata (§. 600.). Quoniam ergo Deus perfectissime iustus est (§. praec.), necesse est, ut omnes actiones eius secundum omnes suos respectus absolute iustae, i. e. perfecta sanctitate infinitae sapientiae conformatae sint.

* **Atque haec quidem divinae iustitiae demonstratio a priori est; quam tamen etiam confirmare modo a posteriori pro maiore claritate oportet.**

§. 605.

Deus universam creationem huius mundi formaliter positive refert primario ad suam gloriam, & ad beatitudinem respective summam creaturarum rationalium universe, secundario etiam ad electorum in specie beatitatem ab ipsis bono usu libertatis actu acquirendam; formaliter negative solum ad infelicitatem aeternam reproborum in hoc mundo praevisorum. Creatio enim huius mundi secundum divinae voluntatis propositum est actio caussae efficientis intellectualis, Dei nimirum, ipsam Dei gloriam & beatitudinem illam respective summam rationalium creaturarum ceu finem ultimum, infallibiliter praevisum intendentis, adeoque a Deo ceu caussa per se (§. 263. Ont.) ad hunc ipsum finem primario, formaliter, & positive dirigitur (§. 599.). *Hoc primum.*

Deus porro ad hunc ipsum mundum creatione libera eligendum a scientia media de beatitudine electorum, qui in eo tales futuri sunt, actu impellitur ceu a motivo actuali secundario, ut libentius hunc mundum eligat, ac creet (§. 397.): ergo secundario, positive, & formaliter Deus creationem universam ad electorum in specie beatitatem refert; *quod alterum.*

Contra demum praevisa aeterna infelicitas reproborum Deo quidem erat motivum absterrens a creatione in actu primo (§. cit.); quin tamen ob id

id actu illam omiserit, adeoque nullam reipsa Deus illorum in creatione rationem habuit, i. e. formaliter negative solum creationem ad ipsos retulit (§. 599.); *quod erat tertium.*

§. 606.

Creatio hujus mundi iusta fuit, quatenus ceu ad finem ultimum libera electione formaliter a Deo referebatur ad beatitudinem creaturarum rationalium potius per modum boni moralis libertatis bono usu acquirendam, quam ad eandem ut conferendam per modum boni mere physici. Finis enim iste tam sapientiæ Dei, quam bonitati infinitæ perfecte consentit (§. 555.). Ergo eiusdem volitio libera non potest non item esse perfecte sancta (§. 542.). Cum ergo creatio relata ad illum finem sit actio voluntatis divinæ benevolæ, i. e. aliorum felicitatem promovens, eademque infinitæ sapientiæ perfecta sanctitate conformata; eatenus non justissima esse non potest (§. 598.)

§. 607.

Creatio huius mundi etiam iusta fuit, quatenus ceu ad finem ultimum secundario formaliter libere & positive referebatur ad beatitudinem electorum quorumdam in specie, & formaliter negative ad infelicitatem quorumdam ceu reproborum. Est enim illa creatio nihilominus actus voluntatis Dei infinite perfectæ, seu ita perfectissimæ, ut ratio ultima electionis aliquorum quidem sit specialis quædam benevolentia voluntatis divinæ consequentis erga eosdem (§. 399.); ratio vero ultima reprobationis aliorum non sit aliquis defectus seu imperfectio benevolæ voluntatis erga easdem (§§. 394. 486.) sed potius abusus propriæ ipsorum libertatis (§. 394.), cuius mere physica permissio sapientiæ & bonitati divinæ non modo non repugnat, sed prorsus consentit (§. 567.). Jam vero posita consensione voluntatis divinæ per-

 mitten-

mittentis abusum libertatis cum divina sapientia & bonitate infinita, voluntas permittens æternam reproborum infelicitatem, i. e. creationem ad hanc formaliter negative referens (§. 211. 203. 599.), Deum ita positive decet, ut eam non habere plane dedeceret (§. 209.), adeoque eadem quoque cum Dei perfectione essentiali quacunque, i. e. cum bonitate, sapientia, & sanctitate, non consentire non potest. Itaque & creatio seu ad electos, seu ad reprobos, a Deo volente illam formaliter relata, secundum utrumque respectum iustissima est (§. 598.).

§. 608.

Permissio physica malorum, tam physicorum, quam moralium, in hoc mundo iustitiæ divinæ non repugnat. Non enim repugnat bonitati, sapientiæ (§§. 562. seq. 567. seq.), adeoque nec sanctitati divinæ (§. 542.); ergo nec iustitiæ (§. 598.).

ARTICULUS II.

DE JURE ET DOMINIO DEI IN CREATURAS: UBI NOTIONES *JURIS* ET *DOMINII* METAPHISICAE ACCURATE EVOLVUNTUR.

§. 609.

Jus est facultas libere quid agere volendi, vel non volendi, salva rectitudine morali (§. 468.)

§. 610.

I. *Jus omne importat facultatem liberam voluntatis ad contradictorie opposita*, i. e. ad actionem volendam, & non volendam, seu volendam omissionem actionis.

II. *Jus omne sic importat facultatem liberam voluntatis ad contradictoria, ut utrumque ex oppositis salva rectitudine velle quis possit.* Secus enim, si unum salva morali rectitudine quis velle non possit, nec ad

ad alterum ex contradictorie oppositis volendum ius, sed obligatio vulgo datur, ut ex dicendis infra (§. 657. seqq. patebit.).

III. *Unde ius per se non facultatem proxime completam physicæ actionis externæ, seu executionis, sed præcise tantum libertatis moralis importat; qua salva rectitudine voluntatis quis quid velle agere, vel non velle, ex æquo possit, ac proinde etiam exequi, si etiam physica completa facultate ad id exequendum potiatur.*

§. 611.

IV. *Jus ergo salvum & integrum esse potest; etsi facultas agendi externa physica, seu executrix, ab actu secundo unde unde impediatur.*

V. *Interim utique, ubi facultas physica etiam remota deest, ibi nec ius locum habere potest:* siquidem voluntas volens, quod absolute agere tali subiecto repugnat, recta, i. e. bono essentiæ consentiens, esse haud posset (468.).

§. 612.

VI. *Juris* itaque *defectus non est defectus facultatis physicæ completæ ac liberæ ad agendum, sed facultatis libere volendi agere, vel non volendi, salva rectitudine morali* (§. 609.).

VII. *Cum datur iuris defectus ad unum ex contradictoriis libere agendum, aut volendum, ad alterum solum salva rectitudine morali volendi & agendi facultas datur.*

* Ill. Wolfius *ius* definit esse facultatem agendi moralem, i. e. facultatem agendi, quod salva actionis rectitudine libere fieri potest (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 951. seqq.). Ad enim id, ad quod unum agendum ex contradictoriis obligamur, libere agendi facultatem salva rectitudine habemus; quin tamen ius habere ad idem proprie dici possimus: secus idem erit ius & obligatio. Jus ergo

facultatem liberam ad opposita salva ex æquo rectitudine importare dicendum est: cum contra, ubi facultas ad alterutrum salva rectitudine volendum deficit, vulgo in creaturis rationalibus obligatio ad alterum ex Dei lege enascatur. Sic e. g. cibos sanos in ea quantitate, quæ haud nocet sanitati, comedendi ius habere dicimur; quatenus tam comedere, quam non comedere eos, salva rectitudine morali licet nobis. Ex adverso cum salva rectitudine eadem fieri haud possit, ut cibos non sanos, aut sanos quidem, sed quantitate immodica, commedamus; iure quidem ad hoc destitui dicimur; ast non item habere ius ad eos non comedendos dicimur, sed ad istud obligari.

§. 613.

Disponere de re aliqua is dicitur, qui liberæ voluntatis proposito (§. 450.) aliquid circa eam agere, aut fieri, decernit; id quod triplici modo fieri potest, nimirum *vel circa ipsam rei substantiam*, *vel circa eius accidentia*, *vel circa effectus* eiusdem; qui effectus, si sint res ab ipsa rei substantia separabiles, cuius effectus quacunque ratione sunt, *fructus rei* dicuntur.

* Ita *de rei substantia disponere* dicitur, qui ipsam rei substantiam destruere, vel commutare in aliam, decernit: id quod in rebus compositis qua talibus, ut in corporeis ac sensibilibus, fieri etiam ab homine potest; at in simplicibus non nisi a solo Deo. Certe translatio iurium per alienationes non dispositio de rei substantia est, sed de iure tantum, quod transfertur salva rei substantia, quæ haud dubie a iure ipso differt. *de rei accidentibus disponit*, qui *usum* de illa facit in ordine ad certos effectus (§. 155.); *de fructibus rei*, qui de his seu quoad substantiam, seu quoad usum sive accidentia, disponit. Sunt autem fructus e. g. agrorum fruges, arborum poma, pecorum fœtus, ex ipsis ceu caussis enata, & separabilia ab eisdem.

§. 614.

§. 614.

Jus disponendi suo unius arbitrio tam de substantia rei, quam de usu eius accidentali, atque de fructibus, vocatur *ius plenum*, seu *perfectum*; ius vero disponendi de horum trium uno tantum, vel altero, non autem de omnibus, vel non suo unius arbitrio, sed plurium arbitrio consentiente, vocatur *ius imperfectum*.

§. 615.

Jus imperfectum, quod se extendit ad solam substantiam rei, vocatur *ius directum;* quod vero ad usum accidentalem, & fructus rei, *ius utile rei* dicitur; atque istud rursum duplex est, nimirum *ius utendi*, quod est ius disponendi de solo usu rei accidentali salva substantia; & *ius fruendi*, quod est ius disponendi de fructibus rei tam quoad substantiam, quam quoad usum. *Jura homogenea* dicuntur, quae sunt eiusdem nominis & speciei; ut geminum ius directum &c.

* Exempli causa. *Jus plenum in gregem pecorum* importat *ius directum*, seu ius pecora occidendi & comedendi, *ius utendi* pecoribus e. g. ovibus ad stercorandos agros, bobus ad labores &c. *ius fruendi*, i. e. de foetibus disponendi rursum tam quoad substantiam, quam quoad usum, & eorundem novos fructus.

§. 616.

I. *Jus fruendi est ius vindicandi sibi ius plenum in fructus rei, cuius fruendae ius habemus, cum illi nimirum existent.*

II. *Etiam ius utile quodvis qua tale rursus dividi potest in utile perfectum, seu quoad omnem usum & fructum; & in imperfectum, seu quoad aliquem tantum usum, vel aliquos fructus.*

§. 617.

Quodlibet ius, quatenus a iure alterius personæ quoad suæ existentiæ continuationem independens est, *dominium*, *ius dominii*, sive *proprietas*, dicitur; quatenus vero ab alterius personæ iure quoad existentiæ suæ continuationem dependet, atque adeo ab eadem pro iure ipsius & arbitratu tribui, tolli, vel conservari potest, *ius precarium* recte appellatur. *Absolutum dominium* vocatur id solum dominium, quod ab omni prorsus alieno iure independens est, seu perfecto, seu imperfecto.

§. 618.

I. *Dominium est ius per se constans ac immutabile: ius precarium vero est ius inconstans, mutabile, & revocabile ad arbitrium & nutum eius, a cuius iure dependet.*

§. 619.

II. *Dominium perinde ac ius dividitur in perfectum & imperfectum, in dominium directum, & utile, atque hoc ultimum rursus in dominium solius usus, & in dominium usufructus rei* (§§. 614. 615.).

§. 620.

III. *Dominium non est facultas ad quasvis actiones, ad quas facultas libera, seu arbitrii, in eo se extendit, qui dominium habet, sed tantum ad actiones & omissiones moraliter bonas, seu rectas.* Est enim ius, independens quidem quoad continuationem existentiæ a iure alterius, sed tamen pro natura omnis iuris (§. 609.) solum sese facultate sua extendens ad actiones & omissiones, quæ salva rectitudine fieri possunt.

§. 621.

Quodlibet ius, seu plenum, seu imperfectum, dicitur *ius privativum*, quatenus est ius disponendi ex suo unius & non aliorum arbitrio, *cumulativum* vero, quatenus in plurium simul arbitria libera dividitur,

viditur, & per maiora eorum suffragia, aut certum istorum numerum, disponendi iusta facultas est. Interim *in communitate determinata quoque ius privativum esse dicitur*, quatenus per modum unius personæ moralis spectatur, nec extra eam aliis pluribus disponendi ius in eadem re competit.

§. 622.

I. *Omne ius, quatenus privativum est, cumulativum porro esse non potest; iusque privativum qua tale cumulativo iuri contradictorie opponitur, ac vicissim* §. præc.

II. *Omne ius privativum unius iuri homogeneo alterius personæ opponitur* (§. 615.): secus ius cumulativum esset, aut certe non vere privativum.

§. 623.

Jus disponendi de ipso iure quocunque quoad istius existentiam, independens ipsum a iure alterius quoad existentiæ suæ continuationem, vocatur *dominium iuris* illius, circa quod disponendi facultas est.

§. 624.

I. *Dominium iuris a iure dominii differt in eo, quod qui habet solum dominium rei, seu ius dominii, de re ipsa disponere, seu ius dominii circa rem exercere pro arbitrio, non autem de iure ipso dominii quoad eius durationem quidquam disponere possit: qui vero etiam dominium iuris sui habet, circa ius ipsum dominii disponere, id cedendo, vel transferendo in alium, aut permutando cum alio iure quocunque potest.*

II. *Dominium iuris a iure dominii absolute separari potest.*

* Ita actu in maioratu, in fidecomisso, & aliis bonis, quæ vulgo vinculata dicuntur, item ex parte in iure fruendi, quod sine domini directi consensu alienari non potest, legum dispositione ius dominii directi, vel utilis a dominio iuris separatur.

§. 625.

§. 625.

Deo competit plenum absolutum, & privativum, dominium totius universi ac naturæ rerum, & omnium, quæ in eo sunt, sive in prima statim creatione facta, sive hodie demum ac deinceps generentur, aut quomodocunque producantur a natura rerum, aut libera creaturarum rationalium voluntate. Deus enim mundum istum universum cum omnibus suis elementis, & animabus hominum, ac brutorum sola omnipotentiæ suæ infinita virtute creavit (§. 505.), eodemque actu totius naturæ ordinem physicum determinavit (§. 506.), atque hoc utrumque ita suo unius arbitrio libere fecit (§§. 237. seq. 516. 517.), ut idem omittendi non modo simpliciter facultatem completam habuerit, sed etiam salva perfecta voluntatis suæ rectitudine omittere utrumque potuerit; siquidem omissio utriusque illum non dedecuit (§. 384.) atque adeo nec voluntatis rectitudini obfuisset (§§. 180. 468.). Porro qui mundum sola vi omnipotentiæ suæ infinita creavit, idem Deus eundem sola eius omnipotentiæ suæ virtute secundum liberum suæ unius voluntatis suæ conceptum ab æterno propositum conservat (§§. 505. 478.), nec nisi ea conservatione mediante natura in toto rerum ordine physico leges sibi a Deo in prima creatione libere præscriptas ita continuo observat (§§. 520. seqq.), ut per ipsum divinæ voluntatis liberum decretum, ceu rationem ultimam, omnium eventuum & mutationum mundi naturalium series quoad partes singulas iam fuerit determinata (§. 264. Cosmol. §. 386.) & quidem ordinata ceu medium ad finem libere sibi a Deo propositum, nempe ad beatitudinem a creaturis rationalibus in hoc mundo comprehensis per modum boni moralis tantam obtinendam, quantam ab ipsis obtinendam in hoc mundo ab æterno præviderat (§. 550.). Porro sicut

Deus

Deus libere ac ſalva voluntatis ſuæ rectitudine ab æterno non ſolum de ſubſtantiæ iſtius mundi exiſtentia, ſed etiam de omnibus eius accidentalibus mutationibus, & quibusque novis corporibus ac fætibus generatione ab eo productis (§. 227. ſeq. Coſm.), ceu illius fructibus (§. 613.), in ordine mere phyſico diſpoſuit; ita quoque non modo ſubſtantias creatas liberas eadem omnipotentiæ ſuæ virtute pari libertate ſimul ac voluntatis rectitudine creavit, ſed & ipſam libertatem proximam eis libere conceſſit (§. 183. ſeqq.), ac præterea quoque omnem eius accidentalem uſum voluntatis ſuæ arbitrio, ceu ratione ſaltem partiali ultima (§.386.), ita diſpoſuit (§. 404.), ut absque eius ſpeciali decreto, ſeu prædefinitivo, ſeu permiſſivo, nullus omnino, ſeu bonus, ſeu malus, uſus libertatis ullo unquam in homine eveniat (§. 434.): quin tamen idcirco totam hanc creatæ libertatis tum quoad ſubſtantiam tum quoad omnia accidentia diſpoſitionem prorſus omittere velle æque illi liberum fuerit, & quidem ſalva voluntatis infinite ſanctæ rectitudine, quam ipſam omnem mundi creationem pari voluntatis libertate atque rectitudine omittere pro arbitrio potuerat. Deo itaque ius plenum ac perfectum (§. 614.) i. e. facultas libera ſalva rectitudine in utramque partem oppoſitam diſponendi (§§. 609. 613.) tam de ſubſtantia tota iſtius mundi omniumque eius partium, quam de quovis illarum uſu accidentali, atque fructibus, competit ab æterno; quæ ipſa facultas liberrimæ voluntatis ipſius, cum ſimul independens prorſus per eſſentiam ab omni alio ente, ac proin iſtius voluntate libera, ſeu iure, ſit (§§. 489. 609.) ceu per eſſentiam immutabilis (§. 481.); totam rationem ſufficientem abſoluti & pleni dominii (§.617.) eiusque privativi (§. 621.), reſpectu mundi iſtius uni-

universi omniumque rerum continet, quæ in eodem seu primitus creatione inerant, seu deinceps generatione a natura rerum generentur, aut existant libera creaturarum rationalium voluntate.

* Ex thesis istius demonstratione patet, Deo competere plenum huius mundi dominium propter creationem, conservationem, ac ordinationem, seu dispositionem specialissimam, non modo singulorum eventuum contingentium absolute, physice tamen necessariorum in ordine mere physico naturæ, sed vel maxime etiam omnium actuum libertatis creatæ, sic, ut nullus eveniat, cuius existentiam non Deus ita libere sanctissimo voluntatis suæ decreto speciali, aut prædefinitivo, aut permissivo, disposuerit, ut pari voluntatis rectitudine potuerit non disponere, pro iure suo prorsus independente.

§. 626.

Rationes sufficientes iuris dominii in Deo sunt sanctitas & libertas simul in creando & ordinando mundo hoc universo, atque ipsa libertate nostra disponenda. 2. *Executio autem seu usus iuris dominii actualis omnipotentiæ simul & liberæ voluntati actuali divinæ debetur.* Primum ex §§. 539. 609. & ipsa definitione iuris & sanctitatis colligitur. Alterum ex §. 515. facili ratiocinio infertur.

§. 627.

Dominus rei dicitur, cui competit illius dominium.

§. 628.

Deus est plenus & absolutus dominus naturæ, totius mundi, & omnium, quæ in eo quovis tempore & modo insunt, aut fuere in eo olim, ac deinceps erunt, sive secundum leges naturæ, sive per liberæ voluntatis creatæ arbitrium. Horum enim omnium plenum ei dominium competit (§. 525.).

§. 629.

§. 629.

I. *Deus plenus & absolutus dominus est omnium creaturarum, tam rationalium, quam non rationalium, quæ sunt in hoc mundo.*

II. *Unde ius nostrum, quodcunque in res creatas habemus, non nisi precarium est* (§. 617.), i. e. a libero Dei arbitrio pendens.

§. 630.

III. *Deus dominio suo pleno in omnes creaturas se ipsum abdicare non potest, adeoque iuris sui dominii dominus non est.* Nec enim facultatem creandi ac conservandi, qua dominium illud nititur, alteri conferre potest (§. 512.), adeoque nec ipsum dominium suum cedere (§. 623.).

§. 631.

Res quælibet *mea*, vel *alterius*, esse dicitur, cuius ego, vel alter, dominium habemus; quodsi res talis sit homo, vel alia rationalis creatura, *servus* meus, vel alterius, appellari solet.

§. 632.

Omnes creaturæ cum toto hoc universo Dei sunt, & omnes homines cum omnibus creaturis rationalibus in eodem mundo hoc universo comprehensis servi sunt Dei natura sua. Deo enim naturale (non liberum §. 630.) in res omnes creatas, rationales, ac non rationales, dominium competit, ita, ut omnes vi naturæ suæ non possint existere nisi per exercitum dominii divini.

* Nemo unus a Dei servitute eximitur, non rex, non Monarcha quiscunque huius universi.

§. 633.

Potestas despotica, seu *dominium despoticum*, vocatur facultas physica libera ad aliquid agendum, vel non agendum, seu salva, seu non salva rectitudine voluntatis (§. 468.).

§. 634.

§. 634.

I. *Dominium simpliciter, seu ius dominii* (§.617.), *non est potestas despotica;* quia omne ius non est nisi facultas libera agendi salva rectitudine (§. 609.).

II. *Dominium despoticum evidenter imperfectionem essentialem importat in eo, cui competit.* Est enim defectus sanctitatis perfectae essentialis, quae rectitudinem perfectam omnium actuum etiam liberorum, & incapacitatem ad actus non rectos, importat (§. 539. seqq.).

§. 635.

III. *Deus absolute incapax est dominii despotici in quascunque creaturas.* Est enim per essentiam sanctissimus (§. 541.), eique per essentiam absoluta rectitudo omnium actuum liberorum propria est (§. 470.).

§. 636.

IV. *Deus uti absoluto suo dominio non potest nisi secundum consilium infinitae sapientiae suae.* Nec enim Dei dominium despoticum est (§. praec.), sed ius dominii, i. e. facultas non nisi salva rectitudine voluntatis suae de creaturis suis disponendi (§. 609.), i. e. cum summa essentiali sanctitate coniunctum (§§. 539. 541.). Atqui vi istius rectitudinis ac sanctitatis absolute summae Deus omnes suas actiones liberas, atque adeo etiam omne dominii sui exercitium, seu usum, consiliis infinitae sapientiae suae perfecte conformare tenetur (§. 542.). Ergo &c.

* Qui Deo despoticum dominium ad quodvis pro mero lubitu, etiam sine sapiente motivo & consilio, agendum & decernendum cum creaturis tribuunt, solam potentiam Dei seorsum a ceteris perfectionibus attendunt, simulque notione genuina *dominii* ac *iuris* destituuntur, indeque libertatem agendi Deo affingunt, qualem nemo non abhorrere in tyranno cogitur.

§. 637.

§. 637.

V. *Deus dominio suo non nisi ad fines absolute & respective optimos per media aptissima obtinendos uti potest.* Nec enim uti potest illo nisi secundum consilia sapientiæ suæ infinitæ (§. præc.), quæ non nisi fines absolute optimos per media aptissima obtinendos ei proponunt (§. 535. 537.). Iam vero finis absolute optimus idem est atque etiam respective, seu respectu creaturarum, optimus, nimirum Dei gloria & beatitudo creaturarum rationalium per modum boni moralis obtinenda in summo gradu, quo illa in aliquo mundo possibilis esse a Deo prævidetur (§. 550. IV.).

§. 638.

VI. *Deus dominium suum plenum & absolutum in creaturas quascunque non nisi cum summa & infinita sapientia, sanctitate, bonitate, & iustitia exercet, nec vero aliter exercere potest.* Nec enim nisi cum summa sanctitate conformiter consiliis infinitæ sapientiæ suæ & in ordine ad fines etiam creaturis rationalibus optimos, i. e. cum promta voluntate promovendi earum summam felicitatem possibilem, atque adeo cum summa bonitate, exercere idem dominium potest (§§. 636. seqq. & §§. 545. 548.). Porro summa bonitas summæ sapientiæ cum perfecta sanctitate attemperata summa iustitia est (§§. 598. 603.). Itaque Deus dominium suum &c. &c.

* Quæ alia nobis esse his potiora motiva possunt ad nos dominio tam amabili plena item voluntate subiiciendos? Contra qui nescio quod despoticum Deo dominium, aut monstrum magis dominii, affingunt, quid, quæso, utilitatis inde in ordine ad mores hominum intendunt? Num ut homines saltem timeant talem dominum; quem amare non possunt? At quid proderit timere, si etiam de illis disponere pro mero arbitrio potest; qui illi cum tremore in omnibus obediunt? Certe aliud nos ipsa quoque reve-

latio divina docet, quæ nos securos facit, omnes nos a Deo non nisi *cum magna reverentia disponi.*

§. 639.

Natura universa, quoad expers est libertatis indifferentiæ, nunquam non agit ea, quæ Deus fieri per eam pro iure dominii sui vult, seu, quod perinde est voluntatem Dei perfecte & constanter exequitur. Neque enim illa leges sibi a Deo pro iure dominii & arbitratu (§. 520.) præscriptas potest unquam non observare (§. 521.).

* Nimirum natura leges suas, Dei arbitratu per primum compositionis modum ad hunc ordinem determinatas (§. 519.), deinceps necessitate physica constanter observat; quamdiu actione libera entis creati liberi, vel ipsius Dei, prodigio intervenientis, non turbatur (§. 522.).

§. 640.

Deus æque plenus & absolutus dominus est creatæ totius libertatis, ac totius naturæ universi. Creando enim & conservando creaturas liberas, & conferendo eis libertatem, tam libere ac pari iure dominii egit, ac creando ac conservando naturam non liberam; siquidem æque salva rectitudine voluntatis liberæ utrumque omittere potuit (§. 625.). Præterea ipsam libertatem Deus singulis creaturis ita libere salva rectitudine suæ voluntatis confert, ut non minore rectitudine eiusdem voluntatis suæ & singulis & universis eandem subtrahere potuerit, vel nullum omnino creando mundum, vel talem, in quo sine usu libertatis beatitudo per modum boni mere physici cunctis obvenisset (§§. 237. 238. 239.).

§. 641.

Plenum & absolutum dominium in actus alienæ libertatis qua tales aliud importare non potest, quam ius disponendi de substantia, seu existentia, ipsius facultatis physice liberæ, & ius promovendi actus liberos, vel eos-

dem

dem pro arbitratu impediendi, per media moraliter sufficientia (§. 187.). Plenum enim ius dominii ad alios modos disponendi de re quacunque se extendere non potest, quam quorum facultas possibilis est; cum omne ius sit facultas agendi, vel disponendi (§§. 609. 613.). Atqui circa actus liberos immediate disponendi, quatenus sunt accidentalis usus libertatis iam aliunde existentis, nullus alius modus, nec adeo alia facultas, aut ius, locum habet quam per media mere moraliter sufficientia (§. 195.); mediate autem, seu in caussa, circa eosdem disponi potest, quatenus ipsius libertatis physicae, ponendi, vel non ponendi eosdem, existentia seu facultas proxima concedi a Deo, vel non concedi potest (§. 138.). Itaque plenum & absolutum dominium in actus alienae libertatis &c. &c.

§. 642.

Deus est plenus dominus non solum libertatis omnis creatae, sed etiam actuum omnium eiusdem. Pollet enim omni iure disponendi circa eosdem possibili, & quidem independente; quippe cum nisi dependenter ab ipsius dominio nulla libertas creata, adeoque multo minus ius creatum (quod libertatem supponit §. 609.), existere possit. Pollet enim tam iure disponendi de substantia, seu existentia omnis libertatis creatae (§. 640.), atque adeo mediate etiam existentiam quorumvis actuum ipsorum libertatis creatae libere impedire physice potest; quam iure disponendi immediate de ipsis actibus liberis creatis promovendo bonos, & impediendo malos per media moraliter sufficientia (§§. 197. 180. 468. 609. 613.) ita, ut aeque omnem positivam dispositionem, seu iuris utriusque exercitium positivum, nihil creando, aut creando mundum alium, respectu cuiuslibet actus liberi creati omittere possit (§. 237. seqq.). Iam vero praeter ista iura aliud nullum possibile est,

quod ad plenum dominium in actus alienæ libertatis porro pertinere queat (§. præc.). Deus ergo pleno dominio pollet, atque adeo plenus dominus est omnium prorsus actuum omnis libertatis creatæ (§. 627.).

* *Non* ergo *facultate ac iure prædeterminandi opus habemus ad perfectum Dei dominium in omnes actus liberos creatos asserendum;* maxime cum illud potius ipsam actuum libertatem everteret (§. 330. not. 3. & 7.)

ARTICULUS III.

DE JUSTITIA DEI LEGISLATRICE.

§. I. *De præmiis bonorum, & malorum pœnis, a Deo constitutis.*

§. 643.

Præmium est bonum physicum ab eo, qui liberum de eo disponendi ius habet, in alterum collatum ob istius liberam actionem (vel omissionem) sibi placitam & acceptam.

§. 644.

Pœna est malum physicum alicui ob malum morale immissum ab eo, qui in ipsius libertatem ius aliquod habet.

§. 645.

I. *Omne præmium iuxta ac omnis pœna decernitur ceu medium morale & motivum actionum liberarum comittendarum, vel omittendarum, tanquam finium, quos respicit, qui præmium decernit, vel pœnam* (§.267.Ont.).

* Dixi, *decernitur*, videlicet antecedenter ad ipsam actionem, quam pro fine habet. Quodsi prius decretum non fuisset, sed post actionem aliunde positam conferatur; collatio eius decernitur alios ad actiones similes provocandi caussa.

§. 646.

II. *Vicissim actio libera (vel omissio) iam facta instar*

star motivi, seu caussæ moralis, se habet ad ipsam præmii collationem, vel inflictionem pœnæ, quod, vel quæ, eiusdem promovendæ, vel impediendæ caussa, decreta fuerat, ceu ad suum effectum (§. 265. Ont.).

§. 647.

III. *Omne præmium est bonum physicum saltem ratione distinctum ab ea actione (vel omissione), ob quam confertur.* Prœmium enim decernitur libere tanquam medium morale actionis (vel omissionis) liberæ alienæ, quæ se habet instar finis, & vicissim confertur ob istam ceu caussam suam moralem per modum effectus (§§. præc.), adeoque ab hac separabile est quoad tempus, & diversam ab eadem existentiæ rationem habet (§. 69. II. & III. Ont.); proin ratione saltem differt ab eadem (§. 7. IV. seq. Ont.); eo quod, quæ diversas rationes existentiæ habent, etiam ratione formali convenire non possint.

IV. *Pariter omnis pœna est malum physicum saltem ratione distinctum ab eo malo morali, ob quod immittitur.* Eadem huius Corollarii ratio est, quæ præcedentis, ob §. 645.

§. 648.

V. *Nullum bonum morale potest esse præmium sui ipsius, nec ullum morale malum potest esse pœna sui ipsius.* Distinguuntur enim saltem ratione prœmium & bonum morale, cuius illud est prœmium; idemque est de pœna (§. præc.).

* Evidenter itaque fallebantur Stoici decantato illo axiomate: *virtus sibi ipsi sufficiens præmium, vitium sibi ipsum sufficiens supplicium est;* ita quidem, ut ne prœmium quidem absolute virtus, nec pœna vitium, sui ipsius esse omnino possit. Interim quo alio sensu axioma hoc verum haberi possit, ex §§. seqq. ultro patebit.

§. 649.

Quæ ex actionibus (vel omissionibus) hominum moraliter malis ceu per se cum his connexa consequuntur

mala physica, reipsa sunt pœnæ divinæ, seu a Deo immissæ. Sunt enim a Deo præscita, nec nisi ex eius decreto supposita actione (vel omissione) moraliter mala, cui connectuntur, eveniunt (§. 434.). Ex altera parte boni usus libertatis media, i. e. motiva a malo morali absterrentia, per se esse possunt (§. 574.), huncque ipsorum usum Deus ea decernendo reipsa ut finem intendit (§. 579.). Sunt ergo mala physica a Deo, qui ius in nostram libertatem habet (§. 642.), ob malum morale impediendum decreta, & ob idem a nobis comissum actu immissa, i. e. sunt pœnæ divinæ (§. 644.).

§. 650.

Quæ ex actionibus (vel omissionibus) hominum moraliter bonis ceu per se connexa sequuntur bona physica, reipsa sunt præmia divina, seu a Deo collata. Eadem est demonstratio huius thesis, quæ præc., si modo ad §§. 584. 587. animum reflectas.

§. 651.

Quæ vi solius naturæ ordinis & nexus rerum secundum leges solas naturæ hominibus post mala moralia ante patrata deinceps accidunt mala physica, revera quoque sunt pœnæ divinæ. Habent enim mala ista per se usum istum in ordine ad bonum usum libertatis nostræ promovendum, ut esse possint media seu motiva absterrentia a malo morali, si Deus ob hunc finem ea decernere voluerit (§. 575.). Atqui Deus & naturæ leges præscribendo ea post mala nostra moralia a se prævisa evenire decrevit (§§. 434. 520. seq.), & usum illum eorum pro fine habuit (§. 579.). Ergo reipsa Deus ea mala in nos decrevit immittere, & actu immittit, ob malum morale a nobis perpetratum; i. e. revera mala illa sunt pœnæ divinæ (§. 644.).

§. 652.

Idem tenendum prorsus de malis physicis, quæ ex usu vel abusu alieno libertatis nobis post patrata mala moralia

moralia eveniunt, nempe esse item pœnas divinas. Usum enim istum quoque per se habere possunt (§. 576.), eademque sic a Deo omniscio permissivo saltem decreto dispositа sunt (§. 434.), & Deus usum quoque istum intendit (§. 579.). Ergo per §. præc. æque sunt pœnæ divinæ.

§. 653.

Bona quoque vicissim physica, quæ post bona moralia patrata nobis accidunt seu vi solius naturæ ordinis, seu ex usu alienæ libertatis, reipsa item sunt præmia divina. Demonstratio proportione eadem prorsus est, quæ §§. 650. 651. modo ad §. 685. seqq. animum reflectas.

* Adnotari in propositis hisce thesibus a §. 649. meretur consensus demonstrationis (seu rationis), sensus communis naturæ, & sacrarum Scripturarum, quas Deo acceptas habemus, in asserenda prædictis huius vitæ malis ac bonis pœnæ ac prœmii divini propria ratione; quam tot ac tanti, profundius rationem inspicere non assueti, & sensum communem naturæ temere contemnentes, divinas demum scripturas pro fabulis habentes, eisdem abiudicarunt. Obtentus, quo spurii sapientes isti sibi illudunt ipsi, is præcipue est; quod bona & mala illa naturaliter eveniant; i.e. quod nunquam non illa naturalem aliquam caussam immediatam habeant. Quasi vero non etiam naturales caussæ per legum naturalium præscriptionem (§. 520.) divinæ sapientiæ consilio, atque ordinationi, subessent, aut quidquam etiam illarum interventu in toto hoc mundo adspectabili sine Dei decreto ac certo proposito voluntatis ipsius eveniret (§. 434.). Porro quod Auctor naturæ infinite sapiens per naturam speciatim exigi voluit, fine optimo carere non potest (§. 534.); & quod, ceu simul infinite bonus, ad summum possibile bonum nostrum ordinavit (§§. 548. 549.), idem secundnm omnem aptitudinem, quam habet, & ipse illud habere distinctissime cognovit, ad promovendum bonum nostrum, intendere & ordinare debuit.

§. 654.

Tametsi eadem mala physica ex solo ordine naturæ & nexu rerum physico, aut etiam alienæ libertatis abusu, orta probos & improbos ex æquo premant; ***non tamen*** *sub eadem ratione respectu utrorumvis intenduntur a Deo, sed respectu improborum ordinantur in pœnam, respectu proborum vero in occasionem, experimentum, & probationem magis heroicæ virtutis. Primum* ex §§. 168. 199. patet; *alterum* ex §§. 651. 652. 577.

* Huius quoque veritatis, videlicet *quod huius vitæ mala etiam probos homines, sed non pœnarum instar, premant, sed mere in occasionem virtutis magis heroicæ,* exempla pathetica sacer Scripturæ textus in Jobo, Tobia, Josepho &c. nobis subministrat.

§. 655.

Nihilominus tam præmia, quam pœnæ divinæ, quæcunque pro bonis & malis moralibus a Deo in hac vita dispensari solitæ, insufficientes sunt ad improbos a malis moralibus absterrendos, & ad probos seu ab infelicitate nimia defendendos, quæ ipsis ex improborum malitia nasceretur, si hæc aliis pœnis non coerceretur, seu in boni moralis cultu confirmandos. Spectata enim necessitate morali, qua alioquin in hac vita omnes ad malum morale trahimur (§. 148.), & quæ maior per se in improbis est ex diuturna mali assuetudine frequentive exercitio (§. 149.), nec bona huius vitæ, neque mala physica, hoc ipso, quod æque saltem probos atque improbos premant (§. 199.), etsi sub diversa Dei intentione (§. præc.), motiva sufficientia esse possunt (§. 200.), adeoque nec prœmia, aut pœnæ sufficientes (§. 645. I.), seu ad improbos absterrendos a malo seu ad probos, quorum felicitati improbi per malitiam suam moralem gravissime absunt (§. 170.), in boni moralis

ralis

ralis cultu confirmandos; quippe qui ob mala physica ex improborum malitia in se acervata in multo maiore male agendi necessitate morali constituerentur (§. 202. 203.), nisi metu iacturæ beatitudinis & infelicitatis positivæ, in altera futura vita imminentis, ram probi quam improbi coercerentur (§. 206 seq.).

§. 656.

Beatitudo æterna probis instar præmii, & infelicitas æterna positiva instar pœnæ improbis est in altera ventura vita a Deo constituta; idemque præmium & hæc pœna universe sufficiens est ad omnes homines a malo morali Theologico formaliter tali (§. 172. Nro. 3. & 4.) *absterrendos, & impellendos ad bonum morale oppositum.* Est enim utraque a Deo statuta & decreta probis & improbis, beatitudo quidem ob actiones moraliter Theologice formaliter bonas, infelicitas vero illa ob actiones Theologice formaliter malas (§. 410.), ceu motivum bonarum committendarum & malarum omittendarum (§. cit. & §. 203. seqq.); & quidem statuta utraque est in hunc finem a Deo tum liberum ius beatitudinis illius absolute habente; quippe qui libere nos creat in ordine ad eam ceu finem ultimum obtinendam (§. 237. seqq.), tum etiam pleno iure dominii in libertatem nostram pollente (§. 642.), Ergo tam beatitudo alterius vitæ æterna præmium, quam infelicitas illa æterna pœna est, illa quidem probis, hæc improbis, a Deo constituta (§§. 643. seqq.): *quod primum.* Est vero tam prœmium illud, quam pœna hæc, universe sufficiens ad omnes absterrendos a malo, & impellendos ad bonum morale Theologicum formaliter tale: siquidem magnitudine, aut certe duratione non finienda voluptatum, ac tœdiorum, quæ ceu motiva impellentia ad bonum, & absterrentia a malo Theolo-

gico, proponunt, sufficientem proportionem habent ud quemcunque voluptatis aut tœdii excessum, quo absterreri a bono, & impelli ad malum, quantacunque necessitate morali in hac vita possimus (§. 198.): *quod alterum.*

§. II. *De obligationibus & officiis generalibus a Deo hominibus in hac vita impositis: ubi item notiones Metaphysicæ huc pertinentes accurate evolvuntur.*

§. 657.

Obligatio est necessitas moralis recte agendi, vel non agendi, (§. 468.), ab eo alteri imposita, qui eatenus ius privativum (§. 621.) in ipsius libertatem habet. *Positiva* est, si ad recte agendum, *negativa*, si ad recte non agendum, i. e. ad recte omittendam actionem, necessitas moralis imponitur. Eadem vulgo dicitur *obligatio passiva* respectu illius, cui imponitur; sicque eidem respondet *obligatio activa*, quæ est actio, qua is, cui ius privativum eatenus est in alterius libertatem, huic moralem necessitatem recte agendi, vel non agendi, imponit.

* Ill. Wolfius in Theol. Nat. P. I. §. 973. *Obligationem passivam* definit præcise *esse necessitatem moralem agendi.* Per necessitatem moralem agendi vero non intelligit eam, quam nos supra ex recepto istarum vocum usu §. 146. definimus esse difficultatem aliquid libere agendi, vel non agendi, sed per eam (uti ex §. 952. Theol. Nat. Wolf. P. I. & seqq. patet) intelligit necessitatem talem hypotheticam e. g. agendi, ut, si non agas, necessario non recte agas. Unde necessitas illa moralis, quam Wolfius obligationem passivam appellat, reipsa nulla prorsus necessitas est agendi simpliciter, vel non agendi, sed solum est necessitas hypothetica agendi, vel non agendi, si recte agere velis

velis. Hinc l. cit. §.952. dicit *moraliter impossibile esse*, quod salva actionis rectitudine fieri nequit. Porro illius oppositum, quod moraliter impossibile est, ipse l. cit. §. 972. not. fatetur esse moraliter necessarium. Enimvero ad talem obligationem nulla opus est *obligatione activa*, quam idem Wolfius l. cit. §.973. dicit esse *connexionem motivi cum actione*. Siquidem vel ipso fatente Ill. Wolfio (ibid. §.975. not.) actiones morales etiam antecedenter ad omnem alienam actionem intrinsece seu per essentiam rectæ, vel non rectæ sunt, i.e. consentientes, vel non consentientes, cum bono agentis essentiali (§.468.), i.e. tales, ut earum oppositum salva rectitudine fieri unquam absolute nequeat. Quoniam ergo vel ipsa vox *obligatio passiva* rationem *effectus* ex obligatione activa consequentis exprimit, is potius effectus in obligationis passivæ definitione poni debet. At quis est effectus iste vel ex ipsius Wolfii mente, dicentis, *obligationem activam* esse connexionem motivorum cum actione? Motiva porro, i.e. cognitiones voluptatum aut tædiorum cum actione connexorum, quid parere possunt, nisi insignem difficultatem aut non agendi, aut agendi? i.e. necessitatem moralem, qualem nos supra §. 146. definimus, & qualis simul cum vera libertate consistere possit. Nimirum Ill. Wolfius, veræ libertatis notione carens, aliam quam metaphysicam & physicam necessitatem oppido ignorabat. Unde cum physicam fateri in obligatione necessitatem nollet (§.972. suæ Theol. Nat. P. I.), metaphysicam adstruxit; quæ cum essentialis sit & intrinseca actioni (vide Phil. Pract. Wolfii P. I. §. 130. & §.304. not.), ut nempe vel recta, vel non recta sit, utique intelligi sine obligatione activa posset. Hinc & verba illa in obligationis utriusque definitione omisit, quæ nos addidimus: *imposita ab eo, qui ius habet in libertatem alterius*. At enim verba hæc omitti non posse, ex duplici sequela patet, quæ locum secus habitura esset. Namque *primo* secus etiam in Deo *obligationes*, naturales, etiam perfectæ, ac proin multa *debita*, & *officia* erga

erea-

creaturas, admittenda essent; quod certo absurdum, & divinæ revelationi ipsi quoque contrarium. Omnis enim obligatio recte agendi aliquid in bonum alterius debitum quid est, & officium alteri debitum dicitur, ut infra §. 680. vel ipso Wolfio consentiente, dicemus. Jam vero supposita libera voluntate creandi Deus multa agendi in bonum creaturarum necessitatem virtute perfectionum suarum, sapientiæ nimirum, bonitatis. iustitiæ &c. habet, quæ salva sua sanctitate seu rectitudine essentiali non facere non potest: ergo per definitionem Wolfianam ad ea omnia nobis supposita creatione præstanda obligaretur, ac proin ceu nobis debita præstaret. *Deinde* sequeretur, eum, quem latro minis ac cæde intentata compellit tradere pecunias, ab isto active obligari; siquidem latro profecto motiva sat gravia cum traditione pecuniæ connectit, imo etiam necessitatem moralem proprie talem, quam nos §. 146. definimus, imponit. Neque hanc sequelam eo non nullorum obtentu effugies, qui dicunt, distinguendam esse *obligationem iustam* & *iniustam*: siquidem distinctio hæc apud omnes probatos doctores inaudita est, ac per se absurda; cum obligatio iniusta simpliciter obligatio non sit. Profecto nemo metum injuste incussum, aut quamcumque vim moralem iniuste illatam, obligationem dixerit. Deinde actio omnis *iusta* qua talis, uti & passio, relationem agentis ad patientem, vel patientis ad agentem, eiusque ius, formaliter, etsi confuse, enuntiat (§. 598.), adeoque idem est, ac si dicas, ab eo imposita, qui ius habet &c. Nimirum obligatio activa actio, passiva effectus seu passio est: tam actiones vero quam passiones id genus relationes sunt, quarum termini definitionem earundem ita necessario ingrediuntur, ut sine illis relationes ipsæ secundum veram suam essentiam intelligi nequeant (§§. 125. 205. 206. Ont.). Wolfius autem totus in id intendebat, ut Atheum quoque de sua obligatione servandi Jus Naturæ convinceret, & viam sibi præpararet ad Jus Naturæ ab omni obligatione, quam ipse vocat, positiva separandum.

Denique

Denique nec illud in definitione omitti posse, videlicet obliganti *eatenus*, quatenus in ordine ad certam actionem (vel omissionem) necessitatem moralem imponit, *ius privativum in ipsam libertatem alterius competere debere*, ex modo dicendis §. 659. patebit.

§. 658.

I. *Obligatio libertatem, seu facultatem physicam agendi æque ac non agendi, non tollit:* secus non moralem tantum, sed physicam necessitatem importaret (§§. 141. 146.).

§. 659.

II. *Obligatio passiva opponitur omni homogeneo iuri agendi oppositum illius, ad quod obligamur.* Supponit enim ius privativum eatenus disponendi de libertate alterius, quatenus ipsa imponitur (657.): ergo per §. 622. II. omne ius eiusdem speciei circa eandem actionem in altero excludit.

* Corollarium hoc necessitatem evincit, verba illa in obligationis definitione omitti non posse, videlicet obliganti *ius privativum* eatenus, quatenus obligat, disponendi de libertate competere debere. Et vero si alter, qui obligandus est, ius cumulativum disponendi de eadem sua actione libra haberet, iure necessitari omnino sine suo consensu non posset. Ex hac ipsa nota essentiali obligationis ostendendum est illud dogma celebre, non posse dari bellum ex utraque parte materialiter iustum, nec duo plena iura contraria &c.

§. 660.

III. *Obligatio passiva defectui iuris agendi oppositum in eo, qui obligatur, necessitatem moralem agendi alterum ex duobus oppositis superaddit.* Defectus iuris enim se sola solam rectitudinem excludit ab actione ponenda, ad quam ius deficit (§. 611. seq.); quæ rectitudo non est nisi consensus eius-

dem

dem cum invariabili agentis essentia in ratione boni (§. 498.); quin hæc propterea necessitatem aliquam agendi recte simpliciter importet. Necessitas moralis igitur quid defectui iuris superaddit &c.

* Enimvero actio recta secundum se difficillima esse potest, adeoque secundum se potius necessitati morali eam suscipiendi adversa. Item potest fieri, ut iuris defectus ab uno inducatur, & obligatio ab alio imponatur. E. g. potest homo, qui Dominus rei est, ius precarium, quod alteri sponte concessit, suo unius arbitrio tollere; at necessitatem moralem desistendi ab usu rei precario, i. e. obligationem naturalem eo facto non homo, sed Deus imponit. Vide §. 610. III.

** Non observatum discrimen hoc inter defectum iuris & obligationem ipsam in caussa fuit, ut Ill. Wolfius ipsum defectum rectitudinis in actione pro motivo sufficiente sumeret, a quo necessitatem moralem repeteret, in qua obligationem passivam reponebat.

§. 661.

IV. *Obligatio imponitur vel bonorum insignium actionis (seu omissionis) liberæ obtinendæ caussa præsente collatione, aut promissione eorundem, vel interminatione infligendorum malorum, vel utraque simul.* Sic enim intuitus boni aut mali insignis, i. e. voluptates aut tœdia magno gradu instar motivorum ex parte actionis (vel omissionis), exoriuntur, quæ necessitatem moralem conficiunt (§. 146.).

* Etiam benefactis grandibus clientes saltem ad gratitudinem (§. 260. Nro. 2. Psych.) obligari vere dicuntur.

§. 662.

V. *Obligatio imponitur collatione magnorum beneficiorum, aut præmiorum, promissione istorum, & interminatione pœnarum, ob ipsam actionem (vel omissionem); si hæc fiat ab eo, qui & ius & potestatem promissa exequendi habere noscitur.* Tam benefacta enim, quam prœmia boni rationem, & pœnæ rationem mali,

mali, habent (§§. 643. 644.): ergo per §. præc. &c. Interim promissio sola, aut minæ, si potestate exequendi destituantur, *prævisionem* boni, aut mali, seu voluptatem aut tædium *prævisum*, non conficiunt, adeoque nec rationem magnitudinis motivi graviter impellentis, vel absterrentis (§§. 228. 230. 231. Psych.), nec moralis necessitatis vim, habere possunt (§. 146.).

§. 663.

VI. *Obligatio activa est actio connectens motiva agendi (vel non agendi) cum agendi & non agendi libertate physica.* Est enim actio necessitatem moralem prædicta libertate physica salva imponens (§. 658. I.), quæ non nisi ex motivis, seu cognitionibus, magnas voluptates aut tœdia actionis aut coniuncta, aut ex ea secutura, repræsentantibus, exoritur (§. 146.).

* Ill. Wolfius dicit, *per obligationem activam motiva connecti cum ipsa actione.* At hoc tunc verum solummodo esset, si actio libera per motiva ipsa, uti ipse quidem vult, determinaretur.

§. 664.

VII. *Obligatio activa in obligante supponit* 1. *ius privativum in alterius libertatem quoad eam numero & specie actionem (vel omissionem), ad quam obligat:* 2. *tum ius, tum facultatem physicam disponendi de ipso bono, vel malo, quod infert, promittit, aut intentat* (§. 661. IV.): 3. *voluntatem actualem tale bonum conferendi in præsens, vel in futurum, & infligendi malum:* 4. *voluntatis istius iuxta atque utriusque illius iuris & facultatis significationem alteri, quem obliget, ab eodem factam, seu per se, seu per alium, eamque certam.* Horum *primum* ex ipsa definitione patet (§. 657.). *Alterum* inde evidens est, quod licet facultas physica ad ius ipsum obligandi non re-

quira-

quiratur (§. 610. III.); tamen sine illa actio ipsa obligans, i. e. necessitatem moralem imponens, defectu virtutis exerceri non potest. Et licet alter errore ductus putet, promittenti præmium, ac pœnam interminanti, adesse istius exequendæ potestatem: tamen tunc non vera, sed existimata solum obligatio induceretur; si revera potestas illa obligare volenti non competeret. *Tertium* inde patet, quod iuris exercitium omne liberum sit (§. 609.), adeoque sine actuali voluntate exerceri actu non possit. *Quartum* ex eo intelligitur, quod necessitas moralis ex motivis oriatur, motiva autem sint cognitiones (§. 146. & §. 231. Psych.). Porro velle serio & cum effectu obligare non potest, qui non ipse vult motiva connectere, i. e. voluntatis suæ iuxta ac iuris & potestatis significationem vel per se, vel per alium, facere. *Demum* nisi significatio ista certa sit, æque parum veram prævisionem voluptatis, aut tœdii, aut motivum graviter impellens, vel absterrens, i. e. nullam veram necessitatem moralem, conficit (§§. 146. 662. V.).

* In Psychologia, ubi §. 211. & seqq. gradus magnitudinis circa voluptates & tœdia statuuntur in ordine ad movendam mentem ad alterutrum in libera electione, thesis ista: *circa voluptates & tœdia mere prævisa gradus magnitudinis ex certitudine, vel incertitudine eorum metiendos esse*, statui pro regula merito poterat, & debebat; nisi tunc istius rei observatio me præteriisset. Enimvero bona & mala incerta, utut magna secundum se sint, parum nos movent. Unde & spes iuxta ac timor, ceu motus primi ex bonorum & malorum absentium prævisione exoriri soliti, unice propemodum a certitudine eorundem pendere solent (§. 145. Psych.)

§. 665.

VIII. *Necessitas moralis, quam obligans imponit, diversos magnitudinis gradus habere potest tum pro magnitudine*

gnitudine bonorum, & malorum, præmiorum & pænarum, quæ proponit, tum pro amborum simul coniunctione, aut solius præmiis facta promissione sine interminatione pænarum. Ex his omnibus enim voluptates & tædia (§. 211. seqq. Psych.) atque adeo & necessitas moralis (§. 146.), crescunt, vel decrescunt.

§. 666.

IX. *Itaque & obligatio maior esse, vel minor, ac diversos gradus habere potest;* prout necessitas moralis maior, vel minor est (§. præc.), quam obligans imponit ad agendum, vel non agendum.

§. 667.

Ex his divisio obligationis passivæ nascitur in perfectam, & imperfectam. *Obligatio perfecta* dicitur, qua necessitas moralis insigniore quodam gradu pœnarum & malorum gravium certa interminatione imponitur. *Imperfecta obligatio* contra appellatur, minor quidem moralis necessitatis gradus, qui sola præmiorum promissione imponitur, aut actuali præstatione insignium bonorum, seu iucundorum, seu utilium.

§. 668.

Omnis homo in hac vita a Deo obligatur obligatione perfecta ad vitandum omne malum morale Theologice formaliter tale, & ad agendum bonum morale Theologice formaliter tale (§. 172. Nro. 2. 3.), *quod sine Dei contemtu præsente omitti non potest.* Malum enim Theologice formaliter tale (l. cit.) est, cuius oppositio cum bonitate seu perfectione Dei absoluta ab agente attentione actuali cognoscitur, ac proin sine contemtu Dei præsente committi non potest (§§. 175. 176.). Jam vero Deus supposita præsentis mundi creatione tenetur tam beatitudinis æternæ promissione, quæ præmii rationem ha-

bet (§. 656.), quam intentatione malorum, atque etiam positivæ æternæ infelicitatis, quæ habet rationem pœnæ sane gravissimæ (§. cit.), promovere boni moralis executionem, quod sine Dei præsente omitti non potest (§. 410.), & impedire malum morale, quod sine Dei contemtu non potest committi (§§. 198. 203. 206. seqq. 412.); hancque voluntatem suam præcipientem (§. 411.) & prohibentem (§. 312.) in dicto casu nobis non potest non cum omni certitudine significare (§. 421.). Facit vero hoc Deus iure suo, ceu inprimis liber in creando homine & actu ordinando eius creationem ad ultimum finem beatitudinis per modum boni moralis ab ipsomet acquirendæ (§. 237. seqq.), tum vero etiam ceu gaudens pleno iure privativo dominii in totum hominem & ipsam eius libertatem; cunctosque istius actus (§§. 625. 642.), atque etiam potestate pollens ad præmium illud & pœnam actu exequendam (§§. 75. 506.). Quoniam ergo Deus hiisce motivis prœmii & pœnæ æternæ nobis propositis, ceu mediis moraliter prorsus sufficientibus (§. 187. 198. 656.), nobis necessitatem moralem perfectam salva libertate imponit (§. 141. 661. IX.); evidens est, omnem hominem in hac vita a Deo obligari obligatione perfecta (§. præc. & §. 657.) ad vitandum omne malum, & agendum bonum, morale Theologice formaliter tale, saltem id, quod sine Dei contemtu omitti non potest.

§. 669.

Ad malum morale grave Theologicum formaliter tale vitandum, & agendum bonum morale Theologicum formaliter tale, Deus nos obligat pœnis & præmiis tum temporalibus huic vitæ propriis, tum æternis vitæ alteri futuræ reservatis. Primum patet ex §. 649. & seqq., alterum ex §. 656., tum vero ex ipsa defi-

definitione obligationis (§. 657.) & corollariis inde deductis §. 662. V. & seq.

§. 670.

Nulla obligatio in ipsa essentia hominis rationem sufficientem existentiæ, sed solius possibilitatis, habet; 2. atque adeo nulla obligatio absolute metaphysice necessaria, sed omnis absolute contingens est, etiam posita essentia hominis, seu creatione, simpliciter. Omnis enim obligatio libertatem proximam salvam supponit (§. 658. I.). Jam vero libertas proxima in homine, etiam actu creato, absolute necessario non inest, nec in essentia ipsius rationem existentiæ, sed solius possibilitatis habet perinde, atque per essentiam etiam idem capax est, ut physica necessitate ipsi imposita libertas eidem eripiatur (§§. 126. 138.). Ergo nec ulla obligatio rationem existentiæ, sed tantum possibilitatis, in ipsa essentia hominis habere potest: *quod primum.* Quoniam ergo nec in Dei essentia ratio inest sufficiens, ob quam hominem aut necessario creare, aut creare liberum, teneatur (§§. 232. 236.); nihil autem absolute metaphysice necessarium est, nisi quod in ipsis rerum essentiis rationem sufficientem habet (§§. 96. 97. I. Ont.): patet omnem obligationem etiam posita hominis creatione simpliciter absolute adhuc contingentem esse: *quod erat alterum.*

* Errabat ergo evidenter Ill. Wolfius, cum §. 129. Phil. Pract. P. I. obligationem naturalem dicebat in ipsa hominis rerumque essentia & natura rationem sufficientem habere, & idcirco (§. seq.) esse necessariam & immutabilem perinde atque essentiam rerum. *Homo naturaliter* (i. e. salvis naturæ legibus, & nullo miraculo interveniente §. 126.) *quidem liber est;* at simul per essentiam capax, ut libertate in ætate infantili etiam naturaliter destituatur, quin etiam ut iam adultus libertate per miraculum spolietur (§. 291. Cosmol.).

§. 671.

Obligatio non cognito obligante cognosci omnino non potest. 2. Unde vere ignorans Deum, aut de illo non cogitans, cognoscere obligationem divinam, aut de ea cogitare, evidenter non potest, 3. Atheus vero, sicut non credit existentiam Dei, sic nec credere obligationem divinam potest: etsi utramque ignorare non possit. *Primum* inde evidens est, quod obligatio non sit quæcunque moralis necessitas agendi, qualis etiam est metus iniuste illatus, sed non nisi talis, quæ ab alio, & quidem ex istius iure, est imposita. (§. 657.). Ergo cognosci non potest, nisi is, qui eam imponit, qualis sit, & an iure gaudeat, i. e. facultate libera salva rectitudine necessitatem imponendi (§. 609.). Cum ergo actionis liberæ rectitudo consistat in ipsius consensu cum agentis essentia in ratione boni (§. 468.); haud dubie ipse obligans etiam secundum essentiam suam cognosci debet (distincte, vel confuse quidem), ut obligatio cognosci queat. *Alterum* ex primo sequi, ultro evidens est; *tertium* ex utroque fluit.

* Dixi vero, *Atheum non credere Dei existentiam, nec obligationem divinam.* Nam ignorare idcirco tamen utrumque, si modo cetera sit compos rationis, haud potest; cum sensus communis naturæ utrumque sufficiente certitudine dictet (§. 287. Logic.); etsi propter obscuritatem & confusionem suorum dictaminum, seu intuitum, ad assensum ipsum, seu ad credendum, necessitatem non imponat (§. 283. VII. Log.).

§. 672.

Omnis activa obligatio voluntatem obligantis involvit ceu rationem existentiæ sui effectus, seu obligationis passivæ: 2. ac proin ipsa natura rerum, aut hominis, nec obligare potest, nec esse ratio sufficiens obligationis passivæ in homine. Omnis enim obligatio

activa

activa est actio eius, qui ius privativum eatenus habet in libertatem alterius (§. 657.), adeoque, cum omne ius sit facultas libere agendi (§. 609.), eadem est actio obligantis, quatenus is liber est ad necessitatem moralem alteri salva rectitudine propria imponendam, vel non imponendam; h. e. liberam volitionem ipsius, ceu iuris exercitium, importat: *quod primum.* Jam vero ipsa rerum vel hominis ipsius natura evidenter voluntatis libero exercitio non constat; etsi in homine volendi facultatem importet (§. 397. Psych.). Ergo nec obligare per modo demonstrata potest, id est, activam obligationem exercere, nec esse ratio sufficiens obligationis passivæ in homine (§. 205. Ont. & §. 657.): *quod erat alterum.*

* Dicta præcedentibus proximis tribus §§. is cum evidentia evincunt, quam multa falso & erronee tradat Ill. Wolfius *de obligatione naturali* in Phil. Pract. P. I. omnibus fere §§. is, quibus de illa agit, qui in Indice iuncti videri possunt, uti & *de lege naturali*, quam ab obligatione naturali a se explicata præcise repetit. Videbimus porro in sequentibus §§. is, non minore cum evidentia, quam ille scopum cum omnibus, qui in explicanda indole legis naturæ ipsius, aut Puffendorfii, aliorumque Protestantium, exemplum sequuntur, minime assequatur; cum ita explicare obligationes & leges naturæ propositum habet, ut Atheus etiam obligari se iisdem, velit, nolit, confiteri cogatur. Vide §. 657. not. in fine. Agendum ergo, obligationis naturalis ac necessariæ veram indolem pedetentim, quam licebit, accurate evolvamus.

§. 673.

Obligare homines non potest nisi Deus, aut cui Deus ius precarium ad hoc concesserit. Obligatio enim activa est actio habentis ius privativum eatenus in libertatem hominis (§. 657.). Atqui Deus habet

ius plenum privativum in totam libertatem hominis cunctosque istius actus (§. 642.), ac proin nulli alteri ius simile privativum (§. 622. II.), adeoque nec obligatio activa competere potest, nisi ius precarium ad hoc Deus ipse forte concesserit (§. 617.). *

* Nondum definio, an Deus tale ius precarium concedere alteri cuidam homini, aut rationali cuicunque creaturæ, in hominem reipsa possit, nec huius rei definiendæ hic est locus.

§. 674.

I. *Omnis ergo obligatio activa voluntatem Dei importat* (§. 672.), *aut ipsiusmet immediate obligantis, aut ius precarium obligandi alteri libere concedentis* (§. 617. & §. præc.).

§. 675.

II. *Ex voluntatis ergo divinæ varietate divisio divinæ obligationis, si qua locum habet, primo omnium repetenda est.*

* Profecto nihil absurdius, quam cum Ill. Wolfio obligationis unam speciem a rerum ipsa natura repetere, quam naturalem propterea dicito, & alteram arcescere a voluntate entis cuiusdam rationalis, Dei, vel hominis (Vide Wolfii Phil. Pract. P. I. §§. 129. 290.), & tamen etiam obligationis naturalis auctorem Deum i. e. voluntatem Dei, fateri. Vide eundem loc. cit. §. 275.

§. 676.

III. Quoniam omnis obligatio passiva libertati imponitur, quatenus cum ipsa libertate connectuntur motiva agendi, vel non agendi (§. 663. VI.); idcirco *omnes species obligationis, omniaque membra dividentia in quacunque divisione eiusdem, hypothesin existentiæ libertatis supponunt.*

§. 677.

§. 677.

His præmiſſis evidens eſt, recte dividi obligationem divinam (§. 673.) in abſolute neceſſariam, & contingentem. *Obligatio abſolute neceſſaria*, quæ vulgo etiam *naturalis* dicitur, ea eſt, cuius exiſtentia, poſita ſemel libertate naturali creata (§. præc.) per ipſam Dei eſſentiam & naturam determinatur, ac proin abſolute neceſſaria eſt. *Obligatio contingens*, quæ etiam *poſitiva*, ac *Deo libera* dicitur, ea eſt, cuius exiſtentia, etiam poſita libertate creata, per ſolam Dei eſſentiam ac naturam minime determinatur, ſed liberrima Dei (ſtante etiam dicta hypotheſi) voluntate.

* Vides hic, obligationem naturalem non repeti a natura creata, ſed ab ipſa Dei natura increata: nec eſt, quod adverſus definitionem iſtam mere nominalem iure pugnes; cum illius realitatem mox oſtenſuri ſimus: ex qua ipſa oſtenſione attendenti patebit, nos in uſu vocis iſtius a recepto apud omnes veteres illius ſignificatu minime recedere; nec vero recedendi ab eo ius ullum Wolfio, aut illis quibuſcunque fuiſſe, a quibus novam obligationis naturalis definitionem Illuſtris iſte Scriptor accepit.

§. 678.

Obligatio perfecta, qua omnis homo in hac vita a Deo obligatur ad vitandum quodvis malum morale formale Theologicum, & ad agendum morale bonum formale Theologicum, quod ſine gravi Dei contemtu omitti non poteſt (§. 668.), *eſt obligatio abſolute neceſſaria in hypotheſi noſtræ libertatis.* Repetitur enim illa ex ipſa Dei eſſentia, ob quam dedeceret Deum bonum uſum noſtræ libertatis in vitando illo malo, & hoc bono agendo, non promovere propoſitis actu prœmiis beatitudinis æternæ, & pœnis æternæ infelicitatis poſitivæ, aut libertatis abuſum contrarium non impedire (§§. 410. 416. 197. 204. ſeq.).

Ergo per §. præc. obligatio illa est in hypothesi nostræ libertatis absolute necessaria.

* Enimvero dubitari non potest, pœnas saltem æternas a Deo adversus malum morale Theologicum formale in hypothesi libertatis nostra necessario constitui; postquam saltem ex revelatione divina nos Christiani discimus, eas simpliciter a Deo constitutas esse. Quis enim prudens suspicetur, eas a Deo infinite bono absque necessitate ulla, & solo arbitratu, fuisse constitutas? Unde non capio, quo fundamento Ill. Wolfius in Phil. Pract. P I. §.317. not. negarit, Dei voluntatem, pœnas æternas & prœmia æterna bonis & malis in vita altera decernentis posse nobis solo rationis lumine absolute innotescere. Saltem, postquam de ista re certos nos revelatio fecit, decebit utique, istius constitutionis divinæ rationes necessarias, i. e. naturales, inquirere. Et vero mature perpendenti ea, quæ toto Art. III. Cap. II. proposita a nobis sunt, dubium, opinor, esse non potest, quin necessitate, non voluntate mera, in præsente libertatis nostræ hypothesi adducta Dei Justitia fuerit ad pœnas æternas sceleri, atque obstinatæ inprimis istius pertinaciæ, constituendas, idque non tam proprii honoris vindicandi, quam ipsius salutis electorum in tuto collocandæ, studio, i.e. ex vera bonitate per sapientiam temperata (§. 598.).

§. 679.

Obligatio, qua nos Deus pœnis & præmiis mere temporaneis huius vitæ obligat ad grave malum morale Theologicum formale vitandum, & ad agendum bonum morale simile & eidem oppositum (§. 669.), *tum contingens est, tum valde imperfecta, prorsusque se sola insufficiens.* Etenim cum obligatio illa per prœmia & pœnas æternas vitæ alterius, de qua §. 668. dictum est, sit per se prorsus perfecta, adeoque omnino etiam sufficiens (§. cit.); Deus vi essentiæ suæ ad aliam porro per prœmia & pœnas temporaneas

raneas insuper imponendam nequaquam determinatur. Unde cum eam nihilominus imponit, haud dubie per scientiam mediam directam, reipsa contingentem (§. 288.), determinatur ad eam quoque imponendam; quod scilicet per hanc praevideat, non nisi per isthaec poenarum & proemiorum temporaneorum superaddita motiva, ceu media, se respective summum beatitudinis universae creaturarum rationalium, atque inprimis hominum, in huius mundi systemate comprehensorum, gradum, quem pro fine ultimo sibi in praesens constituit (§. 373.), reipsa consecuturum. Iam vero, cuius ratio determinans etiam in hypothesi libertatis nostrae est contingens, id ipsum esse quoque contingens in eadem hypothesi necesse est. Est autem per se evidens, quamlibet scientiam mediam etiam in dicta hypothesi aeque adhuc esse contingentem, atque contingens est eius obiectum, i. e. ipse actus liber. Itaque & obligatio praedicta, quam Dei voluntas per solam scientiam mediam determinata imponit nobis, omnino contingens est, ac positiva (§. 677.); *quod primum.*

2. *Est* vero *eadem prorsus insufficiens & imperfecta.* Quod enim proemia & poenas cum bono & malo morali Theologico formali in hac vita per se connexas attinet (§§. 649. 650.), si ad eas, quae proprie & vere tales, i. e. ab ipso bono & malo illo morali distinctae, sunt (§. 647. III. IV.) attendas, nec cum omni bono & malo dictae rationis connexa per se sunt aliqua proemia & poenae in hac vita; nec in omnibus quibusque hominibus aequalia; & per ea bona physica, quae mali homines potentes & locupletes facile sibi per ipsum malum morale procurant, (spectatis solis voluptatibus & taediis solitis affluere ex praesentis tantum vitae bonis & malis, tam physicis quam moralibus) facile, imo

cum lucro, ex ipso morali malo sæpissime emergente, compensantur. Quod vero ea mala & bona physica spectat, quæ post bona & mala moralia patrata ex solo nexu rerum naturali, vel etiam ex vario usu alienæ libertatis, nobis emergunt (§. 561. seqq.); inprimis incerta sunt, &, cum mala physica id genus perinde probis hominibus in occasionem virtutis eveniant, atque malis in pœnam (§. 654.), ac vicissim malis sæpe bona similia physica a Deo in motivum virtutis immittantur (§. 588.); cumque præterea vulgo mali potentiores mala id genus physica facilius subterfugiant, bona vero physica similia facile sibi aliunde potestate despotica (§. 633.) procurent; patet plane, id genus prœmia & pœnas, secundum se solas spectata, prorsus insufficientia boni usus libertatis motiva esse (§. 200.), atque adeo obligationem admodum imperfectam, oppidoque insufficientem fundare (§. 667.): *quod erat* alterum.

* Non æque in cunctis hominibus mala physica cum malis moralibus iisdem per se connecti, satis experientia compertum est. Quod enim præsens malum occultas potentum artes, dolos, & iniustitias, per se vulgo comitari dixeris? An ignominiam? At occultissime illorum flagitium grassatur, nec raro æquitatis etiam eximiæ fama gloriantur in vita hac, & cum eadem etiam ex hac decedunt. Quis enim eorum arcana omnia detegi etiam post mortem flagitia facile dixerit? An saltem remorsum conscientiæ? At iste in ipsis locum non habet nisi ex vitæ alterius secuturæ persuasione. An ipsius vitii pudorem? At is pœnæ rationem tam parum quam ipsum vitium habere potest (§. 648.), & ex occultis sceleribus sæpe tam facile abstergitur, ut ob ipsum acumen & fortunam, qua patrantur, in gloriam vertatur. Sed neque pœnæ, cum per se vitium in hac vita consequuntur, æquales in quibusque hominibus esse consueverunt. Quot sunt ebriosi ac molles homines,

qui

qui ex summa luxurie diu continuata vix leve sanitatis incommodum sentiunt; cum alii, satis cetera temperantes, ex modico insolito excessu cibi aut potus grave detrimentum patiantur. Si tales mox tanto maioris sceleris cum Ill. Wolfio (Phil. Pract. P. I. §. 306. not.) hoc solo nomine redarguas, sequetur, eodem morali actu quosdam aliis eo solo nomine gravius peccare, quod, gravius se mox puniri a Deo, experientia compertum habeant.

** Porro ex his, quae a §. 668. huc usque dicta sunt, sane quam perspicuum esse existimo, quam praepostere operam suam quam multi Juris Naturae scriptores impendant, qui solius *obligationis naturalis* (quam cum Pufendorfio, Wolfio, aliisque, talem vocant) id est, proemiorum virtuti, & poenarum vitio, in hac vita a natura ipsa constitutarum, explicatione omnem Juris Naturae doctrinam absolvi existimant; magnum etiam quid praestitisse ex eo gloriantes, quod ipsos quoque Atheos de obligatione servandarum naturae legum convincendo, reipublicae felicitatem ab eo malo defendant, quae eidem ab id genus hominibus omni religione vacuis imminere satis compertum habent. Nae magni doctores isti operam oppido inanem ludunt. Quam parum sibi scelus obfirmatum a natura, omnis vitae experte, ceu legislatrice imbecilli, timebit? quod Deum viventem atque omnipotentem adeo non reformidat, ut negare etiam eius existentiam, imo ridere, accedat; etsi istam ratio tota, & sensus naturae, cum omni certitudine persuadeat. Num vero adeo certum est, quod obligatio illa naturalis & prorsus necessaria, qua Deus sub proemiorum aeternorum promissione & intentatione aeternarum poenarum ad virtutem urget, & revocat a flagitio, ad Jus Naturae nequaquam pertineat? Quodsi ad hoc pertinere ratione etiam naturali ostendi potest: nonne illi saltem felicitatem reipublicae produnt, qui tam proemia & poenas aeternas rationali lumine posse probari inficiantur, quam omne positivae divinae revelationis magisterium

gisterium explodunt. Si Atheorum compescere licentiam velis; illud maxime ostende, Deum, si is ipsorum inanibus insuperhabitis argutiis existat, ipsius essentialis suæ perfectionis virtute teneri, tam ab ipsis, quam ab omnibus aliis facinorosis hominibus, æterna supplicia repetere. Si Theistas revocare ab arrogantia velis, qua pro existimato suo acumine divinæ revelationis simplicem credulitatem explodunt; æternas illis a Deo pœnas imminere demonstra, nisi post certa satis locutionis ipsius testimonia refractarium iudicium demum ipsius auctoritati submittant. Si reipublicæ non modo felicitatem, sed salutem, salvam velis, Deum in altera secutura vita boni & mali, quod in isthac præsente utcunque occulte & sine pœna & prœmio patratur, exactum vindicem ostendas necesse est. Certe alia quæcunque agendo utcunque magnum videaris egisse, actum reipsa ages.

§. 680.

Actio, vel omissio, ad quam obligamur, *officium* dicitur, illa quidem *positivum officium*, hæc *negativum*. Utrumque hoc *officium debitum* dicitur, si ad id obligemur obligatione perfecta; *officium indebitum & solummodo decens*, si imperfecte tantum ad idem obligemur. Id, ad quod omittendum perfecte obligamur, *illicitum*, ad quod vero omittendum non perfecte obligamur, *licitum* appellatur. *Inhonestum* est, quod officio debito adversatur; *non inhonestum*, quod eidem non adversatur; *honestum* denique id solummodo dicitur, quod alicui officio, debito, vel indebito, positive conforme est.

* *Quod licitum est, non inhonestum quidem, sed nondum propterea positive honestum est.* 2. *Officia mere negativa non implere inhonestum, implere vero nondum est honeste agere, sed solummodo non agere inhoneste.* Profecto nemo dicitur honeste agere, quod neminem occidat.

** Quod

** Quod officium debitum dixi, aliqui vocant etiam *officium perfectum*, & quod dixi indebitum, appellant *imperfectum*; quas nomenclationes reiicere nolim. Interim officii indebiti impletio potius ad perfectionem actionum pertinet, quam officii debiti executio, & perfectius agit, qui præter debita etiam indebita exequitur.

§. 681.

Deus, ficut nec obligari poteſt, ita nec officii alicuius erga creaturas ſuas, ſeu debiti, ſeu indebiti, capax eſt. Deus enim prorſus omnimodis ab alio quocunque independens eſt (§. 74. III.), adeoque ſicut nulla in Deum actio poſſibilis eſt, ita nec ius in ipſum agendi, aut obligandi eundem, locum habere poteſt, neque ulla neceſſitas quidquam extra ſe agendi eidem aliunde quam a ſola ſua eſſentiali infinita perfectione advenire poteſt.

* Unde neceſſitas illa hypothetica, qua Deus in hypotheſi conceſſæ nobis libere ab ipſo libertatis obligatione neceſſaria & naturali nos obligat ad vitanda mala moralia Theologice formaliter talia (§. 668.), ceu ex ipſa ſapientiæ, ſanctitatis, bonitatisque divinæ eſſentiali perfectione orta, obligatio reſpectu Dei vocari, ac Deus obligari ad nos obligandos dici, nequaquam poteſt. Pariter Deus gubernando mundum hunc conformiter ſapientiæ ſuæ conſiliis, & commune bonum noſtrum in omnibus promovendo, imo & remunerando præmiis, aut puniendo, bene aut male acta noſtra, non ex quodam officio, multoque minus ex debito quodam, erga nos agit, ſed unice perfectionibus ſuis infinitis convenienter. Unde nec proprie Dei actiones honeſtæ, aut licitæ, ſed ſanctæ ſolum, ſapientes, beneficæ, & iuſtæ, Deumque decentes, dici poſſunt. Unde *decentia ab honeſtate adhuc dum nota aliqua differt*: eo quod honeſtas adhuc *officium*, adeoque obligationem ſaltem imperfectam, aliunde impoſitam, importet; decentia vero unice ab intrinſeco naſcatur (§. 180.).

§. 682.

§. 682.

Officium generale, cetera omnia complectens, ad quod a Deo perfecte obligamur, est, ut ad finem ultimum creationis, nimirum ad Dei summam gloriam, ex communi omnium creaturarum rationalium beatitudine resultantem, ac bono libertatis nostræ usu procurandam, eo studio connitamur, ut finem eundem, ceu usus omnis libertatis nostræ regulam, bonis omnibus cum eo absolute pugnantibus præferamus. Ad hunc enim finem ultimum reipsa ita conditi sumus a Deo (§§. 107. 108. 373. 550. VII.), ut Deus simul unice istius finis ultimi obtinendi caussa nos perfecta obligatione obliget ad omne malum morale Theologice formaliter tale vitandum (§. 668.), & ad agendum omne bonum morale Theologice formaliter tale, cuius omissio contemtum Dei importet; eo quod nimirum, ceu infinite sapiens, finem illum mediis moraliter sufficientibus non urgere non possit (§§. 538. 197. 198. 203. seqq. 538.), nec nisi is ipse bonus usus libertatis, qui in fuga malorum & bonorum eorundem exercitio consistit (§§. 161. 163.), medium proximum (§. 185.) idemque unice positive aptum (§. 408.) ad finem illum ultimum sit. Cum ergo ad medii istius usum (quatenus tam cum nostra, quam cum aliarum creaturarum rationalium beatitudine, & inprimis cum ipsius Dei gloria ex utriusque summo possibili gradu resultante, is coniunctus est) Deus nos solius finis istius caussa perfecte obliget, reipsa ad ipsum finem istum omni studio consectandum nos universe obligat, ita, ut generalis ista obligatio aliud non sit quam complexus omnium obligationum circa medium. i. e. circa bonum usum libertatis, in libere vitandis omnibus, utcunque bona appareant, quæ cum illo fine pugnant, & libere agendis omnibus, utcunque appareant mala & difficilia, si eorum omissio eidem fini adversetur;

seu

ſeu quod idem eſt, ut eundem finem in uſu libertatis noſtræ, ceu iſtius regulam (§. 304. Ont.), ceteris bonis omnibus cum eo abſolute pugnantibus præferamus.

§. 683.

I. *Omnis ergo obligatio, nobis a Deo pro iure ſummi dominii in libertatem noſtram impoſita, unice ad ſummam tum hominum ſingulorum, tum totius generis humani felicitatem, ceu ad finem ultimum tendit, nec Deus dominio ſuo in res creatas quascunque aliter niſi ad eundem finem utitur* (§§. 94. ſeqq.), *nec vero aliter uti poteſt* (§. 636. ſeqq.).

II. *Deus dominus eſt ſumme bonus*: i. e. dominio ſuo non utitur niſi ad ſingulorum iuxta atque univerſorum ſummam felicitatem promovendam (§. 548.).

§. 684.

Officium cuiusque hominis generale, de quo §. 682. *ad hoc triplex amoris officium reipſa reducitur, videlicet, ut omni ſtudio connitamur* 1. *Deum perfecte cognoſcere, & in eo velut bono infinite pulchro nobis amore complacentiæ ſuper omnia complacere;* 2. *ut hanc Dei cognitionem & ſummam in eo complacentiam ceu ſummum bonum noſtrum tum ſinguli primo nobis ipſis amore concupiſcentiæ;* 3. *tum deinde etiam aliis creaturis rationalibus ſincere amore benevolentiæ, præ aliis bonis omnibus velimus, & procuremus.* Obligat enim illud generale officium ad hoc, ut ad beatitudinem ſummam, tum noſtram, tum aliarum omnium creaturarum rationalium, ceu cum ſumma Dei pſius gloria connexam, ſummo ſtudio præ aliis omnibus connitamur (§. cit.). Atqui beati eſſe non poſſumus niſi per conſtantem, inimpeditum, & maxime diſtinctum Dei ceu boni infiniti, ac proin, ſi diſtincte cognoſcatur, ſumme pulchri (§. 240. Pſych.) intuitum (ſeu cognitionem) &, qui ex hoc ſequitur, ſummum complacentiæ

amorem

amorem (§. 103.). Igitur hoc ipso generali illo officio obligamur ad hunc Dei intuitum distinctum, & amorem complacentiae, omni studio consectandum, tum quatenus cum Dei gloria coniunctus est, tum quatenus nostram ipsorum beatitudinem inchoat, promovet, ac demum absolvit; tum vero etiam ad eundem, ceu communem beatitudinem aliis exoptandum, ac pro virili procurandum; seu quod idem est, ad eundem nobis volendum summo amore concupiscentiae prae cunctis aliis bonis (§. 255. Psych.), & aliis quoque sincero benevolentiae amore (loc. cit.).

§. III. *De indole & existentia legum divinarum naturalium, & notionibus huc pertinentibus.*

§. 685.

Consilium dare dicitur, qui significat, quid ipse pro certo iudicet, quod alterum deceat velle facere, vel non deceat (§. 450.). *Invitare* seu *provocare ad aliquid faciendum* (*vel omittendum*) is dicitur, qui alteri significat, quid ipse ab eo fieri (vel omitti) velit, simulque voluntatis suae propositum declarat (§. cit.), quo decernat ob talem actionem (vel omissionem) factam iuxta votum suum bonum quoddam physicum in eum conferre, cuius conferendi potestas ipsi competere alioquin noscitur. *Iubere* est significare alteri suam voluntatem, qua quid ab eo fieri (vel omitti) velimus, simulque voluntatis nostrae propositum declarare, quo decreverimus ob talem actionem (vel omissionem) iuxta nostrum votum non factam malum quoddam physicum refractario pro certa potestate inferre.

* Qui consilium dat alteri, indifferenti esse voluntate potest ad actionem ipsam, quam consulit, ita, ut perinde ipsi sit, seu illa conformiter suo consilio sequatur, seu

non

non sequatur. Quodsi vero etiam rationes sui consilii proponat, queis istius veritatem persuadere allaboret, necdum tamen ipse provocat ad agendum, sed solum, quibus aliunde stimulis alter provocetur ad actionem (vel eius omissionem), eundem edocet. At si ipse ex sua parte novos ei agendi stimulos admoveat, tum profecto proprie ipsum provocasse ad agendum dicitur &c.

§. 686.

I. *Qui iure iubendi gaudet, iussu suo perfecte obligat eum, quem quid facere (vel omittere) iubet.* Iussus enim, si ius simul iubendi adsit, natura sua omnia continet, quæ in obligante supponuntur (§. 664. VII.), & ob ius iubendi, ac proin etiam obligandi, malum physicum, quod intentat, pœnæ rationem obtinet (§. 644.), siquidem actio iubentis voluntati non conformata tunc recta moraliter esse non potest (§§. 659. II. 609.). Itaque nihil deest, quod ad perfectam obligationem requiritur (§. 667.).

§. 687.

II. *Vicissim qui perfecte obligandi iure gaudet, etiam iure iubere potest.* Patet ex utriusque definitione §§. 685. 667.

III. *Ad iure iubendum in iubente eadem, quæ in obligante supponuntur* (§§. 685. præc. & 664. VII.).

IV. *Iussus eius, qui iure caret iubendi, vel obligandi, non obligat.* Obligatio enim non est nisi actio ius habentis ad id agendum (§. 657.).

§. 688.

Quatenus quis iure gaudet perfecte obligandi alium, eatenus *superior* istius respectu, & iste respectu ipsius *inferior*, vel *subditus*, appellatur.

§. 689.

Lex moralis est regula generalis agendi moraliter superioris iussu inferioribus pluribus communiter constituta: seu quod idem est: est regula ge-

neralis agendi moraliter, cui ſe conformare plures communiter perfecte obligantur. Ex adverſo regula agendi moraliter ſuperioris iuſſu uni inferiori in particulari conſtituta, ſeu unum ſingillatim obligans, *præceptum* dicitur. *Lex affirmativa* eſt, ſiquid iubet agere, *negativa*, ſi omittere quid iubet. Vulgo etiam prior *lex præcipiens*, altera *lex prohibens* appellari ſolet.

* Complures defectus Wolfianarum definitionum circa *legem* (Phil. Pract. Wolf. P. I. 131.) & *præceptum* (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 984.) hic adnotandi veniunt. Inprimis *legem naturæ* inanimis Ill. Wolfius a *lege morali* non diſtinguit. *Legem* quidem loc. cit. in genere definit eſſe *regulam*, *iuxta quam actiones noſtras determinare obligamur; obligari* autem iuxta ipſum eſt neceſſitate teneri ſic, ut ſalva rectitudine actionis aliter agere non poſſimus (§. 657. not.): *rectitudinem* denique aliam quam phyſicam Wolfius non agnoſcit (§. 468.). Vide Wolf. Theol. Nat. P. I. §§. 950. 951. & nota, libertatem Wolfianam importare veram phyſicam neceſſitatem. *Deinde* reiicit priorem definitionem noſtram (Phil. Pract. P. §. 984. not.); etſi reipſa cum altera, quam verbo tenus admittit nobiſcum, prorſus conſentiat. At nempe obligationem ipſe definiri poſſe putat, quin de obligante eiusque iure mentio fiat: quem errorem iam ſupra §. 657. not. refutavimus, exinde profectum, quod Illuſtris ille ſcriptor obligationem naturalem, quæ ipſius naturæ inanimis effectus ſit, & Jus Naturæ ab obligationibus conſcientiæ, ut vocant immune, atque etiam Atheis accommodatum, plus nimio deperierit. Vide dicta §§. 670. not. 671. *Tertio* a recepto uſu vocis *præceptum* ſine ulla ſufficiente ratione recedit, quod ſemper pro regula particulari, unum aliquem privatim obligante, habebatur, eoque ſolo nomine a lege diſtinguebatur. *Quarto* iuſſum eius, qui alterum obligandi ius habet, *præceptum* dicit (Wolf. Theol. Nat. P. I. §. 984.); quod idem eſt, ac promulgationem legis vel præcepti cum lege vel præcepto

pto ipso confundere: cum & ipse nobiscum iussum definiat esse significationem voluntatis &c.

** Dixi itaque in definitione 1. *lex moralis* &c. ut leges meras naturæ, §. 293. Cosmol. definitas, & per quas effectus naturales determinantur necessitate physica, a legibus morum discernerem, quibus actus liberi hominum reguntur. Dixi 2. hanc legem moralem esse *regulam agendi*, i. e. practicam, quæ videlicet non meram bonitatem aut malitiam moralem Theologicam obiectivam actionis, vel omissionis (de qua §. 172. n. 3.), quod regulæ mere speculativæ proprium est (§. 302. Ont.), sed simul necessitatem agendi, vel non agendi, iure impositam enuntiet, e. g. dicendo, ne agas hoc, vel, hoc age; seu quod idem est: *hoc agas volo; hoc a te fieri nolo.* Dixi 3. legem moralem esse regulam agendi *superioris iussu constitutam*, firmatam, seu præscriptam, i. e. vim perfectæ obligationis habentem: siquidem, utrumvis dicas, perinde est; cum superiorem iubere idem sit ac obligationem activam perfectam regulæ agendi applicari, seu apponi; uti ex dictis §§. 686. seq. perspicuum est. Dixi denique 4. Legem esse regulam agendi *generalem ac pluribus communem*; qua nota lex a præcepto discrepat.

§. 690.

I. *In constitutione legis plures actus ex parte superioris interveniunt, nimirum* ex parte intellectus 1. *iudicium distinctum de rectitudine morali seu bonitate, vel malitia morali, actionis (vel omissionis) a subdito ponendæ*, 2. *consilium* (§. 450.) *quod deceat superiorem velle eam a subdito poni, vel non poni, ac proinde eandem mediis sufficientibus, id est, pœnis congruis statutis promovere, aut impedire, ac proin has statuere, & voluntatem hanc suam subdito significare:* ex parte voluntatis vero 1. *voluntas efficax qua actu velit, actionem a subdito fieri, vel omitti*, 2. *voluntatis efficax decretum, quo pœnas decernat refractario*, 3. *voluntas efficax utramque priorem voluntatem significandi subdito.* 4. *actualis iussus,*

sus, seu significatio duplicis prioris suæ voluntatis (§. 685.). Sine dictis enim actibus intellectus ius obligandi non datur; nec obligatio activa sine dictis actibus voluntatis in superiore (§§.609. 657. 664.).

§. 691.

II. *In inferiore vicissim ad constitutionem legis requiritur* 1. *certa cognitio iuris iubendi & perfecte obligandi, competentis superiori*, 2. *cognitio certa actualis efficacis voluntatis eiusdem, tum qua velit hoc a se fieri, vel omitti*, 3. *tum qua decreverit refractario pœnas certo infligendas*. Sine his enim obligatio passiva in inferiore non completur. Vide §§. 657. 664.

§. 692.

Lex moralis obiective talis dicitur, prout existit in superiore, & absolvitur actibus §. 690. recensitis. *Lex moralis subiective* talis vocatur, prout existit in subdito, & continetur actibus §. præc. enumeratis.

* Inanis disputatio videtur esse, utrum omnes actus §§. 690. 691. recensiti ad essentiam legis obiective & subiective talis pertineant. Certe sine ipsis, & vel uno eorum deficiente, ratio legis non habetur. Pone enim deesse actum primum *iudicii* in superiore (§. 690. n. 1.): ergo nec secundus, sive consilium practicum, ac proin nec ius, i. e. facultas salva rectitudine iubendi locum habebit; hoc ipso, quod iussio inconsulta necessario rectitudine destituatur. Pone deesse actum ultimum, seu actualem iussum, ergo nec voluntas de actione a subdito ponenda erit seria & efficax. Nihilominus, quoniam, si hæc voluntas n. 3. & 4. recensita (§. 690.) in superiore sit vere efficax, per eam iussus ipse activus ceu per rationem sufficientem a priori determinatur; idcirco iussus ipse, quatenus est mera *significatio activa* simul & effectus illius voluntatis, non legis obiectivæ essentiam constituere, sed solum essentiale attributum esse dici potest.

§. 693.

§. 693.

I. *Lex subiective talis est effectus necessarius legis obiective talis.*

II. *Lex obiective talis respondet obligationi activæ plurium in communi, & lex subiective talis respondet obligationi plurium passivæ* (§§. præc. 664. 660.).

§. 694.

III. *Unde omnis legis obiective talis effectus est obligatio passiva subditorum plurium in communi,*

§. 695.

Decretum efficax voluntatis, quo superior decernit pœnas subdito adversus suam voluntatem refractario, quoque decernit hanc ipsam voluntatem huic significare, vocatur *sanctio legis*. *Promulgatio legis activa* est iussus superioris actualis, quo voluntatem suam inferiori significat, qua velit actionem ab eo poni (vel omitti), quaque refractario decernat pœnam. Notitiam ipsam in inferiore ex iussu ortam *promulgationem passivam* appello.

* Secundum dicta §. 692. in nota versus finem sequitur 1. *promulgationem activam legis obiective talis attributum esse; sine quo tamen nec essentia legis dari, nec eadem a subdito cognosci possit:* 2. *legem subiectivam iuxta ac promulgationem passivam ab obiectiva mediante promulgatione activa effici.*

§. 696.

Lex moralis necessaria dicitur, quæ a tali superiore in tales subditos non ferri non potest, *lex contingens, seu positiva*, quæ a tali superiore in tales subditos ferri, & non ferri, potest. Unde *prior obligationi necessariæ, ista contingenti respondet* (§. 677.).

§. 697.

Lex moralis affirmativa vocatur, qua agere iubemur, *negativa* econtra, qua actionem iubemur omittere. Illa *præcipiens*, hæc *prohibens* appellatur.

§. 698.

Deus leges morales affirmativas, & negativas: easque necessarias pro omnibus hominibus in hac vita sancivit, queis & bonum morale Theologicum formale, quod sine ipsius contemtu omitti non potest, nobis præcepit, & malum omne morale Theologicum formale prohibuit. Obligavit enim omnes homines in hac vita obligatione perfecta ad illud bonum agendum, & ad omittendum illud malum (§§. 668.), adeoque ex parte ipsius Dei, qui ceu iure nos obligandi gaudens (§. 673.) superior omnium nostrum est (§. 688.), dantur omnes actus, tum intellectus, tum voluntatis, qui ad legem moralem obiective talem requiruntur (§§. 690. 692.), ideoque obligationi divinæ omnibus hominibus communiter impositæ respondet lex divina obiective talis, cuius lex subjective talis est necessarius effectus (§. 693. I. II.). Dantur ergo leges morales divinæ, queis iubemur bonum prædictum morale agere, adeoque præcipientes, & queis iubemur malum illud præfatum omittere, hoc est, prohibentes (§. præc.). Demum, cum obligatio illa perfecta utraque, scilicet tam ad bonum agendum, quam ad omittendum malum, necessaria sit (§. 678.), hoc est, talis, ut a Deo homini libero semel in præsente statu creato, i. e. a tali superiore tali inferiori, non imponi non possit (§. 677.), obligationi autem necessariæ necessaria lex respondeat (§. 696.); patet, leges illas utrasque necessarias esse. Itaque Deus sancivit leges morales necessarias, affirmativas & negativas &c.

§. 699.

Leges Dei, cum actu obligant, iis, quos actu obligant, ignotæ esse non possunt. Est enim promulgatio legis divinæ obiective talis, & secundum omnes actus, quos ista involvit (§. 692.), perfecte com-

completæ, attributum eſſentiale; quo deficiente etiam de ipſa legis eſſentia quidquam deeſſe oportet (§. 695. not.). Exiſtente ergo aliqua lege Dei, id eſt, actu obligante (§. 693. I. II.), eadem iis, quos actu obligat, ignota eſſe non poteſt.

§. 700.

Quisquis malitiam obiectivam Theologicam actionis (vel omiſſionis) in præſens committendæ certo cognoſcit; is eodem tempore legem Dei neceſſariam, qua illa præcipitur, vel prohibetur, ignorare non poteſt. In hypotheſi enim cognitionis prædicta actioni comiſſæ (vel eius omiſſioni) malitia Theologica formalis hoc ipſo ineſſet (§. 172. Nro. 4.); quam proin Deus lege neceſſaria tunc actu prohibere, vel præcipere, prorſus tenetur (§. 698.). Lex ergo Dei prohibens, vel præcipiens, actionem in dicta hypotheſi neceſſario exiſtit: ergo nec ignorari ab eo poteſt, qui malitiam obiectivam Theologicam actionis (vel omiſſionis) certo cognoſcit; quippe quem ipſum lex illa tunc actu obligat (§. præc.).

* Experientia ſenſus communis naturæ theſin iſtam abunde confirmat. Quisquis enim notitia Dei exiſtentis eiusque perfectionum præcipuarum, ſapientiæ nimirum, ſanctitatis, bonitatis, atque iuſtitiæ, ſaltem confuſa, & ope ſolius ſenſus communis naturæ, præditus eſt; quamprimum certo cognoſcit, actionem quamdam (vel omiſſionem) cum Dei perfectione aliqua graviter pugnare, proindeque Deo magnopere diſplicere, nec ſine illius contemtu a ſe poni non poſſe; i. e. quamprimum quis malitiam actionis Theologicam certo compertam habet; is vel ſolo communi naturæ ſenſu mox convincitur, quod prudenter dubitari non poſſit, quin Deus actionem talem (vel omiſſionem) ſub pœnis graviſſimis ſaltem in vita altera luendis prohibeat; imo tales, qui in id genus malis actionibus ſine pœnitentia ad huius præſentis vitæ finem

usque perseverent, a Deo ad beatitudinis æternæ fruitionem admitti nequaquam posse. Quo in sensu confuso naturæ omnibus communi rationes illæ omnes obscura luce delitescunt reipsa; ex quibus nos legis divinæ existentiam, una cum prœmiis & pœnis alterius vitæ æternis, huc usque fuse, distincte, & sufficienter comprobavimus.

§. 701.

Deus leges suas necessarias (698.) *promulgat, cum post concessam certam malitiæ Theologicæ actionum (vel omissionum) notitiam per ipsum lumen rationis, seu distinctum (e.g. ope demonstrationum, quales huc usque traditæ in hoc opere sunt) seu confusum (i.e. per solum communem naturæ sensum* §. 282. Log. & seqq. *explicatum), cum sufficiente certitudine de voluntatis suæ obligantis, seu legis suæ, existentia* (§. 693. II.) *nos convincit.* Patet ex definitione promulgationis §. 695. data, & ex §. 444.

§. 702.

Deus ad omne bonum morale Theologicum nos invitat, & provocat, cum per ipsum lumen naturæ notitiam suæ voluntatis certam, seu distinctam, seu confusam, largitur, se bono usui libertatis æternam beatitudinem in præmium constituisse (§§. 182. 193. 444.)

§. 703.

Lex moralis naturalis dicitur, si per ipsum lumen naturæ, i. e. seu per communem sensum naturæ, seu per rationem naturalem distinctam, nobis innotescat. Unde *leges Dei necessariæ etiam leges naturales sunt* per §. 701. §. 704.

§. 704.

Auctor legis ferendæ est, qui consilium (§. 690. Nro. 2.) superiori suggerit, quod deceat actionem (vel omissionem) ab inferiore faciendam lege sancire. *Legislator* est superior, qui legem sanctione con-

constituit (§. 695.). *Legislator supremus* dicitur, qui nulli ipse superiori subest (§. 688.).

§. 705.

Deus est legislator supremus simul & auctor legum necessariarum seu naturalium (§. 703.), *pro omnibus hominibus sancitarum* (§. 698.). Deus enim, ceu infinite sapiens per essentiam (§. 537.) nihilque nisi ex sapientiæ suæ consilio decernens (§. 542.), insuper vero pleno in omnem creatam libertatem dominio absoluto, iureque privativo pollens (§§. 625. 642.); haud dubie & legis ferendæ consilium non nisi a sua ipsius sapientia cepit, & ceu superior independens leges necessarias, seu naturales, reipsa sancivit (§§. 698. 696.); proindeque & auctor, & legislator earundem supremus est (§. præc.).

§. 706.

Leges omnes rationes sufficientes habere debent, cur ferri eas deceat. Requiritur enim in legislatore, seu superiore (§. 704.), ut ex iure, i. e. qua superior, agat (§. 688.), adeoque consilio prævio est opus, quod deceat sancire legem (§. 690. Nto. 2. 695.), id est, agendi regulam constituere (§. 689.), itemque opus est iudicio de ipsa rectitudine morali actionis (vel omissionis), quæ lege præcipienda, vel prohibenda est (§. 690. Nro. 1.). Porro consilium iuxta atque iudicium illud non est nisi intuitus distinctus, i. e. rationum sufficientium, cur quid deceat agere (§. 450.), vel non agere. Ergo leges omnes &c.

§. 707.

Leges divinæ sunt infinite sapientes. Sunt enim a Deo constitutæ non nisi ex rationibus sufficientibus, i. e. consiliis (§. præc.), ab ipsa sua infinita sapientia sibi suggestis (§. 542.).

§. 708.

Rationes sufficientes legum divinarum omnes a fine creationis ultimo, & ab aptitudine actionum nostrarum liberarum varia ad eum finem, repetuntur. Leges enim divinæ omnes sunt regulæ agendi moraliter, id est, libere; quibus conformare actiones liberas a Deo obligamur (§. 689.). Porro omnis obligatio nobis a Deo imposita unice ad finem creationis ultimum, ipsam nempe tum singulorum hominum, tum totius generis humani beatitudinem bono usu libertatis, quanta maxima possibilis est, obtinendam tendit (§§. 683. 550. VII.); quin Deus unquam alio fine uti dominio suo ad ferendam legem possit (§. cit.). Quoniam ergo finis omnes regulas circa usum mediorum, ex horum nimirum aptitudine ad eundem, determinat (§. 304. Ont.); actiones autem liberæ morales pro diversa sua bonitate aut malitia morali media aut impedimenta sunt ad finem prædictum ultimum (§§. 190. 208.); idcirco dubitari non potest, quin consilia, i. e. rationes sufficientes (§. 706. in demonstrat.), cur hæ vel illæ actiones lege præcipiendæ, aut vetandæ nobis sint, a fine creationis ultimo & varia nostrarum actionum liberarum ad illum aptitudine Dei sapientia repetierit; cuius proprium est media fini aptissima proponere (§. 535.).

§. 709.

Leges divinæ omnes sanctissimæ sunt. Sunt enim ab infinita sua ipsius sapientia Deo suggestæ, quæ non nisi, quod Deum perfecte deceat, consulere potest (§. 531.), i. e. quod summe rectum, proindeque sanctitati summæ conveniens sit (§§. 539. 468.).

§. 710.

Leges omnes divinæ optimæ sunt, seu ex bonitate infinita a Deo latæ. Omnes enim illarum rationes sufficien-

sufficientes a fine creationis ultimo repetuntur (§. 708.), quem optimum Dei nobis bonitas infinita constituit (§§. 548. 549.). Bonitas ergo, quæ constituendi istius finis ratio ultima Deo fuit, cum finis regulas ceteras determinet (§. 304. Ont.), etiam legum omnium ratio ultima eadem bonitas infinita in Deo fuit. Itaque omnes leges divinæ &c.

§. 711.

Leges divinæ omnes etiam sunt iustissimæ. Sunt enim infinite sapientes, sanctæ, & bonæ (§§. 707. 709. 710.); adeoque summa bonitas in eisdem cum summa sapientia componitur & temperatur, proindeque omnes hoc ipso iustissimæ sunt (§. 598.).

ARTICULUS IV.

DE MERITO AC DEMERITO CREATURÆ RATIONALIS.

§. 712.

Pretium rei, vel *actionis*, *physicum intrinsecum* est eius propria perfectio absoluta, vel respectiva, ut aliunde existens, ratione cuius videlicet hoc ipso apta est se cognoscenti afferre aut voluptatem (§. 204. Psych.) aut utilitatem (§. 156.), quæ aliunde ipsi iam in promtu seu potestate non est. *Pretium rei extrinsecum* est perfectio, vel usus, quam res, vel actio, aliunde existens, opinione hominum habere existimatur. Quod in rebus, & actionibus, pretium, in personis intellectualibus *personæ dignitas physica*, aut etiam *meritum personæ physicum*, appellatur.

* *Pretium rei*, vel *actionis*, *physicum* fundamentum est contractuum, quo rerum iura, aut etiam actiones ipsæ, permutantur. Cum enim rem existere in alterius potestate ac iure video, quæ vel ob suam perfectionem absolutam, seu solam pulcritudinem, magnam mihi pareret voluptatem, aut ob respectivam suam bonitatem mihi afferret magnam utilitatem, si in meam potestatem atque ius redigeretur;

facile

facile moveor ad alterius rei cuiusdam, quae actu ad me pertinet, & item mihi pretiosa est, ius permutandum cum iure illius. Sic emtione & venditione res pretiosae pecuniis permutantur; sic actiones utiles pro aliis nobis utilibus per alios praestandis in pactum deducimus; sic quoque pro solo usu rerum pretium, i. e. rem aliam nobis pretiosam, rependimus.

** Ex adverso *dignitas* seu *meritum physicum personarum* iustitiae distributivae fundamentum est, qua in republica honores & commoda, quae antecedenter in potestate totius communitatis, aut principis personam moralem illius repraesentantis, sunt, personis dignioribus pro gradu dignitatis distribuuntur; quatenus sic communitas pro utilitate & perfectione seu pulcritudine, quae ex administratione officiorum ab ipsis gesta in ipsam rempublicam redundatura est, eisdem officiorum honores & commoda distribuit.

*** Ceterum dixi in definitione, rem pretiosam non dici nisi eatenus, *quatenus aliunde existit* respectu eius, cui est in pretio. Siquidem qui ipse est caussa efficiens rei adaequata, respectu illius praecise res, existentiam non aliunde quam ab ipsomet habens, secundum se speciatim pretiosa esse non potest; eo quod, cum ipse omnes sui effectus perfectiones iam anticipato, ceu caussa adaequata, alioquin contineat (§.222. Ont.), tam voluptas, quam utilitas, quod res talis per se afferre potest, iam alioquin sit in plena ipsius potestate. Interim tamen propria nostra artefacta pretium suum respectu aliorum non amittunt, pro quo res alias pretiosas commutare iure possimus. Imo ipsum ius de istis disponendi, ceu precarium (§.629. II.) & hoc ipso aliunde acceptum (§.617.), aptumque ad aliarum rerum pretiosarum ius commutatione acquirendum, non potest nobis esse vel maxime pretiosum. Quamquam neque nobis hominibus usquam ratio caussae adaequatae respectu ullius rei creatae competit; quippe qui generandi quidem,

quidem, at non creandi quidquam, virtute potimur (§. 234. Ont.). Unde de solo Deo infra ostendere licebit, nullum ex mere naturalibus bonis physicis, qua tale, pretium quoddam respectu istius habere posse, eo quod nullum eorum aliunde quam a Deo ceu ratione adæquata ultima existat. Itaque datæ definitionis rem omnem prima quidem illa verba absolvunt, *rei perfectio ut aliunde existens;* cetera tamen vim istorum clarius exponunt: quod ipsum de sequente *meriti moralis* notione notandum venit.

§. 713.

Meritum morale est bonitas moralis actionum personæ liberæ (§. 172.); ratione cuius videlicet ista apta est ad ciendos in cognoscente affectus amoris complacentiæ & benevolentiæ efficacis erga ipsam, ceu illarum actionum auctorem liberum. *Demeritum*, seu *malum meritum morale*, est malitia moralis actionum; ratione cuius persona libera apta est ad ciendos in cognoscente affectus odii displicentiæ & malevolentiæ erga se ceu illius auctorem (l. cit. & §§. 242. 255. Psychol.).

* Ill. Wolfius, uti libertatem vere talem in homine sustulit, ita in definitione meriti, quam Phil. Pract. P. I. §. 785. tradit, meritum physicum & morale confundit, ut cetera eius definitionis errata taceam.

§. 714.

I. *Meritum morale qua tale per se pretio actionis physico intrinseco, & merito physico personæ agentis, nil nisi libertatem arbitrii in agendo superaddit* (§§. 712. & præc.).

§. 715.

II. *Nihilominus tota ratio meriti alicuius personæ simpliciter simul & pretium actionum eius physicum, & personæ agentis dignitatem, & agendi libertatem complectitur*, hoc ipso, quod vis motiva istorum omnium

nium in uno genere aptitudinis movendi ad ſimiles affectus erga perſonam bene meritam concipiendos conveniat (§§. 712. 713.).

III. *Unde tam perſonæ dignitas, quam pretium phyſicum actionum, augent gradum ſeu magnitudinem meriti ſimpliciter: ſicut viciſſim demeritum creſcit ex perſonæ offenſæ dignitate ac vilitate reſpectiva offendentis, & ex ipſa actionis malitia.*

§. 716.

IV. *Meritum morale qua tale præcipue augetur ex difficultate actionis liberæ moraliter bonæ; niſi hæc oriatur ex defectu habituali agentis intrinſeco, ex prævio quodam demerito proprio antehac contracto*, i. e. ex pravo habitu, libertatis frequentiore abuſu introducto. Difficultas enim actionis liberæ ex pluribus impedimentis actioni obſtantibus oritur, quæ agendo libere ſunt vincenda: ad quæ proin actio fortior, adeoque quaſi multiplicatæ actiones liberæ requiruntur, queis impedimenta ſingula ſeorſim removenda ſunt (§. 248. Ont.). Sic autem cum actionibus bonis literis rationes meriti moralis multiplicantur, atque augentur: *quod primum*, Quodſi tamen difficultas agendi ab intrinſeco ex demerito præterito oriatur, ad iſtud demeritum elidendum præciſe actionis fortitudo ſe impendit, ſubductisque rationibus non niſi ea ratio meriti moralis remanet, quæ actioni liberæ ſecundum ſe ſimpliciter, non autem, quæ difficultati eiusdem reſpondet: *quod alterum.*

§. 717.

V. *Meritum utrumque, phyſicum, & morale, ſecundum rationem movendi ſe habet inſtar cauſſæ moralis.* Illius enim aptitudo ad movendum in propria aliqua bonitate, & quidem ut exiſtente aliunde, conſiſtit, i. e. independenter ab iis affectibus, ceu effectibus

fectibus suis, ad quos movere aptum est: id quod caussæ morali proprium est (§. 265. Ont.).

§. 718.

Meritum condignum vocatur, quod mediante sui cognitione unde unde accepta per se sufficiens sit ad movendum alterum cum morali necessitate saltem imperfecta (§. 667.) ad affectus amoris benevolentiæ efficacis erga personam bene merentem in determinato efficaciæ gradu concipiendos. Sive: est meritum personæ alicuius per se ipsum sufficienter movens alterum ad bonum aliquod physicum determinatæ magnitudinis illi tribuendum (§. præc.).

§. 719.

Meritum congruum appellatur meritum se solo præcise non sufficienter movens ad tantum bonum bene merenti tribuendum, sed solum accedente spontanea liberalitate, aut promissione liberali, ipsius, de quo bene meremur.

* Dixi §. præc. in definitione meriti condigni (quod iuxta de congruo merito intelligendum) eius *cognitionem unde unde acceptam* movere debere. Ad rationem enim meriti perinde est, seu physice, seu logice, moveat. Deus nempe haud dubie actione physica ad scientiam meritorum nostrorum determinari non potest, sed logice solum (§. 350.): unde & logice solum moveri potest.

§. 720.

I. *Meritum de condigno æqualitatem quamdam inter suam & boni magnitudinem supponit, ad quod tribuendum bene merenti movere sufficiens est.* Habet enim meritum illud se instar caussæ moralis ad talis boni benevolam largitionem ceu suum effectum (§. 717. & §. 265. Ont.). Ergo quatenus hoc soli merito retribuitur ceu effectus istius, nulla alia caussa

caussa morali interveniente, æqualitatem cum isto habere debet (§. 225. IV. Ont.).

II. *Contra bonum merito congruo retributum comparate ad istud solum, maius est merito* (§. præc.).

* *Demeritum* cum proportione *condignum*, aut *congruum*, respectu odii, & malorum, ad quæ irroganda movet, distingui posse, ultro patet; tumque idem circa demeriti condigni æqualitatem cum malo statuendum erit, quod meretur.

§. 721.

Homo de homine bene mereri de condigno potest, & bene meritis hunc sibi imperfecte obligare. Experientia enim teste homo liberis & moraliter bonis actionibus insignia bona, iucunda, & utilia, alteri homini præstare, eiusque felicitatem physice promovere potest (§§. 84. 194.), adeoque & eidem imperfectam quamdam necessitatem moralem imponere (§§. 665. 667.) ad affectus amotis complacentiæ & benevolentiæ efficacis erga se, ceu felicitatis ipsius liberum auctorem, sic concipiendos, ut salva rectitudine nec tales affectus erga se alter intermittere omnino, nec minoris boni physici largitione benevolentiam suam minus efficaciter exercere, possit. Recte enim agere si velit alter (§. 468.), secundum leges naturæ mentis, i. e. convenienter bono essentiali eiusdem (§. 284. Cosmol.), affectu amoris complacentiæ, & secundum huius imperium, tendere in bene merentem debebit, non autem nullis affectibus, nec affectibus contrariis odii displicentiæ (§§. 234. 242. Psych.). Imo si perfecta rectitudine velit agere, bonum cognitum, i. e. personam bene de se meritam, affectu ipsius bonitati seu merito commensurato amplecti, adeoque bonum æquale, si possit, velle & retribuere oportebit, si id fit in ipsius potestate. Jam vero experientia interim sat notum est, posse hominem

minem homini æqualia mutuo obſequia ſeu bona phyſica libere præſtare. Atqui hoc totum eſt, quod notiones meriti de condigno, & obligationis imperfectæ, exprimunt (§§. 718. 667.). Itaque poteſt homo de homine de condigno mereri, iſtumque imperfecte obligare.

§. 722.

Homo Deum bene merendo proprie obligare non poteſt. Eſt enim Deus propriæ obligationis, iuxta ac actionis phyſice recipiendæ, incapax (§. 681.) propter independentiam ſuam abſolutam in omni genere perfectionis.

§. 723.

Gratia eſt benevolentia efficax alteri gratis exhibita, i. e. nullo exhibentis debito, nec recipientis merito ſaltem condigno (§§. 680. 718.). *Mera gratia* eſt, quæ nec ullo quidem recipientis merito congruo præcedente, ſed ſola dantis bonitate, ceu ex ratione ultima ſufficiente adæquata, exhibetur.

* Dixi, gratiam eſſe *benevolentiam efficacem*, qua voce ſcilicet & ipſe amor benevolus, qui prima gratia eſt, & effectus huius amoris, denotantur.

§. 724.

Creatio, & ordinatio creaturarum rationalium ad beatitudinem æternam, ceu finem ultimum, bono uſu libertatis acquirendum, mediorum ſufficientium ad iſtum finem conſequendum, ipſius libertatis, collatio, ſunt meræ gratiæ divinæ. Evidens enim eſt, ante divinæ bonitatis hæc omnia decernentis propoſitum (§. 450.) nullam ſcientiam viſionis abſolutam de merito quodam ſeu phyſico, ſeu morali, actu aliunde exiſtente ex parte creaturæ ullius rationalis (§§. 712. 713.), in Deo locum habuiſſe; quippe quorum exiſtentia in ipſo illo creandi & finem

 illum

illum constituendi proposito & Dei voluntate rationem ultimam sufficientem habet (§§. 284. 287. 386.). Ergo per §. praec. creatio &c. est mera Dei gratia.

§. 725.

Tota natura creata utcunque perfecta nullum prorsus pretium physicum respectu Dei habet; nec ulla persona creata, utut excellens perfectione, vi solius naturalis perfectionis suae a libero arbitrio non dependentis ullam dignitatem aut meritum physicum respectu Dei habere potest; sed potius omne tam rerum quam personarum pretium ac dignitas mere creata, naturalis, ac independens a libero arbitrio creato, quam illae habent respectu sui invicem, est mera gratia Dei. Nihil enim creatum, utut perfectione excellat non libera, respectu Dei existit aliunde, sed unice in ipsa Dei voluntate benevola rationem existendi ultimam sufficientem habet (§§. 89. 386.), ac proin nec voluptatis (§. 460.), nec utilitatis (§. 87.) ratio Deo esse potest, quae non aliunde ipsi Deo vi essentiae propriae, ceu omnium rerum naturalium caussae adaequatae, in promtu sit. Tametsi ergo res creatae rationalium creaturarum respectu experientia teste pretium physicum habeant, & ipsae rationales creaturae respectu sui invicem dignitate varia excellant; quatenus una alterius felicitatem promovere possunt: tamen istud omne rerum creatarum pretium mere physicum, ipsaque dignitas physica rationalium creaturarum quarumcunque, mera Dei gratia est (§. 723.), eaedemque respectu Dei nec pretium physicum, nec dignitatem ullam, habere possunt (§. 712.).

* Hoc principio distincte intellecto, notionibusque officii, debiti, & indebiti rite evolutis (§. 680.), cum evidentia refutantur erroneae opiniones illae; queis non nulli post Michaelem Baium docebant, humanae naturae digni-

dignitati cuicunque, vel appetitui innato, a Deo deberi vel exaltationem ad ftatum viribus naturæ altiorem, vel immunitatem a pravis affectibus concupifcentiæ prævenientis rationem, vel immortalitatem corporis &c. Sicut enim natura omnis creata, quatenus omnis moralis bonitatis expers adhuc fpectatur, nullum plane pretium phyficum refpectu ipfius Dei habet, nec habere poteft; ita nec ullius neceffitatis moralis, quidquam in ipfius bonum agendi, ratio motiva fufficiens Deo per fe effe, adeoque nec Deo obligationem ne imperfectam quidem, proindeque nullam *officii* rationem (§.681.), imponere, nec Deus illi quidquam etiam imperfecte folum proprie debere qua tali, poteft (§§.667. 680.), fed quidquid Deus bonorum in illam antecedenter, vel independenter ab omni merito morali, confert, id meræ gratiæ rationem habeat; etfi Deus citra ullum creaturæ meritum, feu phyficum, feu morale, in hypothefi, quod creare hunc mundum voluerit, neceffitate aliqua naturæ fuæ & ipfarum perfectionum fuarum; ceu a ratione unice fufficiente motiva, ad conferendum bonum aliquod in ipfam fuapte unius fponte moveatur. Profecto notio gratiæ, prout ab omnibus Theologis Catholicis afferitur, aliud non importat, quam quod fit donum feu bonum benevole in alterum collocatum & gratis omnino, i. e. nullo iftius iure, aut merito prævio; quin is quidquam Deo prius gratum fecerit, aut illius obtutui obtulerit, a quo Deus ad largiendum tale quid viciffim moveatur; item nullo ex Dei officio, feu debito, feu indebito (§§.680. 681.). Nullus autem dixerit, idcirco præcife donum quoddam mere gratuitum a natura meræ gratiæ excludendum effe, quod Deus fola neceffitate infinitæ perfectionis & bonitatis fuæ ad idem largiendum in hypothefi aliqua, nullam ullius meriti rationem ex parte recipientis adhuc dum importante, fuapte fponte moveatur, & ex mera decentia, ab honeftatis etiam ratione adhuc multum diftincta (§.681. not.). Unde latum difcrimen eft inter id, quod Deum fpectata præcife perfectione

ſua infinita & ſumma rectitudine eſſentiali decernere & largiri deceat poſita præciſe hypotheſi decreti ſui liberi de hoc mundo creatione producendo, & inter *officium* vel *debitum*, vel *decens ſaltem;* ſiquidem iſtud utrumque obligationem, perfectam, vel imperfectam, i. e. neceſſitatem ſaltem moralem qualemcunque Deo ab ipſa creatura impoſitam (quod impoſſibile eſt) importat (§. 680.). Unde tametſi Deum media ſaltem naturalia ad finem ultimum abſolute ſufficientia largiri hominibus in dicta hypotheſi vi ſolius ſapientiæ, ſanctitatis, & bonitatis ſuæ ita deceat, ut non poſſit ea non largiri ſaltem iis, quos bene illis reipſa uſuros prævidet; atque adeo his eadem neceſſario largiatur: nemo tamen negaverit, ea media veras eſſe meraſque gratias, naturales videlicet; eo quod videlicet nullo creaturarum iure aut merito prævio præciſe gratis conferantur. A fortiori autem & per eminentiam meræ gratiæ erunt media ſupernaturalia ad finem ultimum ſupernaturalem ordinata; tametſi nec iſta Deus in hypotheſi liberi decreti ſui, quo ad talem finem homines actu ordinavit, quatenus ſunt abſolute neceſſaria, denegare omnino poſſit. Nimirum, ut Leſſius noſter de Divin. Perfect. Lib. XIII. c. 1. Nro. 2. citans S. Thomam 1. p. q. 21. a. 1. probe notat, Deus multa ſibi & ſapientiæ ſuæ *debet*; ex quo *debito* cum agit, neceſſitate quadam naturæ ſuæ agit, at minime, quod aliquid creaturis ſuis debeat.

§. 726.

Suppoſito tamen ſemel creationis & ipſius libertatis proximæ nobis a Deo collatæ beneficio mere gratuito (§. 724.), *bono uſu libertatis in hac vita vere moraliter meremur a Deo præmium quoddam.* Cum enim ratio ultima actus liberi ſaltem partialis inſit ipſi noſtro arbitrio libero; inprimis bonitas moralis Theologica, quæ bono uſui libertatis ineſt, ſi cum reflexione ad legem Dei fiat (§. 171. Nro. 3. & 4.), ex parte ſaltem aliunde exiſtens eſt etiam reſpectu

ipſius

ipsius Dei. Tum vero eadem bonitas moralis, ceu amorem complacentiæ Dei eximium & honorem practicum importans (§§. 171. 173.), apta est ut cognita per scientiam mediam directam etiam Deum movere saltem ceu ratio motiva partialis ad amorem complacentiæ ex ipsa concipiendum, qualis aliunde Deo in promtu non est; siquidem futuritio conditionata talium actuum ratio possibilitatis logica & mere obiectiva saltem est respectu scientiæ mediæ directæ (§. 347. seqq.), quæ illos repræsentando, ceu ab auctore ipso homine saltem ex parte profectos, & quidem (quatenus scientiam simul visionis absolutam actuum liberorum creatorum una constituit §. 302. seqq.) ut actu existentes, Deo voluptatem affert, cuius rationem in sola sua essentia adæquate non continet, & ab ea separabilem absolute. Itaque bono usui libertatis nostræ præsertim Theologico in dicta hypothesi tota ratio meriti moralis revera inest. (§. 713.).

* Non est, quod his *opponas* ex dictis §. 459. seq., videlicet Dei voluptatem, qua beatitudo ipsius absolute summa constituitur, non modo immutabilem, sed invariabilem quoque sic esse, ut, quidquid ei scientia media directa ex parte actuum nostrorum liberorum bonitatis, vel malitiæ, moralis repræsentet, nihil tamen exinde voluptas essentialis divinæ beatitudinis variari queat. *Neque enim* ex eo, quod Dei voluptas essentialis & beatitudo ipsa absolute summa ex scientia media non crescat, ceu quæ mere contingens & variabilis reipsa est, sequitur, eam in Deo omnino non dari, aut eam non esse modo voluptatis, modo tædii, i. e. modo boni, modo mali, intuitum, simulque revera motivum partiale in Deo conficere ad alios actus contingentes divinæ ipsius voluntatis & decreta concipienda. Vide dicta §. 460. II. III. & §. 458.

** Dixi autem, nos *aliquod præmium* mereri, naturale videlicet, non autem utique ſupernaturale, niſi gratia ſanctificante prævie iam ex Dei doni fuerimus exornati.

§. 727.

Nullis tamen actibus noſtris liberis moraliter bonis mere naturalibus ineſt meritum condignum reſpectu beatitudinis æternæ nobis propter illa a Deo in præmium retribuendæ. Etenim ipſis perſonis agentibus in dicta hypotheſi ſtatus mere naturalis nulla reſpectu Dei prorſus ineſt dignitas phyſica (§. 725.); ac proin bonitas moralis actuum talium liberorum præciſe ex pretio phyſico & libertate ipſarum actionum, ceu eatenus aliunde exiſtentium, metienda eſt (§. 715. II. III.). Iam vero tota iſta ratio meriti exigua per ſe eſt reſpectu Dei ſibi abſolute ſufficientiſſimi & ſumme beati (§§. 86. 459. 460. I.), nec proportionem ullam æqualitatis habere poteſt per ſe ipſam cum bono maximo iuxta, & æterno beatitudinis, ceu felicitatis completæ (§. 84.), quod ſaltem ratione durationis immenſum eſt. Itaque ratio meriti condigni, ceu æqualitatem prædictam in ſuo conceptu importans (§. 720. I.), actibus noſtris liberis mere naturalibus utcunque moraliter bonis reſpectu æternæ beatitudinis pro illis a Deo nobis prœmii inſtar retribuendæ (§. 656.). non ineſt.

* Theſis iſta de ſolis noſtris actionibus liberis mere naturalibus enuntiat. Nam illa quæſtio, *an iuſti & amici Dei per gratiam ſanctificantem mereantur de condigno vitam æternam, i. e. beatitudinem ſupernaturalem, per ea opera, quæ cum concurſu gratiæ ſibi a Jeſu Chriſto Dei Filio promeritæ operantur*, pluribus nominibus a theſi præſente differt, ac tota ad Chriſtianam altioremque Theologiam pertinet. Meritum quoque Dei Filii & perſonis noſtris appli-

applicatum, & actionibus liberis, gratia ipsius auxiliante susceptis, singulare pretium & dignitatem utrisque tribuit.

§. 728.

I. *Ex sola bonitate sua respectiva naturali infinita* (§. 549.), *& innata benevolentia* (§§. 369. II. 372.), *Deus ad beatitudinem æternam qua talem præmii loco actionibus nostris moraliter bonis mere naturalibus statuendam sufficienter moveri potuit.* Meritum enim ipsis actionibus illis insitum non est per se solo sufficiens, nec condignum (§§. 726. 727.).

II. *Itaque etiam ex sola Deo essentiali bonitate respectiva infinita inferri, & secundum rationem naturalem demonstrari, æternitas beatitudinis & præmiorum alterius vitæ potest.*

* Et vero reipsa sensus communis naturæ, quem omnes de æternitate futuræ beatitudinis proborum in altera vita habemus, si probe reflectere animum ad hoc velimus, haud aliunde quam ex confusa bonitatis divinæ notione, natura sua infinitæ, proficiscitur. Cum enim nullum motivum Deo infinite natura sua benevolo suppetere usquam, aut suggeri a sapientia sua, possit, quo ab æternum durante beatitudine homini probo & Dei legibus constanter obsequenti largienda absterreri sanctitas ipsius possit: non potest non bonitas ipsius vim infinitæ benevolentiæ suæ omnino omnem in probum hominem effundere. Interim hoc ipsum probe notent illi, qui Dei bonitatem utut infinitam unice a se ipsa præcise, citra ullum absterrens motivum, quod secundum sapientiæ consilium sufficiens habeatur, mero arbitrio libero restringi posse existimant, solius forte dominii (imo despoticæ potius potestatis §. 638.) ostentandi caussa: notent hi sibi, inquam; nullo pacto ab ipsis porro ratione naturali ostendi posse præmiorum & beatitudinis alterius vitæ æternitatem; imo nec æternitatem suppliciorum. Quod ultimum tum ex eo patet, quod indecens per se videatur, Deum magis naturæ suæ necessi-

tate ferri ad improbos summa severitate castigandos, quam ad probos summa liberalitate remunerandos; tum vero etiam ex modo dicendis; cum ostensuri sumus, demeritum improborum, quo æternitatem suppliciorum vere promerentur, gradum suum maximum ab illius divinæ eximiæ benevolentiæ contemtu obtinere, qua Deus ipsis pro bonis actionibus liberis beatitudinem omnino æternum in prœmium retribuere liberalissime constituerit.

** At, *inquies*, si a sola sua bonitate Deus certa cum necessitate movetur ad æterna prœmia probis largienda, ab eadem quoque pari cum necessitate movebitur ad mundum, eundemque optimum omnium possibilium, creandum, ac proin liberum hac in parte arbitrium cum divina bonitate item componi non posset. *Aio* vero ego, sequelam hanc nullo iure inferri. Quodsi enim mundum optimum necessitate Deus creavit; hunc, quem actu creavit solum, optimum illum esse necesse erit. Atqui hic si optimus sit omnium possibilium, nullus profecto talis sibi possibilis cognitus a Deo est, ad quem creandum necessitate etiam infinita bonitas adigeretur. Siquidem hic præsens talis est, ac tot malis tantisque infectus, ut in istis motiva saltem æque absterrentia a creatione Deo omnia præscienti se obtulerint, quam impellentia in bonis, quibus idem mundus iste est ornatus. Contra quid, quæso, Deum absterrere potuerit, ne statuta semel huius mundi creatione, homini in libertate constituto, & isthac semper bene utenti, prœmii loco beatitudinem æternam proponeret? Aut quo motivo temporaneam potius constituere decebat? Imo edic, qua vel tenui ratione probabis, id genus decretum, bonitatis divinæ liberalitatem in probos restringens, non esse verissimum bonitatis in Deo defectum? An id ipsum æque ac decretum ei oppositum, æternitatemque prœmii constituens, perinde *perfectionem* in Deo *neutram*, vulgata apud scholasticos Theologos Christianos nomenclatione, appellabis? Enimvero realitatem istius nomenclationis,

ceu

ceu nominalis definitionis, equidem §. 246. demonstravi; sed ex eo prorsus, quod motivum merissimæ bonitatis respectivæ iuxta æquale Deo suppetat, tum ut velit hunc creare mundum, tum ut nolit. Nomenclationem ergo eandem si cum reali veritate tribuere decreto utrique velit adversarius aliquis, quo Deus velit, & quo nolit, æternitatem prœmii proborum constituere; ostendi ab ipso oportebit, æqualem bonitatem decreto utrique competituram, seu annuenti, seu abnuenti, prædictam prœmii æternitatem.

§. 729.

I. *Deus intrinsece & ob ipsam suam perfectionem infinitam absolutam & respectivam dignissimus est amore complacentiæ summo & maxime eximio, quo rebus universis ab ipso distinctis, & proin creaturis omnibus, præferatur* (§§. 171. 50. 57. 712.).

II. *Deus intrinsece dignissimus est amore benevolentiæ summo, quo gaudeamus de ipsius beatitudine absolute summa* (§§. 255. 256. Psycst. & §. 86.) *ob eandem suam infinitam perfectionem; etiamsi nondum a nobis consideretur ut in nos singillatim benevolus in actu secundo* (§. 712.). Amor enim complacentiæ eximius benevolentiæ amorem per se imperat.

§. 730.

III. *Deus nos creando, & ad beatitudinem æternam omnes voluntate antecedente seria* (§§. 373. 393.), *& mera ex gratia* (§. 724.) *ordinando, optime de nobis omnibus est meritus moraliter* (§. 713. 237. seqq.), *proindeque etiam hoc nomine meretur a nobis summum prorsus amorem tum complacentiæ, tum benevolentiæ, tum vero etiam concupiscentiæ; quo illum, ceu obiectum æternæ nostræ beatitudinis, ceu finis ultimi, præ bonis creatis omnibus desideremus, & cunctis præferamus* (§§. 255. 256. Psych. 103. 108.).

§. 731.

IV. *Deus tum natura ſua, tum ob gratuitam nobis exhibitam actu benevolentiam, infinite dignus eſt ſummo honore practico, directo, & indirecto, tam interno, quam externo, eoque maxime efficaci.* Tam enim perſona ipſius infinite digna eſt (§. 729. I.), quam benevolentia gratuita ipſius erga nos illimitata in ſe (§. 246.).

§. 732.

Summus gradus demeriti ineſt actionibus noſtris moraliter malis, quas committimus poſt præviam cognitionem non ſolum oppoſitionis earum cum bonitate ſeu perfectione Dei abſoluta, verum etiam oppoſitionis earundem cum Dei bonitate reſpectiva (§. 172. n. 3.), *qua nobis ſerio benevola voluntate vult beatitudinem æternam mediante bono uſu libertatis obtinendam, tum vero etiam legis divinæ præcipientis & prohibentis ſub pœna iacturæ eiusdem beatitudinis æternæ.* Stante enim cognitione prævia utriusque illius oppoſitionis, i. e. malitiæ Theologicæ, tam metaphyſicæ, quam phyſicæ (§. cit.) noſtrarum actionum moralium iſtæ poni nequeunt ſine contemtu ſaltem indirecto & practico bonitatis divinæ tam abſolutæ quam reſpectivæ; in quo contemtu malitia moralis præcipue conſiſtit (§§. 174. 175.): & quo maius eſt bonum, quod Deus nobis actu pro ſuo amore benevolentiæ vult, ceu finem ultimum, quove dignior ſummo honore Deus per ſe eſt (§. præc. IV.), eo maior eſt contemtus ille Dei, ac proin etiam eo maior moralis malitia, quæ in actione moraliter mala cum deliberatione iſta admiſſa committitur (§. 176. n. 3.); proindeque etiam tanto maius demeritum, quod a morali malitia reipſa non differt (§. 713.). Atqui maximum omnium bonum eſt, quod Deus nobis pro fine ultimo vult, ipſa nempe beatitudo reſpective ſumma (§§. 108. 372.), in Dei perfecta cognitione & amore beatifico conſiſtens (§. 103.), eaque

eaque æterna (§. 182.), ceu summa & perennis similitudo creaturæ rationalis cum suo creatore absolute beato (§§. 101. 86.). Infinite quoque dignus omni summo honore est Deus per se ipsum (§. præc. IV.). Ergo summus gradus demeriti inest in actionibus nostris moraliter malis, quæ committuntur a nobis post præviam præsertim cognitionem legis divinæ præcipientis, aut prohibentis, sub interminatione iacturæ æternæ summi boni illius.

§. 733.

Transgressione legum divinarum, sub hypothesi §. præc. admissa, de condigno quisque hominum meretur infelicitatem æternam positivam, quæ in positivo sensu & cognitione iacturæ consistat, quam quis amittendo beatitudinem æternam libera malitia est passus (§. 206. seq.). Sensus enim positivus æternus talis iacturæ maius malum non est quam bonum illud, nimirum ipsa beatitudo æterna, a Dei benevola voluntate nobis oblata, quam quisque nostrum divinarum legum deliberata (secundum hypothesin §. præc.) transgressione contemnit: ex altera vero parte ipsa Dei contemti dignitas summum gradum demeriti determinat (§. præc.). Quoniam ergo demeritum condignum (iuxta atque meritum §. 720. not.) illud est, quod per se sufficiens est ad ciendum odium in determinato gradu efficaciæ (§. 718.), seu quod æqualitatem quamdam habet cum malo, ad quod irrogandum movet (§. 720. I.); dubitari non potest, quin transgressione legum divinarum, sub dicta §. præc. hypothesi facta, quisque hominum infelicitatem prædictam positivam, etiam æternum duraturam, de condigno mereatur.

* Etsi porro improbi demeritum tantæ pœnæ secundum se æquale sit; tamen id maxime commendat Dei bonitatem, quod non nisi communis boni studio motus actu eam infligat, ut mox ex dicendis §. 738. patebit, uti & ex §. 825.

ARTI-

ARTICULUS V.

DE IUSTITIA DEI VINDICATIVA.

§. 734.

Irrogatio pœnarum ad Iuſtitiam divinam pertinet. Iuſtitiæ enim proprium eſt bonitatem ſapientiæ perfectæ attemperare, i. e. felicitatem quorumlibet per media aptiſſima promovere (§§. 537. 598.). Iam vero tam pœnæ vitæ alterius a Deo intentatæ malis*, quam in hac vita poſt mala actu perpetrata eisdem iam inflictæ (§§. 651. 669.), ſunt media ad ſummam hominum felicitatem ſeu beatitudinem alterius vitæ promovendam, quanta maxima uſu libertatis in hoc mundo poſſe obtineri prævisa a Deo eſt, ſecundum divinæ ſapientiæ conſilium unice ſufficientia, & prorſus neceſſaria (§§. 203. 206. 207. 574. ſeq. & §. 565.). Itaque irrogatio, i. e. tam intentatio, quam actualis permiſſio, utriusque illius generis pœnarum poſt mala moralia a nobis actu patrata (§. 209.), ad Iuſtitiam divinam pertinet.

* Nimirum Iuſtitiæ proprium eſt etiam bonitatem temperare, i. e. eius poſitivos effectus bonos permiſſione malorum oppoſitorum cohibere; ſi ſapientiæ conſilium dictat, bona nimis liberaliter collata non niſi libertatis abuſui ſervitura, & maioribus bonis ex meliore eiusdem libertatis uſu ſecuturis obſtitura: ſaltem ſi melior iſte uſus libertatis non aliter, quam per ſola mala, ſeu intentata, ſeu aliquando etiam actu immiſſa, promoveri atque obtineri poſſe certo prævideatur, ſimulque immiſſione ipſa malorum nemini uni fieri iniuria, imo non niſi volentibus ultro, & bonitate ipſa abutentibus, mala iſta obventura eſſe, certo intelligantur.

§. 735.

Iuſtitia vindicativa dicitur, qua pœnæ ſapienter & iuſte decernuntur, & irrogantur male libertate utentibus. Porro irrogatio pœnæ, cuius finis eſt emen-

emendatio & maius bonum ipſius, cui hæc irrogatur, *ſeveritas paterna* dicitur; contra *ſeveritas iudicis* appellatur talis pœnæ irrogatio, quæ pro fine bonum commune aliorum præfixum habet.

§. 736.

Deo competit Iuſtitia vindicativa. Deus enim legibus neceſſariis male libertate utentibus pœnas, tum temporaneas, tum æternas (§§. 698. 669.) iuſte & ſapienter (§§. 707. 711.), decernit, & actu irrogat. Ergo per §. præc. ei iuſtitia vindicativa competit.

§. 737.

Deus in decernendis & irrogandis pœnis huius vitæ temporaneis agit ſeveritate paterna. Sunt enim illæ pœnæ omnes medium ad promovendum in malis hominibus meliorem uſum libertatis, atque ipſam eorum beatitudinem illo mediante (§. 574. ſeqq. 190.) iſtumque uſum, ceu ipſorum maius bonum, Deus reipſa in eisdem decernendis & permittendis intendit (§. 579.). Ergo per §. 735. in hoc ſeveritate quidem, ſed paterna, utitur.

§. 738.

Deus ſeveritate iudicis iuſte utitur in irrogandis pœnis alterius vitæ æternis. Decernit enim illas & immittit ceu medium & motivum unice moraliter ſufficiens ad finem ultimum, i. e, beatitudinem electorum bono iſtorum libertatis uſu, ceu bonum pluribus commune, obtinendam (§§. 198. 203. 206. ſeq.) idque convenienter bonitati & ſapientiæ ſuæ (§§. 207. 209. 555. 556.) adeoque iuſte (§. 598.): proindeque etiam ſeveritate iudicis in eo iuſte utitur (§. 735.).

§. 739.

Deus dum libere elegit mundum hunc, & pro fine ultimo creationis ſtatuit beatitudinem bono uſu libertatis a rationalibus creaturis obtinendam potius, quam eisdem univer-

universis ex mera liberalitate per modum boni physici conferendam, ex iure dominii sui absoluti, ac prorsus iuste egit. Namque inprimis bonitas ipsius ex eo nullum defectum passa est (§§. 246. 394.); sed cum ob praescientiam de malo usu libertatis multorum hominum in hoc & alio quovis mundo simili futuro, summam respective beatitudinem, quam voluntate sua perfectissima omnibus serio volebat (§§. 373. 393. 396. 486.), i. e. eam, quae boni usus libertatis proemium esset (§§. 186. 656.), respectu omnium in actu secundo possibilem, i. e. ulla in hypothesi a se reipsa consequendam, non praevideret; libere inprimis hunc mundum elegit, & pro eius fine ultimo nihilominus beatitudinem non nisi bono usu libertatis obtinendam constituit. Hoc decreto maiorem quidem bonitatem electis quam reprobis futuris & a se praevisis reipsa exhibuit (§§. 248. 399.), cuius tamen discriminis ratio ultima est in ipsis reprobis (§. 394.): cum contra, si istis gratificandi caussa, illis, quos bono libertatis usu salvandos in hoc mundo praeviderat, iuxta atque omnibus ceteris rationalibus creaturis, libertatis arbitrio subtracto, beatitudinem ex mera liberalitate per modum boni meri physici donasset, in effectu meliorem se illis, qui reprobi in praesente mundi statu futuri praevisi sunt, quam modo, sed & minus benevolum iis, qui nunc sunt electi futuri, se praebuisset. Iam vero non magis decebat Dei bonitatem & perfectionem universam infinitam impedire malum reproborum suo ipsorum arbitrio unice sibi accersendum, ac permittere idcirco detrimentum beatitudinis electorum; quam illud malum reproborum permittere, ne bonum maius electorum suo unius arbitrio impediret (§. 246.). Proinde ista Dei electio recta (§§. 468. 180.) sancta (§. 539.), nec sapientiae ulli consilio difformis (§. 542.), adeoque iusta

iusta fuit (§. 598.), & ex vero absoluti dominii iure facta, i. e. cum facultate libera id *recte* agendi (§. 609.), quod Deo alioquin competit (§. 625.). Vide etiam §. 607.

CAPUT IX.
DE PROVIDENTIA DEI.
ARTICULUS I.
DE PROVIDENTIA IN GENERE.

§. 740.

Providentia est voluntas sapienter disponens ordinem mediorum ad certum aliquem finem.

§. 741.

I. *Quaecunque igitur res sub providentiam aliquam cadunt, eorum existentia & ordo a voluntate entis alicuius intelligentis dependere debet* (§§. 197. 313. Ont. §. 613.),

II. *Quaecunque sub providentiam cadunt, ex entis eiusdem intelligentis consilio ceu media dirigi debent ad certum aliquem finem* (§§. 450. 531. 571.).

§. 742.

III. *Providentiae gradus & magnitudo mensuranda* 1. *a rerum multitudine, quae per eam disponuntur:* 2. *a perfectione sapientiae, qua illorum ordo disponitur:* 3. *ab efficacia voluntatis, seu perfecta dependentia rerum dispositarum quoad existentiam & ordinem suum a proposito voluntatis disponentis:* 4. *ab excellentia finis, ad quem omnia diriguntur.*

§. 743.

Providentia ergo absolute summa & infinita est, quae res cunctas existentes, & a se distinctas, nulla usquam excepta, voluntate sua disponit cum sapientia, potentia, & bonitate infinita, ceu media ad finem omnium optimum.

* Provi-

* Providentiam ergo abſolute ſummam Deo circa mundi iſtius univerſas res aſſerturi, *primo* oſtendere debemus, rerum mundi & eventuum, actionumque tum mere naturalium, tum liberarum, a Dei voluntate ſingillatim dependentiam; *deinde* earundem omnium directionem ſapientem non minus quam ſumme benevolam ad finem ultimum æternæ beatitudinis reſpective ſummæ creaturarum rationalium; *tertio* infallibilem vim & efficaciam ipſius divinæ voluntatis in omni ſua diſpoſitione. Atque alterum quidem ac tertium demonſtrare facilis fore moliminis, ex iam alias dictis patet tum de efficacia voluntatis divinæ in Cap. tum de Dei bonitate & directione malorum huius vitæ, imo & bonorum, Cap. At in primi capitis accurata oſtenſione ſtudioſius hoc ceu proprio loco adlaborandum erit, maxime, cum tanta pertinacia multi hodiedum Providentiæ divinæ obſtrepant, Atheis haud multo meliores.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONE ORDINIS NATURÆ PER PROVIDENTIAM DIVINAM.

§. 743.

Creaturæ ſingillatim ſumtæ exiſtentiam ſemel in creatione a Deo acceptam propria virtute continuare nequeunt. Ratio enim ſufficiens exiſtentiæ ipſarum eſſentiæ ſingillatim non ineſt; ſecus ceu entia a ſe creatione non indiguiſſent, ſed ab æterno extitiſſent neceſſario. Quodſi ergo ſemel creatæ per ſe ipſas ac propria virtute exiſterent, ratio ſufficiens exiſtentiæ ipſis inſtar modificationis ineſſe deberet. Atqui impoſſibile hoc evidenter eſt: ſiquidem modus quisque a priori ad ſui ipſius exiſtentiam ceu conditionem ſubſtantiæ ſuæ exiſtentiam requirit (§. 52. V. Ont.). Præterea id genus modificatio ſui ipſius ratio exiſtentiæ haud eſſe poſſet, ſecus foret ens a ſe; quod abſurdum: ergo ab alio eandem

dem accipere deberet, adeoque rurſus talis creatura, etſi iam ſemel creata, ſui ipſius exiſtentiæ rationem ultimam ſaltem ſufficientem in ſe non contineret, ac proin nec virtute propria exiſtentiam continuare poſſet. Cumque omnia hæc de creaturis omnibus ſingillatim valeant; evidens eſt, creaturas ſingillatim ſumtas exiſtentiam creatione ſemel a Deo acceptam propria virtute continuare haud poſſe.

§. 744.

Sed neque creaturæ ſemel a Deo creatæ ſe mutuo vel non mutuo ad exiſtentiam continuandam determinare poſſunt. Cum enim nulla exiſtentiam continuaret virtute propria, ſeu a ſe ipſa; *in caſu primo determinationis mutuæ* regreſſus aliquis, ſeu rectilineus, ſeu circularis (§. 16.), neceſſario ſtatuendus inter creaturas ſe mutuo ad exiſtentiam continuandam determinantes ſtatuendus foret; quorum uterque, ſeu finitus, ſeu infinitus adſtruatur, ſine cauſſa determinante extranea a ſe ipſa exiſtente, i. e. ſine Deo intervenieute, iuxta atque in prima conſervatione eſt impoſſibilis (§§. 17. 18. 19.). Porro *in caſu non mutuæ determinationis* aliquæ ſaltem creaturæ ſtatui deberent, quæ continuatam exiſtentiam aliunde haberent, quam a ſe (§. præc.), & aliunde etiam, quam a ceteris creaturis, ſimulque ipſæ deinceps ceteras ad exiſtentiam continuandam determinarent. Atqui ne hoc quidem magis poſſibile eſt: ſiquidem talis determinatio ad continuandam exiſtentiam nihilo a prima creatione differret, nihilque obſtaret, quo minus ſumta ſemel illius poſſibilitate etiam creatio prima unius creaturæ ab alio poſſibilis eſſe ſtatuenda eſſet. Atqui potentia creatrix nulli creaturæ abſolute convenire poteſt (§. 512.): ergo nec virtus determinandi alteram iam ſemel ſecum creatam ad exiſtentiam continuandam. Ita-

que creaturæ ſemel a Deo creatæ ſe neque mutuo, neque non mutuo, ad exiſtentiam continuandam determinare poſſunt.

§. 745.

Quoniam ergo inter creaturas & Deum creatorem increatum nihil medium exiſtit, nec creaturæ ullo modo per ſe ipſas exiſtentiam etiam creatione a Deo iam ſemel acceptam continuare poſſunt (§. 743. ſeq.); *neceſſe eſt, ut, ſiquidem eandem exiſtentiam actu continuant, Deus, qui in creatione eam creaturis dedit, eandem quoque eis ſingillatim dare pergat, quamdiu perdurant.*

§. 746.

Conſervatio eſt actio, qua ſubſtantiis creatis datur, ut in eſſe ſuo perſeverent, ſeu ſemel cœptam exiſtentiam continuent.

§. 747.

I. *Creatura nulla ſeu ſe ipſam, ſeu aliam creatam ſubſtantiam, conſervare poteſt, ſed quælibet immediate a Deo conſervari in exiſtendo debet* (§. præc. & §. 743. ſeqq.).

II. *Actio conſervationis & creationis non differunt, & conſervatio non niſi continuata creatio eſt, & utraque ſoli Deo propria.* Vide etiam dicta in Ontol. §§. 231. 232. 234. &c. &c.

III. *Nulla creatura vel momento Deo creatore ſuo in ordine ad exiſtentiam ſuam continuandam carere poteſt.*

IV. *Animæ hominum & brutorum, iuxta atque elementa materiæ, ceu ſubſtantiæ ſimplices, conſervantur a ſolo Deo.*

V. *Eædem annihilari a ſolo Deo poſſunt* (§. 237. II. III. Ont.).

VI. *Conſervatio æque parum ac ipſa creatio proprie dici miraculum poteſt, ſed ad ſummum improprie* (§. 511.).

§. 748.

§. 748.

VII. *Substantiæ creatæ vi sua activa, qua pollent, non nisi accidentia, seu modos, generatione producere, & corruptione destruere possunt* (§§. 233. 234. 236. seqq. Ont.). 2. Et quoniam sola corruptio & generatio modorum ad ortum ac interitum compositi prorsus sufficit (§. 299. Ont.); *eædem creatæ substantiæ novis corporibus in hoc mundo generandis, & aliis corrumpendis vi sua activa sufficiunt* (§. 227. Cosmol.).

§. 749.

Sine conservatione divina nulla creatura seu quidquam agere ipsa, seu passione mutari, potest. Sine conservatione enim divina non existit ulla creatura (§. 745. seq.): quod autem non existit, agere non potest (§. 223. Ont.); *quod primum*: sed neque idem potest passione mutari (§. 210. I. Ont.). Etenim passum, ceu substantia (§. cit. II.) ratio possibilitatis est respectu modificationis, cuius productione, vel corruptione, mutaretur (§. 206. Ont.): omnis autem ratio possibilitatis natura prior est, seu quoad existentiam a priori connexa cum suo rationato (§§. 201. 242. 244. I. Ont.). Iam vero creatura, quæ sine conservatione Dei non existit, connecti actu a priori cum existentia rei alterius non potest (§. 195. Ont.), atque adeo nec passione mutari: *quod erat alterum.*

§. 750.

Deus ergo, sicut creatione, ita & conservatione, omnibus substantiis creatis existentiam tam virium suarum activarum, quam aptitudinem seu capacitatem ad patiendum, i. e. ad varias mutationes passionibus subeundas, vel quod idem est, existentiam totius naturæ suæ tribuit (§. 248. Cosmol.); quippe quæ principio activo & passivo intrinseco cuiusque entis absolvitur.

§. 751.

Ens unum concurrere dicitur *ad actionem entis alterius*, quatenus in actione ipsius continetur aliqua

ratio effectus, qui istius actione producitur. Porro si in concurrentis actione insit ratio, cur inter plures effectus diversarum specierum, vel inter plura individua effectuum intra eandem speciem, qui eiusdem alterius entis actione produci possent, effectus potius huius speciei, quam alterius, vel hoc potius individuum in eadem specie quam alterum, producatur; ens illud prius *concurrere ad speciem,* vel *individuum effectus entis alterius,* seu *determinare ad speciem,* vel *ad individuum actionis* istius, dicitur.

§. 752.

Deus primae illius actionis virtute, qua in creatione non solum substantiarum simplicium hunc mundum componentium existentiam, sed etiam primum ordinem simultaneum, seu compositionis modum determinavit, atque naturae leges arbitratu suo praescripsit (§. 281. Cosmol. & §§. 517. 520.); *primae, inquam, illius actionis virtute ceu caussa prima* (§. 259. Ont.) *determinavit tam species, quam individua, omnium effectuum naturalium, quicunque praecise secundum leges naturae necessitate physica, & citra creatae libertatis, aut miraculi interventum, in hoc mundo inde ab eius principio evenere, aut porro evenient.* Cum enim omnes effectus totius naturae creatae non nisi in accidentibus consistant (§. 748.), eadem vero essentia simplicis substantiae e. g. elementi corporei ad diversas species & individua motionum tum producenda in alio quovis elemento sibi rite applicato, tum recipienda actione elementi alterius, perinde capax sit; sicuti & eadem anima rationalis capax est ad diversas numero & specie tum recipiendas ideas, tum producendas cognitiones & volitiones: idcirco evidens est, vi solius productionis substantiarum simplicium quarumcunque hunc mundum componentium, proindeque etiam vi solius conservationis earundem, nec species, nec individua effectuum determinari, nec in ipsis prae-

cise

ciſe eſſentiis earum ſubſtantiarum rationem ſufficientem ultimam determinatæ ſpeciei aut individui effectus cuiuscunque ineſſe. Ex adverſo, cum in prima compoſitione, cuius ratio ſufficiens Deo ſoli ineſt, Dei actione ratio ſufficiens totius ordinis ſequentis naturæ, i. e. omnium mutationum ſecundum leges naturæ neceſſitate phyſica agentis in hoc mundo evenientium, ſit determinata (§§. citt.), ita, ut natura ipſa leges, quas Deus ipſi vi illius primæ compoſitionis eidem præſcripſit, non obſervare non poſſit (§§. 520. 521.): idcirco, quamdiu libertas creata, aut ſupernaturalis Dei actio, a naturæ legibus independens, nuspiam intervenit, non alia ſpecies, nec individuum, effectus cuiuscunque cauſſæ creatæ locum habet, quam quæ virtute primæ compoſitionis, i. e. actione Dei ſub ratione cauſſæ primæ & independentis (§. 74. II. & §. 259. Ont.) primum compoſitionis modum determinantis, iam determinata fuerit. Itaque Deus primæ illius actionis virtute &c. &c.

* Ill. Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 878. male ex ipſa cauſſarum naturalium eſſentia rationem ſufficientem ſpecificationis effectuum naturalium probat. Ex eo enim, quod in eſſentia ſubſtantiæ creatæ ratio contineatur eorum, quæ illi ineſſe poſſunt, nondum determinatur, cur talis effectus illi inſit actu, ſi plurium ſpecie & individuo differentium ex æquo capax eſt. Ex adverſo, unde individuale diſcrimen accidentium repetas, ſeu ab ipſis accidentibus, ſeu a ſubſtantia, cui inſunt, cum Deus vi primæ compoſitionis & creationis tum individuum ſubſtantiæ, quam omnes notas differentiales ipſorum accidentium diverſorum, quorum tam producendorum, quam recipiendorum ſubſtantia quævis ex æquo capax eſt, determinet, quæcunque virtute ſola legum naturæ exiſtunt in hoc mundo; quin idem Deus determinet ſpeciem iuxta atque individuum omnium, dubitari non poteſt. Sic modifica-

tiones virium motricum in elementis corporeis celeritate & directione differunt. Celeritas ad quantitatem, directio ad qualitatem, ſeu ſpeciem, effectus pertinet. Deus vi primæ compoſitionis omnes motiones producendas tum quoad numerum, tum quoad directionem, i. e. ſpeciem, determinavit. Pariter brutorum animæ, & mentes hominum, ex occaſione diverſiſſimarum idearum ſenſualium motione receptarum (§. 42. Pſych.) ad diverſas ſpecies cognitionum & affectuum non liberorum ſecundum meras leges naturæ phyſicas determinantur, quarum vi eſſentiæ ex æquo capaces ſunt; & tam numerus, quam ſpecies harum mutationum accidentalium per primam compoſitionem, ſub qua ſingulæ illæ animæ & mentes creatæ a Deo & cum mundi corporei elementis compoſitæ ſunt, determinatæ ſunt.

§. 753.

Omnes ergo actiones creaturarum mere naturales, nec liberæ, omnesque iſtarum effectus perinde atque ipſa prima creatio & mundi compoſitio, ſecundum ſpeciem & individuum exiſtentiæ ſuæ a Dei intellectu, libera voluntate, & potentia dependent (§. 509. & 197. Ont.); ſive *Deus concurrit tam ad ſpeciem quam ad individuum omnis actionis creatæ non liberæ per intellectum, voluntatem liberam, & potentiam ſuam, ceu rationem ſufficientem completam & ultimam.* Per intellectum nimirum, i. e. per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & ſcientiam naturalem mediam (§§. 289. 313.), tum poſſibilitatem, tum conditionatam futuritionem omnium illarum actionum & effectuum ſub hypotheſi determinatæ primæ iſtius compoſitionis, Deus prævidit; voluntate libera Deus mundi iſtius ſub determinato illo primæ compoſitionis modo creandi propoſitum concepit (§§. 235. ſeqq.), ac potentiam ſuam in eodem creando exeruit, ſimulque hoc modo tanquam per rationem ſufficientem completam & ultimam tum primum compoſitionis modum (§. 281.

281. Cosmol. §. 509.), tum in hoc omnem speciem & individuum omnis actionis & effectus creati determinavit (§. praec.). Ergo omnes actiones creaturarum &c. &c.

§. 754.

Deus etiam actione sua immediata concurrit ad omnes & singulos effectus naturales creaturarum. Vide huius thesis demonstrationem iam §. 238. Ont. traditam. Nimirum ad cuiuslibet accidentis productionem geminum principium immediatum per se requiritur, unum, quod rationem existentiae accidentis proximam ponat, alterum quod rationem possibilitatis determinet; quae respectu accidentis est ipsa substantia seu subiectum recipiens accidentalem sui modificationem (§§. 212. 52. V. Ont.). Primam ponit ipsa caussa creata efficiens, quae solum generat (§§. 234. 235. IV.); alteram Deus, actione sua substantiam seu subiectum conservans perpetuo (§. 749.), sufficit, nec sine actione ista Dei immediata, qua Deus vere concurrit ad actionem creaturae (§. 751.), ipse effectus, ceu cariturus ratione suae possibilitatis, existere posset (§. 200.). Ergo Deus &c. &c.

§. 754.

Caussae nihilominus creatae efficientes ceu caussae proximae & secundae (§. 259. Ont.) *determinant saltem speciem effectuum suorum.* Deus enim determinando primum compositionis modum speciem effectuum solum determinat ceu caussa remota atque ultima (§§. 752. 753.), quatenus nimirum determinat primorum accidentium & generationum species ab illo primo ordine simultaneo proxime pendentes. His porro primis accidentibus semel quoad speciem determinatis substantiarum creatarum efficientium essentialis indifferentia ad accidentia diversa specie tum recipienda, tum producenda (§. 54. Ont.), per

ipsa prima illa accidentia iam determinatur ad alia porro in una potius quam altera diversa specie tum recipienda, tum producenda: siquidem ipsæ modificationes priores, tum rationes possibilitatis proximæ sunt ad alias subsequentes recipiendas (§. 53. Ont. §. 334. Psych.), tum etiam partiales rationes existentiæ effectuum & actionum subsequentium sunt; uti e. g. habitus (§. 342. Psychol.). Ergo caussæ creatæ &c.

§. 755.

I. *Determinatio divina ad speciem & individuum effectus cuiusque creati naturalis prior natura est determinatione simili caussæ efficientis creatæ* (§. præc.), *illaque Deo libera est, simulque caussæ creatæ agendi in certa specie necessitatem imponit* (§. 242. Ont. & hic §. 521.).

§. 756.

II. *Deus caussæ creatæ efficienti non solum virtutem activam substantialem, & concursum suum immediatum* (§. 754.), *ut caussa utriusque immediata per conservationem* (§§. 746. 749.), *sed etiam virtutem accidentalem & specificam* (§. 754.) *ut caussa prima, & remota, atque ultima, mediante primo rerum ordine & compositionis modo, quem sua unius virtute determinat* (§. 752.), *largitur.*

§. 757.

III. *Deus est caussa principalis respectu omnium effectuum mere naturalium, nec liberorum; & caussæ efficientes creatæ non sunt nisi caussæ instrumentales respectu effectuum eorundem.* Caussa enim principalis (§. 260. Ont.) est, quæ propria vi producit effectum, quin ab agente alio determinetur ad agendum; instrumentalis vero, quæ se sola ex defectu rationis sufficientis seu virtutis propriæ non agit, sed a caussa principali determinatur ad agendum in specie,

cie, vel individuo. Atqui Deus caussis creatis efficientibus tribuit per creationem & conservationem una cum existentia virtutem activam substantialem, huiusque indifferentiam seu insufficientiam ad agendum in specie & individuo sua actione, qua primum compositionis modum determinat, etiam determinat, & ceu caussa remota complet, ut tanquam caussæ efficientes proxima producant certam speciem & individuum effectus (§§. 752. 754. 756.); ipse vero hæc omnia efficit virtute propria, quin determinetur ab alia caussa ad eadem agenda, simulque modo etiam propria virtute immediate concurrit ad omes effectus creatos (§. 754.). Ergo Deus est caussa principalis, caussæ vero creatæ non nisi instrumentales caussæ sunt respectu omnium effectuum creatorum mere naturalium, non liberorum.

§. 758.

IV. *Omnia, tam bona, quam mala mere physica, quæ in ordine naturæ mundi istius nobis eveniunt, determinantur a Deo quoad speciem & individuum, tanquam a caussa prima & principali* (§§. 756. 757.), *& a Dei intellectu ac voluntate dependent* (§. 753.); *bona quidem a Dei voluntate operatrice positiva* (§. 404.), *& simul a potentia tanquam a caussa remota efficiente; mala autem a Dei voluntate negativa & mere voluntarie permittente* (§. 412.), *non tamen ut a caussa efficiente* (§. 118.). Ambo enim, nimirum, tam bona quam mala physica, quoad speciem & individuum, vi primæ creationis & compositionis elementorum mundi, ac substantiarum ceterarum simplicium mundum componentium, a Deo ceu a caussa prima, remota, & ultima, voluntarie efficiente, aut permittente, determinantur (§. 753.).

* Unde sicut mala physica ob primam illam Dei determinationem etiam in sua specie dependent a Deo, tanquam a caussa prima completa, simulque Deus saltem negative

ad ea concurrit: ita, nisi alia libertas in homine Wolfianæ dissimilis adstruatur, actiones malæ etiam humanæ, quæ morales vulgo vocantur, æque a Deo tanquam a caussa prima completa dependebunt, atque hoc ipso Deo potius ceu illarum caussæ principali, quam homini, ceu qui caussa solum instrumentalis erit (§. 757.), tribuendæ ex æquo erunt. Unde frustra Wolfius in Theol. Nat. P.I. §. 881. seqq. affirmat, actiones creaturarum malas in sua specie, seu ut malas, non dependere a Deo. Sequitur nimirum iste error ex alio errore, quo, ut iam §. 752. not. adnotavi, auctor ille negat, specificationem actionum creatarum etiam mere naturalium esse a Deo ullo pacto. Huic enim errori probationes omnes Wolfianæ locis citatis unice innituntur, sicuti & sequentium thesium similium; ut cum §. 885. probare nituntur, Deum non concurrere ad abusum libertatis qua talem. Omnia enim eius argumenta non probant, nisi quod Deus speciem & individuum actionis non determinet ut caussa proxima. Quod vero eadem saltem Deus determinet ut caussa prima & ultima completa ex ipsius Wolfii principiis evidens est, qui affirmate ipse asseverat, Deum esse auctorem totius ordinis naturæ (§. 763. Theol. Nat. Wolf. P.I.). At nempe iam errabat, Ill. Wolfius in eo, quod ordinem naturæ specificum præcise per id a Deo constitutum asserat, quod hæc præcise non alia elementa, has, non alias animas, creavit; in quorum nempe ipsa essentia iam insit ratio primæ compositionis (loc. cit. §. 761.): cuius oppositum demonstravi § 281. Cosmol. asserens, elementa æque ac animas esse vi essentiæ suæ indifferentia ad omnem certæ ac specificæ compositionis modum, primumque compositionis modum non nisi a Deo ceu a ratione sufficiente completa determnari potuisse.

§. 759.

V. *Voluntas Dei, a qua omnia bona & mala physica istius mundi nullo modo creaturæ alicui libera dependent* (§. præc.), *est intrinsece efficax; ac proin summa*

ma est efficacia voluntatis divinae, qua Deus bona, & mala physica omnia istius mundi quoad speciem & individuum ceu caussa prima determinat (§. praec.). Voluntas enim intrinsece efficax dicitur (§. 374.), si ipsa per se formaliter sit ratio ultima completa existentiae obiecti voliti. Atqui talis est Dei voluntas determinaus bona & mala physica istius mundi instar caussae primae quoad speciem & individuum. Etenim intellectus divinus, qui rationem completam simul cum potentia Dei & ipsa voluntate respectu omnium conficit (§. 509.), non nisi ratio possibilitatis est respectu ipsius decreti voluntatis divinae decernentis omnia. Potentia Dei quoad actum suum ab ipsa voluntate Dei libera ceu a caussa applicante natura priore pendet. Ergo sola voluntas Dei libera est ratio *existentiae* ultima completa, atque adeo intrinsece efficax, respectu omnium bonorum & malorum physicorum; proindeque huius divinae voluntatis summa efficacia est.

* Atque hactenus quidem influxum universalem Providentiae Dei in res mere physicas ac legum naturae effectus ostendi. Superest, ut idem etiam ostendatur circa omnes actiones liberas seu morales creaturarum rationalium.

ARTICULUS III.

DE DISPOSITIONE OMNIUM ACTIONUM LIBERARUM CREATARUM PER PROVIDENTIAM DIVINAM.

§. 760.

Actiones liberae seu morales creaturarum rationalium universe vel sunt 1. *Theologice formaliter bonae*, 2. *vel Theologice formaliter malae, vel* 3. *Theologicae formaliter indifferentes quidem, attamen naturaliter formaliter bonae absolute*, 4. *aut respective, vel* 5. *Theologice formaliter quidem indifferentes, attamen naturaliter formaliter malae absolute*, 6. *aut respective, i, e. re-*

spectu

ſpectu aliarum creaturarum rationalium Patet ex dictis §§. 172. 415.

* De ſingulis iſtis oſtendere oporteat, quod & quam efficaci diſpoſitioni Divinæ Providentiæ ſubiaceant.

§. 761.

Facultatem liberam completam ad quoscunque actus morales, quæ in creatura quacunque rationali exiſtit independenter a libero actu prævio alicuius creaturæ rationalis, Deus ut cauſſa prima determinat voluntate intrinſece efficaci quoad ſpeciem & individuum. Talis enim facultas libera completa exiſtit inſtar effectus accidentalis (§§. 124. 126.) per ſolas leges naturæ neceſſitate phyſica. Atqui id genus effectus omnes Deus ut cauſſa prima voluntate intrinſece efficaci determinat quoad ſpeciem & individuum (§§. 752. 756. 759.).

§. 762.

I. *In hypotheſi propoſitionis* §. i. *præc. Deus intellectu, voluntate libera, & potentia ſua, concurrit ad determinandam in ſpecie & individuo exiſtentiam omnium eorum, quæ conſtituunt libertatem completam; ita quidem, ut quæ in iſtis boni phyſici rationem habent, voluntate poſitiva & potentia ſua inſtar cauſſæ efficientis concurrente determinet* (§§. præc. 403. 404. 758.), *quæ vero habent rationem mali phyſici* (§. 137.), *ea determinet voluntate ſolum negativa. & voluntarie permittente* (758.) : id eſt; *in dicta hypotheſi Deus ipſe voluntate intrinſece efficaci, poſitiva, & libera, determinat motiva impellentia ad actum moraliter bonum, & abſterrentia a moraliter malo, nimirum cognitionem bonitatis aut malitiæ Theologicæ, vel naturalis, ſeu abſolutæ, ſeu reſpectivæ* (760.); 2do. *voluntate autem negativa, ac mere permittente, negative tamen æque efficaci* (§. 759.), *& libera, determinat motiva abſterrentia ab actu moraliter bono & impellentia ad actum morali-*

moraliter bonum, nimirum cognitionem difficultatis ac tædii præsentem intuitum circa actum moraliter bonum, & sensum voluptatis præsentis sensitivæ in actu moraliter malo, seu Theologice, seu naturaliter tantum. Hæc enim omnia ex limitatione tum essentiali, tum accidentali, ipsius facultatis cognoscentis oriuntur, ex cuius confusa cognoscendi facultate oritur, ut malum videri bonum, & sic apeti vero bono relicto possit, Deo confusionem miraculo non tollente.

§. 763.

II. *Deus, in hypothesi* §. 761. *determinans existentiam facultatis liberæ completæ ad actus Theologice morales, simul determinat existentiam legis præcipientis, vel prohibentis subiectivæ in se ipso, & legis obiectivæ in creatura libera; sive, iussu suo interno significat huic voluntatem suam (i. e, determinat in huius intellectu cognitionem certam istius volnntatis suæ in specie & numero), qua velit ab ea libere poni actum Theologice bonum, & malum oppositum omitti, sub interminatione pœnæ æternæ & promissione præmii & beatitudinis æternæ male vel bene officium debitum implenti* (§§. 416. seq. 685. 78.). 2. *Ex adverso Deus, in eadem hypothesi determinans solum libertatem completam ad actus naturaliter morales, determinat in creatura cognitionem solius bonitatis, & malitiæ, naturalis obiectivæ actus liberi una cum eiusdem effectibus physice bonis, aut malis* (§. præc.).

§. 764.

Deus in hypothesi §. 761. *promovet actum bonum moralem mediis moraliter sufficientibus;* 2do. *ac quoties actus moraliter bonus consequitur, illum Deus intellectu suo voluntate, & potentia, in specie & individuo ceu caussa per se, eaque principalis moralis concursu immediato determinat, determinatione antecedente*

3tio.

3tio. *non quidem completa, nec intrinsece efficaci*, 4to. *attamen iam in actu primo infallibiliter efficaci, ita quidem*, *ut* 5to. *creatura rationalis, libere se conformans determinationi divinæ, se habeat instar caussæ instrumentalis liberæ, quæ se determinari a Deo ad agendum bene moraliter libere sinit.*

Pars prima circa actum Theologice moralem ex §§. 187. 668. patet: circa actum vero Theologice indifferentem, & solum naturaliter absolute aut respective bonum, inde colligitur; quod cum talis actus moralis non habeat per se proximam aptitudinem ad finem ultimum (§. 408.), non deceat Deum illum lege aliqua, seu obligatione perfecta, urgere, i. e. illius caussa creaturam rationalem periculo iacturæ finis ultimi exponere (§. 413.): ergo sufficiet, proposita ipsius naturali bonitate, & actus oppositi naturali malitia, cum utriusque bonis & malis effectibus, actum moralem naturaliter bonum ad Deo promoveri.

Pars altera sic ostenditur. Deus nimirum per scientiam mediam directam intellectus sui infinite perspicacis adminiculo prævidet actum moralem bonum, quem creatura rationalis in hypothesi collatæ sibi eius facultatis liberæ completæ esset confirmiter divinæ legi a se cognitæ positura (§§. 288. 319. 325.), ac prælucente ista scientia, proindeque voluntate consequente (§. 371.), ex certa mentis ac consilii sapientiæ suæ destinatione, ac proinde ceu caussa per se (§. 263. Ont.), ope omnipotentiæ suæ (§. 509.) determinat existentiam eius facultatis liberæ completæ in specie & individuo (§. 761.), simulque lege lata obligationem perfectam (§. 763.), i. e. necessitatem quamdam moralem (§. 667.) creaturæ rationali imponit ponendi actum moralem Theologice bonum in certa specie & individuo, qui nimirum facultati libere com-

completæ omnimodis determinatæ reſpondet; (vel cum datur libertas tantum ad actum naturaliter moralem, ſaltem motiva bene agendi ſuggerit §. præc.); quod totum ſimul cauſſæ morali eſt proprium (§. 265. Ont.). Determinat ergo Deus ipſum actum bonum moralem determinatione antecedente, i. e. natura priore, & independente ab actione creaturæ libere abſolute exiſtente (§§. 242. 167. Ont.): ſiquidem tum ipſa cognitio motivorum moraliter ſufficientium ceu ratio poſſibilitatis actus moralis Theologici, ac proin etiam Dei actio iſtius cognitionis exiſtentiam remote determinans (§. 762.), vere natura prior eſt; tum vero etiam eadem actio Dei determinans eſt actio cauſſæ primæ, i. e. a nulla alia dependentis (§. 752. & §. 259. Ont.), atque adeo hoc ipſo etiam eadem eſt actio Dei ut cauſſæ principalis (§. 260. Ont.). Denique conſervando ipſam animæ ſubſtantiam, ceu ſubiectum propriæ actionis, etiam immediate concurrit perinde atque cum actionibus neceſſariis (§. 754.).

Pars tertia. Determinat itaque Deus ut cauſſa prima & principalis *actum moralem Theologice bonum*, quatenus neceſſitati morali, qua per motiva abſterrentia a bono & impellentia ad malum morale abſtrahimur ab eodem actu morali bono(§. 148.), promulgando per ipſum lumen naturæ legem ſuam neceſſariam & naturalem (§. 701.), mediante iſtius perfecta obligatione (§§. 668.), opponit aliam neceſſitatem moralem (§. 667.), qua urgeamur ad officium noſtrum debitum implendum (§. 680.), & ponendum ipſum actum bonum moralem. Iam vero neceſſitas moralis una alteri oppoſita, i. e. motiva gravia impellentia & abſterrentia ſimul iuncta, libertati completæ omnem relinquunt locum (§. 307. Pſych.); maxime quod voluptas & tœdium

tœdium præſens, a quibus neceſſitas moralis a bono abſterrens exoritur, per ſe longe potentius ſcieant appetitum, quam voluptas & tœdium ſolum prævifum ex alterius vitæ præmiis & pœnis a Deo propoſitis (§. 288. not. Pſychol.), a quibus oritur neceſſitas moralis impellens ad bonum morale. Itaque cum alioquin per ſenſum intimum de libertate noſtra nobis in tali caſu conſtet (§§. 302. ſeqq. Pſych. item §§. 306. 311. Pſych.); evidens eſt, Deum non completa determinatione antecedente, nec intrinſece efficaci voluntate (§. 402.), actum ipſum moralem bonum determinare; ſiquidem actus liber talis determinationis antecedentis completæ per ſe incapax eſt (§§. 307. 329. Nro. 2. Pſychol.). Quod porro *actum moralem mere naturaliter bonum* attinet; ob motiva bonitatis & malitiæ naturalis probe cognita, & ſalvam libertatem, ſimilem non niſi incompletam, nec intrinſece efficacem, determinationem ex parte Dei intervenire, ex dictis hic parte prima & §. 762.

Pars quarta ex dictis §. 402. de infallibili efficacia voluntatis Dei benevolæ conſequentis patet, qua Deus effective efficaciter vult ipſam beatitudinem electorum. Perinde enim voluntas Dei præcipiens (i. e. lege ſua moraliter & incomplete determinans) *actum moraliter Theologice bonum* iam infallibiliter efficax eſt per ea, quæ ſe tenent ex parte actus primi (i. e. quæ natura priora ſunt) reſpectu actus ipſius moraliter Theologici boni; quatenus nempe ipſa Dei voluntas illa a Deo concipitur prælucente ſibi infallibili ſcientia media directa de actu illo libere, ſub hypotheſi ipſius voluntatis divinæ libertatem completam largientis, a creatura rationali ponendo (§. 374.); quæ ipſa ſcientia media ratio poſſibilitatis, adeoque natura prior eſt (§. 242. Ont.) reſpectu illius voluntatis divinæ,

divinæ, ac proin etiam reſpectu iſtius æque atque ipſius actu liberi creati ſe tenet ex parte actu primi. Eadem proportione valent pro *actu morali naturaliter bono.*

Pars quinta, videlicet, quod creatura rationalis libere ſe conformans determinationi divinæ, atque *actum moralem Theologice bonum* ponens, agat inſtar inſtrumentalis cauſſæ liberæ, *ſic oſtenditur.* Creatura enim rationalis Dei creatione, conſervatione, & determinatione ad ſpeciem & individum libertatis completæ ad actum Theologice moraliter bonum (§.761.), accipit a Deo tum virtutem ipſam ſufficientem ac completam libere agendi ſub ea ſpecie & individuo actionis, quam a ſe ipſa non haberet (§. 756.), tum ipſam Dei determinationem antecedentem incompletam ad agendum libere (*parte tertia hic*). Itaque per §. 260. Ont. inſtar cauſſæ inſtrumentalis ſe habet, ſed inſtar liberæ tamen; quia ſalva libertate agit; attamen libere non niſi id agit, ad quod a Deo tanquam a cauſſa principali reipſa determinatur (*per partem ſecundam*). Porro ſimile ratiocinium proportione valet *de actu morali naturaliter bono.*

§. 765.

In eadem hypotheſi §. 761. *& poſito ſimul, quod actus moraliter bonus ex parte creaturæ liberæ conſequatur, Deus una cum ipſo actu morali bono etiam ſimili determinatione incompleta antecedente, ac voluntate infallibiliter efficaci, determinat omnes alios effectus, qui ex ipſo actu moraliter bono & immediate libero creaturæ per ſe vi legum naturæ deinceps abſque novo immediato exercitio libertatis creatæ conſequuntur.* Cum enim determinet dicto modo ipſum actum liberum moraliter bonum, quem infallibili ſcientia naturali media præſcit eſſe per ſe connexum cum talibus effectibus; hoc ipſo eadem determinatione &

voluntate cum æque infallibili efficacia, i. e. sciens ac volens, determinat ipsos effectus connexos.

§. 766.

In eadem præfata hypothesi §. 761. *Deus mediis, sufficientibus moraliter impedit actum moralem malum, præsertim Theologice talem;* 2do.) *quoties is tamen libertatis abusu a creatura rationali admittitur, nunquam Deus illius existentiam positiva determinatione antecedente etiam solum incompleta, aut voluntate ceu caussa per se etiam ut caussa solum prima ac remota, determinat, sed præcise illius fit caussa per accidens, tum quatenus actus moraliter mali possibilitatem negativa voluntate permittit tum vero etiam quatenus vires agendi iuxta ac concursum suum immediatum creaturæ rationali ad actum bonum sic offert, ut uullam physicam necessitatem bene agendi imponat.* 3tio.) *Hoc ipso autem etiam actus moraliter mali speciem & individuum sic determinat negative, ut nec plus, nec aliud, mali moralis agere possit rationalis creatura, quam Deus permittat.* 4to.) *Istud vero sic permittit, ut hoc ipso etiam a creatura rationali libertate abutente se determinari ad concurrendum immediate cum istius actione moraliter mala permittat, ab eaque determinatus actu concurrat.* 5to.) *Tota tamen eius permissio Deo voluntaria est (negative nimirum), & voluntas permittens illud in specie & individuo æque est in Deo infallibilis, i. e. æque infallibiliter coniungenda cum ipso actu moraliter malo, atque voluntas prædefiniens bonum morale.*

* Complecti una continua assertione primo placuit, quæcunque ad modum spectant, quo Deus se gerit in permissione malorum moralium. Singula nunc capita ordine seorsum demonstranda continuo resumam.

§. 767.

1.) *Deus in hypothesi* §. 761. *actum moralem Theologice malum mediis sufficientibus moraliter impedit.*

dit. Obligationem enim perfectam illius omittendi, aut ponendi actus oppositi moraliter Theologice boni, imponit (§. 668.).

§. 768.

2.) *Quoties in hypothesi* §. 761. *a creatura rationali, libertate abutente, actus moralis Theologice malus admittitur; nunquam Deus illius existentiam, seu voluntatis suæ, seu omnipotentiæ, ulla antecedente determinatione positiva, etiam solum incompleta, ceu caussa per se determinat sed tantum ut caussa per accidens* (§. 432. not.); *quatenus vires agendi iuxta ac immediatum concursum suum creaturæ rationali ad actum bonum & ex istius intentione sic offert ac tribuit, ut tamen nullam physicam necessitatem bene agendi imponat, sed possibilitatem actus oppositi moraliter mali voluntate simul negativa permittat.* Deus enim quidquid ad extra agit, volens, i. e. libere, agit (§.377.); omnia autem, quæcunque vult agere ad extra, finis creationis ultimi caussa unice vult, i. e. quatenus aptitudinem ad finem illum promovendum habent (§.405.). Iam vero actus moraliter Theologice malus quiscunque per se non modo aptitudinem nullam, sed etiam rationem proximi & positivi impedimenti recta oppositi habet respectu finis ultimi creationis (§.409.); atque adeo Deus, quodcunque agere velit, i. e. cum vim activam & concursum suum immediatum ad actum liberum Theologice bonum offert, & libertatis relinquendæ caussa possibilitatem actus mali oppositi negativa voluntate permittit (§.762. Nro. 2.), i. e. cum necessitatem bene agendi physicam imponere libere omittit, hoc totum ea destinatione mentis ac consilio agit, ut actus moraliter bonus libere in creatura consequatur; quin actum malum ei oppositum intendat. Quodsi erga citra Dei consilium, imo contra hoc Dei actum malum mora-

liter ſufficientibus mediis impedientis conſilium (§. præc.), creatura rationalis oblata ſibi a Deo virtute activa, concurſu immediato, & tota libertate completa abutatur; Deus quidem erit cauſſa efficiens mediata reſpectu malæ actionis, quatenus eſt cauſſa efficiens & conſervans vim activam creaturæ ipſius rationalis; item erit cauſſa immediate concurrens conſervando ſubiectum actionis creatæ moraliter malæ: attamen non erit cauſſa per ſe, ſed mere per accidens (§. 263. Ont. & §. 432. not.).

§. 769.

3.) *Deus actum moraliter malum in ſpecie ac individuo ſic determinat negative, ut nec plus, nec aliud quidquam mali moralis admittere creatura rationalis poſſit, quam Deus permittit.* Creatura enim rationalis enim nec plus, nec aliud libere agere poteſt, quam cuius agendi completam habeat libertatem. Atqui hanc Deus in ſpecie & individuo determinat (§. 762.): ergo & eius effectum poſſibilem, tam actum ſcilicet bonum moralem, quam moraliter malum (ubi enim & quatenus cauſſa omnimodis eſt determinata, ibi & eatenus omnimodis eſt determinatus effectus, tanquam rationatum in ſua ratione ſufficiente) actum moraliter bonum quidem poſitive, moraliter malum vere negative, ſeu voluntate mere permittente (§. cit.).

§. 770.

4.) *Deus actum moraliter malum ſic permittit, ut creaturæ rationali facultatem concedat, qua hæc libertate abutens ipſum determinet ad concurſum immediatum in actu ſecundo ad actionem moraliter malam, nec niſi ea determinante actu concurrit.* Totum enim, quod Deus poſitive ac voluntate poſitiva efficit, eſt, quod vires agendi libere completas creaturæ rationali tribuat, i. e. quod & vim ipſam activam,

ſub-

ſubſtantialem & accidentalem, ipſius mentis efficiat, & ſubiectum, in quo actio ipſa tam moraliter bona, quam mala, recipienda eſt, conſervet; iſtudque utrumque agit Deus eo conſilio, ut actio moraliter bona, libere tamen, ſequatur; ad quam etiam determinatione antecedente incompleta, i.e. legis ſuæ intimatione, creaturam rationalem poſitive, ſalva tamen libertate, impellit. Interim hoc ipſo, quod ſalvam relinquat creaturæ libertatem, Deus ante liberam creaturæ determinationem nondum complete a priori determinatus eſt, ut concurſum ſuum immediatum iuxta ac mediatum (i.e. quo & ſubiectum actionis, & quo vires ipſas activas agentis creaturæ rationalis, conſervat) potius præſtet in actu ſecundo ad actionem moraliter bonam, quam ad malam; ſed, cum ipſe intendat ceu cauſſa per ſe concurrere ad actionem moraliter bonam, voluntate per ſe ſolam non efficaci, primum ex determinatione creaturæ rationalis, ſe ipſam inſtar rationis ultimæ libere determinantis ad ponendam actionem moraliter malam (§. 329. not. Pſych.), determinatur, ut uterque ipſius concurſus potius coniungatur cum actione mala quam bona, & ipſe ceu cauſſa per accidens actu concurrat ad actionem moraliter malam creaturæ rationalis (§. 768.); quatenus in actione Dei vires activas iſtius conſervantis ratio remota incompleta exiſtentiæ effectus liberi, & in actione Dei conſervantis ſubiectum actionis creatæ, ratio ſufficiens exiſtentiæ poſſibilitatis eiusdem effectus ineſt (§. 751.).

§. 771.

5.) *Tota tamen mali moralis permiſſio Deo voluntaria (negative nimirum), & voluntas illud permittens in ſpecie & individuo* (§. 769.) *in Deo æque infallibilis eſt, i.e. æque infallibiliter coniungenda cum ipſo actu*

moraliter malo, atque voluntas prædefiniens (§. 431.) *cum bono morali.* Est enim futuritio mali moralis conditionata, sub hypothesi eiusdem libertatis completæ, a Deo præscita infallibiliter per scientiam mediam directam; displicet vero eadem Deo ceu obiectum vere malum; posset illam Deus absolute impedire imponendo necessitatem physicam bene agendi, aut negando libertatem agendi male; nec tamen impedit. Atqui hæc simul conficiunt voluntariam permissionem (§. 211.); quæ ipsa quoque ob scientiam mediam directam infallibilem infallibiliter cum obiecto permisso, i. e. cum actu moraliter malo, coniungenda est.

§. 772.

I. *Voluntas Dei permittens actionem moralem Theologice malam in hypothesi* §. 761. *coniunctam sibi habet voluntatem Dei positivam, qua Deus vult effective efficaciter existentiam libertatis completæ, & serio insuper* (§. 392. seq.), *attamen effective inefficaciter ipsum actum moralem Theologice bonum* (§§. 761. 767. 388.), *ceu medium ad finem ultimum* (§§. 190. 197.), *serio a se volitum* (§. 393.).

II. *Per hanc ipsam positivam voluntatem voluntati permittenti mere negativæ coniunctam, per quam Deus serio optat accedente consensu libero creaturæ rationalis esse caussa per se actus moralis Theologice boni* (Cor. I. & §. 764. Nro. 2.), *fit caussa per accidens, i. e. contra intentionem & propositum suum, actus moralis Theologice mali, ex determinatione videlicet creaturæ rationalis Dei proposito contraria* (§§. 768. 770.).

III. *Voluntas Dei prædefiniens* (§. 431.) *actum moralem Theologice bonum, & voluntas Dei permittens actum moralem Theologice malum ut coniuncta illi voluntati positivæ, de qua Cor. I., in hypothesi* §. 761. *inter se differunt præcise per hoc, quod voluntas prædefiniens sit infallibiliter efficax ob coniunctam scientiam*

mediam

medium directam de consentiente sibi determinatione libera creaturæ rationalis (§. 764. Nro. 4.), *& ideo cum complacentia inde ceu ex motivo impellente orta & cum gaudio ac lubentia velit & libertatem ipsam completam, & actum moralem Theologice bonum, sicuti simile quid prorsus dictum de voluntate Dei prædefiniente speciatim benevola erga electos* (§. 797. I.); *& ex adverso, quod voluntas illa positiva coniuncta cum voluntate permittente* (Cor. I.) *sit infallibiliter inefficax respectu actus moralis Theologice boni a se voliti ob prælucentem ipsi scientiam mediam directam de dissentiente sibi determinatione futura creaturæ rationalis* (§. 771.), *& ideo cum displicentia & fuga exinde ceu motivo absterrente orta libertatem ipsam completam prædefiniat, actum vero moralem Theologice malum permittat; sicut simile quid dictum de voluntate Dei decernente creationem mundi insuperhabita præscientia de interitu reproborum* (§. 397. II.).

§. 773.

In eadem hypothesi §. 761. *& posito simul, quod actus moraliter malus ex parte creaturæ liberæ consequatur, Deus una cum ipso actu morali malo etiam simili determinatione mere negativa* (§. 769.) *& voluntaria simul ac infallibili permissione* (§. 771.) *determinat & permittit omnes alios effectus, qui ex ipso actu moraliter malo & creaturæ rationali immediate libero per se vi legum naturæ deinceps absque novo immediato exercitio libertatis creatæ consequuntur.* Ratio huius sequelæ eadem prorsus est, quæ dictorum in simili §. 765.

* Dixi, *Deum omnes mali moralis Theologici effectus solum permittere*, non ut caussam per se positive velle, sed potius pro virili parte impedire (§. 767.). Ex quo sequitur, *Deum ne bona quidem illa per se voluntate positiva, absoluta, & antecedente velle, quæ ex malo morali per accidens consequuntur*, puta manifestationem iustitiæ suæ in

castigatione impiorum, pœnitentiæ exercitium, ostensionem clementiæ suæ in remissione vindictæ, exercitationem iustorum ex afflictionibus ab improbis irrogatis: *sed Deum hæc omnia solum velle voluntate consequente ad malum morale.* Interim tamen per §. 581. II. hæc ipsa bona ex malis oritura Deo conditio sunt, sine qua mala ipsa non permitteret.

§. 774.

Quæ a §. 767. *magis speciatim ostensa huc usque sunt de actu morali Theologice malo in hypothesi* §. 761. *consequente, eadem prorsus omnia valent de actu morali tantum naturaliter malo, & Theologice indifferenti* (§. 760. Nro. 5. & 6.), *eo solo discrimine, quod Deus, cum subtracta cognitione malitiæ Theologicæ* (§. 417.) *solam libertatem ad actus morales naturaliter bonos vel malos in specie & individuo determinat* (761.), *etiam solum per motiva malitiæ naturalis impediat actum moralem naturaliter malum* (§. 767.): *quæ in hoc casu sufficiunt abunde* (§. 764. Nro. 1. in Demonstrat.). Cetera enim omnia, hoc solo discrimine adnotato, perinde valent de actu morali naturaliter malo, atque de Theologice malo; ut relegenti datas a §. 768. demonstrationes facillime patebit.

§. 775.

Quoniam experientia intima quotidiana teste ex ipsis actibus liberis præcedentibus, seu nobis propriis, seu alienis, nunc Theologice, nunc solum naturaliter bonis, aut malis, necessitate consequente physica & vi ipsarum legum naturæ nascuntur novæ libertates completæ in specie & individuo ad novos actus morales, seu Theologicos, seu solum naturaliter tales (§. 760.) itidem in specie & individuo iam suo modo (positive scilicet, vel negative §§. 764. Nro. 2. 769.) determinatos; Deus autem in hypothesi concessæ aliquando primæ libertatis completæ, a se solo proprio

arbitrio

arbitrio ac independenter a libertate creata in ſpecie & individuo determinatæ (§. 761.), ſive actus moralis bonus, ſive malus, ex parte creaturæ liberæ inde conſequatur, una cum eodem actu morali ſemper determinet ſimili determinatione omnes alios effectus, qui ex tali actu libero creaturæ per ſe vi legum naturæ conſequuntur (§§. 765. 773.): idcirco evidens eſt 1. *etiam eas facultates liberas completas ad quoſcunque actus morales, Theologice, vel ſolum naturaliter tales, a Deo ut a cauſſa prima voluntate vel poſitiva ac prædefiniente* (§§. 764. n. 2. 765.) *vel permittente & negativa* (§§. 769. 773.) *ſemper infallibiliter efficaci* (§§. 764. n. 4. 771.) *quoad ſpeciem & individuum determinari, quæ in quacunque creatura rationali ullo tempore exiſtunt dependenter ab exercitio aliquo prævio, moraliter quomodocunque bono, vel malo, libertatis propriæ, vel alienæ.* Evidens eſt, 2. *etiam actus quoſcunque morales in hypotheſi talis libertatis creaturæ rationalis arbitrio conſequentes, uti infallibiliter præſciuntur a Deo, ſic & pari determinatione, poſitiva, nunc antecedente, nunc ſolum conſequente* (§. 773. not.) *vel mere negativa, determinari in ſpecie & individuo, perinde atque de actibus moralibus in hypotheſi* §. 761. *inde a* §. 764. *explicatum eſt.*

§. 776.

I. *Omnes actiones morales, ſeu liberæ, quarumcunque creaturarum rationalium in hoc mundo exiſtentium in ſpecie & individuo dependent ab intellectu, voluntate, & potentia Dei, ceu a ratione ultima inadæquata, poſitiva, vel negativa, & tanquam a cauſſa per ſe, vel per accidens, non quidem intrinſece, ſed tamen infallibiliter efficaci* (§. præc. n. 2. 764. 768. 769. 771.); *proindeque omnes hoc nomine ſub providentiam Dei cadunt* (§. 741. I.). Ab intellectu quidem Dei dependent; quatenus voluntatis & potentiæ, ceu cauſſæ illorum partialis efficientis, actio a præſcientia, tanquam a ratione

tione poſſibilitatis ſuæ dependet: a voluntate vero & potentia tanquam a cauſſa ipſa partiali, per ſe, vel per accidens, infallibili tamen cum prævifione, concurrente cum ipſa actione quavis creaturarum libera.

§. 777.

II. *Tametſi efficacia divinæ voluntatis ſit æque infallibilis in determinandis quoad ſpeciem & individuum cunctis actionibus liberis, atque infallibilis eadem eſt in diſponendis ipſis eventibus & meris effectibus naturæ; non tamen eadem eſt utrobique ipſa efficacia ſecundum ſe, ſed eventus naturæ Deus intellectu, voluntate, & potentia ſua diſponit ceu cauſſa per ſe ſaltem prima, & ultima adæquata* (§. 509.), *ſimulque intrinſece efficax* (§. 404.); *actiones vero morales bonas diſponit ac determinat ceu cauſſa per ſe, prima, & ultima ſolum inadæquata* (§. 764.), *nec intrinſece efficax* (§. 374.); *actiones demum morales malas diſponit ceu cauſſa mere per accidens, quatenus voluntaria permiſſione permittit creaturam rationalem abuti ſuo concurſu ad malum, quem ipſi offert ad bonum libere agendum* (§. 768. ſeqq.).

§. 778.

III. *Deus intellectu, voluntate, & potentia ſua, non ſolum diſponit nexum & ordinem naturæ, itemque omnes actiones liberas creaturarum rationalium ſecundum ſe, ſed certo propoſito voluntatis ſuæ connectit ordinem naturæ cum ordine actionum liberarum, illumque iſtis attemperat, noviſque modificationibus determinat.* Cum enim ipſæ actiones liberæ per ordinem ſolum naturæ in ſpecie & individuo non determinentur, ſed libertati ipſi partialis determinatio ultima reſervetur (§. 329. Pſych.), ex actionibus autem immediate liberis voluntatis creatæ novæ actiones ad extra mediate liberæ variæque proin modificationes eventuum naturæ conſequantur; quatenus res multæ etiam naturales diſpoſitioni humanæ liberæ ſubiacent,

cent: idcirco, cum Deus & actiones immediate liberas & mediate liberas, i. e. priorum omnes effectus, in specie & individuo determinet (§§. 765. 773.), hoc ipso utrumque ordinem, naturæ, & actionum liberarum, inter se connectit, ordinemque naturæ libertatis creatæ actionibus attemperat, & pro istarum ratione varie modificat.

§. 779.

IV. *Perinde ergo ea bona & mala physica, quæ ex propriæ aut alienæ libertatis bonis vel malis actionibus, cuique eveniunt in hoc mundo, perinde, inquam, atque ipsa bona & mala per solum ordinem naturæ contingentia* (§. 758.), *sub Dei providentiam cadunt* (§§. 741. I. 776. 778.).

V. *Omnes occasiones bene moraliter agendi, uti & omnes occasiones male moraliter agendi, i. e. omnes virtutis occasiones, & tentationes ad malum, Deus determinat in specie & individuo, illas offerendo positive, instar permittendo.*

VI. *Deus terminos seu limites vitæ naturalis æque ac malitiæ & bonitatis moralis cuique homini ponit; ac prævisis semel liberis creaturæ actibus conditionate futuris suo unius arbitrio mortem, i. e. malum naturæ, cum quovis determinato numero malorum aut bonorum moralium connectit* (§. 778.); *etsi creatura rationalis quamlibet eiusmodi connexionem in specie ac individuo perinde atque ipsam sui electionem & reprobationem* (§. 401.) *in sensu diviso impedire possit.*

ARTICULUS IV.

DE GUBERNATIONE PROVIDENTIÆ DIVINÆ, QUA CUNCTA DIRIGIT AD FINEM ULTIMUM.

§. 780.

Gubernatio est directio seu dispositio efficax actionum (§. 613.) facta ex proposito & ordine ad cer-

certum aliquem finem (§. 450. & §§. 313. 322. Ont.).

§. 781.

I. *Gubernatio non nisi ad actiones ab arbitrio nostro seu voluntate, positiva, aut negativa, in specie ac individuo dependentes, seu proprias, seu alienas, seu extendit* (§. 614.).

II. *Gubernatio in gubernante cognitionem & propositum certi alicuius finis; atque una cognitionem aptitudinis individualis singularum actionum, ceu mediorum, ad eundem finem supponit* (§§. 313. 322. Ont.).

§. 782.

III. *Gubernatio divinæ Providentiæ ad omnes tam divinas actiones, i. e. voluntatis & omnipotentiæ Dei agentis ad extra, quam creatas, seu liberas, seu non liberas & mere naturales se extendit.* Omnes enim istæ a Dei arbitrio in specie & individuo quoad existentiam dependent; divinæ quidem, quia liberæ (§. 237. seqq.); creatæ vero per dicta §§. 753. 776.

§. 783.

IV. *Providentiæ divinæ infinita sapientia suo consilio in gubernandis singulis iuxta atque universis tam propriis quam creaturarum actionibus liberis, aut non liberis, prælucet,* docens singularum aptitudinem individualem ad quoscunque fines, & finem optimum omnium possibilium, ad quem conducere aptæ sint, ostendens (§. 531. seqq.).

§. 784.

V. *Dei Providentia sapientiæ suæ infinitæ consilium in omnium suarum & creatarum actionum gubernatione vi sanctitatis suæ infinitæ ita exequitur, ut nunquam aliquid illi contrarium circa ullam suam vel creaturæ alicuius actionem disponat* (§. 542.).

§. 785.

VI. Et quoniam sanctitas infinita cum item infini-

infinita bonitate respectiva in Deo coniungitur (§. 549.): idcirco *Dei Providentia secundum consilium infinitæ sapientiæ suæ* (§§. 535. 533.) *non solum finem ultimum omnium possibilium optimum secundum se* (§. 544.), *sed etiam optimum respectu creaturarum rationalium* (§§. 548. 549. 550. IV. VII.), *nimirum summam respective istarum æternam beatitudinem in omnium actionum dispositione proponit.*

§. 786.

VII. Cum solæ actiones morales Theologice bonæ creaturarum rationalium proximam & positivam aptitudinem ad finem ultimum a Dei Providentia universe intentum habeant (§§. præc. 408.): idcirco *Deus providentia sua solas actiones morales Theologice bonas disponit immediate, seu ut media immediata, in ordine ad finem ultimum, omnia autem cetera, bona, & mala quæcunque, ordinat immediate ad actiones morales Theologice bonas ceu finem proximum* (§. 267. Ont.).

§. 787.

VIII. *Tam bona ergo, quam mala, mere physica & naturalia Dei providentia in specie & individuo ordinat ceu media, i. e. motiva, & occasiones, actuum moralium Theologice bonorum* (§§. 758. præc.).

IX. *Ipsos quoque actus morales Theologice malos, quos permittit, ordinat tum secundum se, tum secundum eorum effectus* (§. 773.) *ad actus alios morales Theologice bonos, quos per accidens ex illis eventuros prævidet vel in illis ipsis, qui prius iam libertate abusi fuerant, vel ex ipsorum occasione in aliis* (§. 578.). Vide plura de his a §. 555. & præcipue a §. 571. usque ad §. 598. Adde etiam dicta a §. 426. usque ad §. 435.

§. 788.

X. *Deus gubernatione providentiæ suæ dirigit singulas & universas actiones creaturarum, liberas, & non liberas, non tantum ad summum bonum unius creaturæ ratio-*

rationalis, sed ad summum bonum omnium creaturarum rationalium, quantum in actu secundo esse possibile infallibiliter novit, obtinendum ceu finem ultimum (§§. 426. seqq. 107.).

ARTICULUS V.

DE INFINITA PERFECTIONE PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

§. 789.

Providentia divina conservatione perpetua omnium creatarum substantiarum, dispositione omnium creatarum actionum & eventuum singiliatim in specie & individuo, concursu ad omnes immediato, & gubernatione seu directione singularum ad communem aliquem finem ultimum, absolvitur. Patet ex dictis omnibus huc usque inde a §. 743.

§. 790.

Nihil in rebus creatis usquam est, ad quod Dei Providentia secundum omnes suas dispositiones, quibus absolvitur (§. præc.), *se tota non extendat, atque adeo Dei Providentia est universalis ob multitudinem rerum, ad quas se extendit.* Nihil enim est in rebus creatis præter substantias simplices, istarumque compositionem, & mutuas actiones, liberas, vel non liberas. Atqui ad ista omnia in singulis tota Dei Providentia, i. e. conservando, disponendo in specie & individuo, concurrendo immediate, & dirigendo ad communem finem, se extendit, ut ostensum est. Tota ergo se ad omnia existentia extendit, adeoque universalis est.

§. 791.

Efficacia Providentiæ est absolute summa, sic, ut nihil ipsi resistere possit, quo minus id totum prorsus eveniat, quod illa in specie & individuo determinavit. Est enim illius efficacia infallibilis tam in actionibus non liberis creaturarum omnium (§. 759.), quam in

in liberis, ſeu bonis (§. 764. n. 4.), ſeu malis (§. 771.) modo ſuo diſponendis, ita, ut nec quidquam uſpiam aut ullo tempore eveniat, quod illa in ſpecie & individuo non diſpoſuerit (§. præc.), nec quidquam, quod illa diſpoſuit, non eveniat, aut eveniat aliter, quam diſpoſuerit.

* *Neque dicas.* Deum providentia ſua mediis ſufficientibus moraliter velle impedire omnia mala moralia (§§. 767. 774.), nec tamen conſequi, quod optat. *Nam* hoc ipſo; quod libertatem nihilominus improbo, inſuperhabita præſcientia de abuſu iſtius ab ipſo faciendo, plene & voluntarie permittat, Dei providentia non illius actionem bonam, ſed malam, ſua efficacia diſponit in ſpecie & individuo; quatenus hoc ſolum, non aliud, nec maius malum ab eo fieri permittit, quam pro ſapientia ſua neceſſarium eſſe agnoſcit, ut finis ultimus, i. e. ſumma creaturarum rationalium beatitudo eveniat. Unde improbi, tametſi libere ſervire Dei benevolæ Providentiæ, propriam ipſorum ſalutem voluntate antecedente æque benevola diſponere paratæ, nolint; tamen, volentes, nolentes, ſerviunt eidem in ſalute electorum per ipſas illorum malas morales actiones, ceu per media per accidens, infallibili conſilio diſponenda. Unde *Dei Providentia efficaciæ ſuæ infallibili admirabilem* illam *coniungit ſuavitatem;* qua ita fortiter ad finem abſolute a ſe prædefinitum collimat, ut nullam tamen creatæ libertati vim inferat, ſed ipſius libertatis adminiculo electos ad beatitudinem ipſis per modum prœmii propoſitam infallibiliter perducat.

§. 792.

Dei Providentia abſolute ſumma eſt, & infinite perfecta (§. 743.). Rerum enim multitudine ſpectata, quas diſponit, prorſus univerſalis eſt (§. 790.). Efficacia quoque ipſius abſolute ſumma eſt (§. præc.), ſicuti & modus perfectiſſimus, quo diſponit omnia ſingillatim in ſpecie & individuo. Finis, ad quem dirigit

dirigit cuncta, optimus tum secundum se, tum respectu ipsarum creaturarum rationalium (§. 785.); quippe a sapientia & bonitate infinita propositus & intentus, & executioni datus (§. 784.). Ergo est absolute summa & infinite perfecta (§. 743.).

§. 793.

Providentia Divina æterna est & immutabilis. Est enim Dei voluntas disponens omnia (§. 740.). Atqui hæc omnis æterna est, & immutabilis (§§. 478. 481.).

§. 794.

Non tamen ideo seu libertati humanæ obest, seu mundi totius omniumque eventuum eius contingentiæ. Tota enim Dei providentia scientia media directa absolute contingente regitur, nec intrinsece est efficax voluntas, qua actus liberos disponit (§. 484.). Unde & ipsa absolute quoad speciem & individuum tum mundi totius, tum singulorum eius eventuum libera est (§. 237. seqq.), & absolute contingentia eius decreta: proindeque nec mundi totius contingentiæ obesse potest.

ARTICULUS VI.

DE PRÆSENTIA DEI, & IMMENSITATE.

§. 795.

Ens unum præsens alteri dicitur, si ita coexistunt, ut in uno aliquid insit, cuius ratio existentiæ insit in altero; *seu*, quæ ita coexistunt, ut inter eorum quasdam determinationes intrinsecas detur aliquis nexus a priori & posteriori (§. 195. Ont.) *seu* demum, si ita coexistant, ut unum agat in alterum (§. 205. Ont.). Unde *præsentia* unius entis relate ad alterum est coexistentium nexus a priori & posteriori secundum determinationes intrinsecas.

* Ne definitio iſta, quamquam ſecundum ſe maxime præciſa, peregrina alicui primo intuitu videatur, præſentia unius rei relate ad alterum probe diſtingui debet ab exiſtentia in eodem loco, quacum illa nihil revera habet commune. Profecto totus *mundus* hic *præſens* nobis, *ſol præſens* &c. recte dicuntur, omne, quod ſenſu aliquo percipimus, præſens nobis eſſe vulgo dicimus; *anima præſens corpori* dicitur; quin tamen omnia iſta eandem localem exiſtentiam nobiſcum, vel inter ſe, habeant. Deinde ad præſentiam duorum ſolam coexiſtentiam non ſufficere, etſi iſta per ſe ad illam requiratur, ex eo patet, quod alias anima præſens adhuc foret corpori etiam poſt mortem nondum corrupto; cum ambo adhuc in exiſtentium numero ſint: ſicut viciſſim corruptum ſemel corpus, cum exiſtere ceſſet, nobis eſſe præſens amplius non dicitur. Rurſus præſentiam ipſam non eſſe determinationem uni enti intrinſecam, ſed duo ſaltem entia requiri, atque adeo eſſe notionem ex entium multiplicatione naſci ſolitam, quod relationibus proprium eſt (§. 125. Ont.), extra controverſiam eſt. Iam vero ſi relationum notiones omnes, Sect. II. & III. Ontol. recenſitas, ordine percurras, nimirum ſimilitudinis, diſſimilitudinis, quantitatis, coexiſtentiæ ſimultaneæ, ſpatii, temporis ſeu exiſtentiæ ſucceſſivæ, ac denique nexus ſeu coexiſtentium, ſeu ſucceſſivorum, isque vel a priori & poſteriori, vel concomitanti: has relationes omnes ſi percurras, inquam, ſenties, nullam præſentiæ rerum quadrare, nec ſufficere, niſi duas ſimul iunctas, nempe *coexiſtentiæ* & *nexus a priori ac poſteriori*, ita quidem, ut ubi ubi in pluribus hæ duæ ſimul relationes inveniuntur, ea præſentia ſibi invicem dici ſoleant; ubi vero earum alterutra deſideratur, præſentia locum non habeat. Sic præſens nobis tamdiu ſol dicitur, quamdiu ſua actione nos illuſtrat, & calefacit, i. e. quamdiu in nobis eſt lumen & calor, cuius ratio exiſtentiæ in ſole eſt. Deficiente vero & lumine & calore, quem a ſole interdiu recipimus, ſol occidere nobis, id eſt, ceſſare

eius præsentia, dicitur. Sic anima præsens tamdiu esse corpori censetur, quamdiu in corpore effectus quosdam actionis illius advertimus; his vero cessantibus eam exiisse a corpore, & cessare eius præsentiam, concludimus. Quæcunque sub sensus cadunt, præsentia dicimus; quia videlicet actione sua organa feriunt; quorum actionem sensu haud porro percipimus, illa nimis procul abesse a nobis dicimus. Extra dubium ergo est, genuinam esse præsentiæ notionem, quam dedimus. Et vero nemo non facile dabit, ea, quæ nullo inter se nexu iunguntur, etsi coexistant simul, tamen ita se mutuo habere,. atque si non coexistant; eo quod alterum ab altero nihil quoad existentiam determinationum suarum dependeat. Unde alterum alteri quasi nulla necessitate, i. e. nullo nexu cooxistit, proindeque se habent, ac si non coexisterent; quod revera idem est, ac quod alterum alteri sua existentia præsto non sit, seu nihil ad existentiam determinationum eius contribuat, ex æquo adverti posset determinationibus eius intrinsecis intime perspectis, quod præter ipsum etiam coexistat. Denique præiudicium illud, quo vulgo putamus, ad præsentiam requiri vicinitatem loci, haud dubie ex altero illo natum est, quo vulgo credebatur, non nisi quod contiguum est, alteri sufficienter applicatum esse, ut in istud agat: id quod falsum esse iam §. 252. not. 1. 2. & 3. Ont.

§. 796.

I. *Præsentiæ unius entis ad alterum gradus magnitudinis dari possunt, ita nimirum, ut quo plures sint in ente uno determinationes intrinsecæ, quarum ratio existentiæ sit in altero, sive quo fortior aut perfectior unius actio in alterum, aut quo nexus intimior seu plenior, eo maior sit alterius entis ad illud præsentia.*

* Ex quo ipso vides existentiam in eodem loco præsentiam non conficere; quippe quæ individua in gradus est. Illud verum est, viciniam in entibus creatis conditionem esse, ex cuius magnitudine præsentia mutua cre-

scere

ſcere videatur. At illud inde eſt, quod ex maiore vicinia intra ſphæram activitatis mutuæ etiam actionum mutuarum intenſio, i.e. præſentia, augeatur (§. 114. Coſmol.).

II. *Niſi illorum, quorum unum alteri eſt præſens, ambo agant in alterum, præſentia mutua ſaltem homogenea non erit, ſed unum erit alteri præſens agendo, alterum ſolum patiendo; ſeu unum a priori, alterum a poſteriori tantum connectetur.*

III. *Præſentia etiam poteſt eſſe vel immediata, vel mediata, ſi nimirum nexus nunc ſit immediatus, nunc mediatus, in coexiſtentibus* (§. 226. Ont.).

* Ita ſol ratione caloris nobis non niſi mediate connectitur, in quantum eſt ratio remota ſolum exiſtentiæ illius.

§. 797.

Deus præſens eſt rebus omnibus ſingillatim in toto univerſo, ſeu omni creaturæ. Nulla enim creatura, ſeu ſubſtantia ſimplex creata, in toto hoc univerſo exiſtit, id eſt, coexiſtit Deo per ſe & a ſe exiſtenti, cuius quoad ipſam ſubſtantiam ratio exiſtentiæ non ſit in Deo. Ergo per §. 795. Deus præſens eſt &c.

§. 798.

Rei intime præſens dicitur, qui ita eſt ratio exiſtentiæ omnium notarum iuxta ac partium rei (§§. 141. 142. Ont.), ut nulla ſit in re nota vel pars, cuius ratio exiſtentiæ non ſit.

§. 799.

Deus omnibus & ſingulis rebus in toto hoc univerſo, tam ſimplicibus, quam compoſitis, eſt perpetuo intime præſens. Nulla enim eſt in rebus ſimplicibus nota ſubſtantialis, cuius Deus non ſit perpetuo ratio exiſtentiæ per creationem & conſervationem (§§. 74. II. 747. I.); nulla quoque nota accidentalis, cuius exiſtentiam Deus in ſpecie & individuo non determinet, ſeu libera ſit (§§. 764. n. 2. 769. 765. 773.),

ſeu non libera creaturæ (§. 753.). Porro compoſita qua talia ex ſimplicibus & ex horum modo compoſitionis conſtant (§. 291. Ont.). Modum compoſitionis primum determinavit Deus (§. 281. Coſm.), & in eo determinavit rationem ſufficientem omnium ſequentium compoſitionum (§. 264. Coſm.), atque adeo omnium iſtarum ratio prima determinans eſt; imo & immediate ad earum exiſtentiam concurrit (§. 754.); cum omnes motione (§. 301. IV. Ont.), i. e. actione creata ſimplicium eveniant (§. 40. Coſm.). Omnium ergo notarum cuiusque entis ſimplicis & compoſiti ratio exiſtentiæ immediata Deus eſt, atque adeo omnibus & ſingulis intime præſens eſt (§. præc.).

§. 800.

Deus rebus omnibus & ſingulis in toto hoc univerſo eſt immediate intime præſens. Tam enim ſubſtantias immediate conſervat, quam accidentia earum omnia determinat in ſpecie & individuo, immediate ad actiones iſtorum productrices concurrendo (§§. 754. 764. n. 2. 768.). Ergo per §§. 796. III. 798. omnibus immediate iuxta ac intime præſens eſt.

§. 801.

Quod in ente alteri præſente ratio formalis exiſtentiæ eſt reſpectu determinationum alterius, cui eſt præſens, *per id ens præſens eſſe alteri* dicitur.

§. 802.

Deus rebus omnibus & ſingulis in hoc univerſo præſens eſt intellectu, voluntate, & potentia ſua. Ratio enim exiſtentiæ omnium rerum creatarum adæquata ultima in Dei intellectu ſimul, in voluntate, & potentia ineſt, omniaque, quæ Deus ad extra agit, ex certa ſcientia, libera voluntate, & potentiæ ſuæ virtute agit (§. 509.).

§. 803.

Et quoniam infra §. 803. independenter a præſentibus oſtendemus infinitum intellectum eſſentiam

tiam in Deo conficere, ex huius autem infinitudine ceteras perfectiones omnes, puta, potentiam, sapientiam, sanctitatem, bonitatem, providentiam, iustitiam, ceu essentiae divinae attributa, fluere: sequitur, *Deum rebus omnibus & singulis in hoc universo etiam per essentiam suam & cum omnibus suis perfectionibus intime & immediate praesentem esse;* siquidem omnia simul sapientia, sanctitate, bonitate, providentia, & iustitia absolute summa disponit & gubernat (§. 782. seqq.).

§. 804.

Deus magis praesens est creaturis substantiali aut accidentali perfectione praecellentibus, quam aliis, secundum proportionem perfectionis cuilibet illorum propriae. Cum enim praesentia sua intima notarum omnium existentiam determinet (§. 799.), quo pluribus singulae notis perfectionis universe excellunt, eo magis illis est praesens (§. 796.).

§. 805.

Substantiae omnes simplices creatae *in loco existunt*, quatenus singulae ceteris coexistunt cum aliquo discrimine in modo coexistendi (§. 158. Ont.), cuius discriminis ratio sufficiens est extra ipsas substantias creatas, inestque enti infinito, nimirum ipsi Deo (§. 161. II. III. Ont.).

§. 806.

Deus in loco existere non potest. In Deo enim rationes sufficientes existentiae omnium locorum insunt, in quibus creaturae aliquae existunt (§. cit. Ont.). Ergo in ipso non est ratio peculiaris unius loci, sed omnium locorum. Quodsi omnium locorum ratio perinde in Deo est, nullo discrimine in Deo insunt, i. e. limitibus, quae discrimina pariunt, remotis (§§. 125. 109. Ont.). Ergo hoc ipso Deus in nullo loco singillatim existit.

§. 807.

Deus tamen omnibus locis intime præſens eſt. Eſt enim intime præſens tam rebus locatis (§. 799.) & etiam locis ipſis; quippe cum ipſe ſit ratio ſufficiens ultima ipſius diſcriminis cuiusque locorum (§. 161. III. Ont. & §. 795.).

§. 808.

Præſentia localis eſt præſentia talis, quæ cum exiſtentia in loco coniuncta eſt in eo qui præſens eſt alteri.

§. 809.

Dei præſentia, qua omnibus rebus creatis eſt intime & immediate præſens (§. 800.), *non eſt præſentia localis* (§. 806.).

§. 810.

Facultas, qua quis intime præſens eſſe poſſit omnibus rebus a ſe diverſis poſſibilibus nullo excepto, ſi vellet eius præſentiæ *immenſitas* appellatur.

§. 811.

Dei præſentia immenſa eſt. Omnia enim poſſibilia potentia ſua producere poteſt (§. 439.), &, ſi actu quæcunque illorum produceret, non niſi conſervatione ipſius exiſtentiam continuare poſſent (§. 743. 747. ſeq.), eiusque immediato concurſu (§. 754. 764. 769.) & determinatione in ſpecie & individuo ex æquo omnia egerent, ſicut ea, quæ in mundo præſente actu exiſtunt. Ergo, ſi illa quæcunque actu exiſterent, Deus illis omnibus perinde atque creaturis præſentis mundi perpetuo intime præſens foret, atque adeo omnibus præſens eſſe actu poteſt, quæcunque extra ipſum poſſibilia ſunt, proindeque Dei præſentia vere immenſa eſt (§. præc.).

§. 812.

Dei essentia, omnesque perfectiones, puta, sapientia, sanctitas, bonitas, iustitia, providentia, immensæ sunt. His omnibus enim Deus præsens est intime omnibus, quæ actu existunt in hoc mundo, & eisdem præsens esse posset, si vellet, omnibus mundis & rebus possibilibus, si vellet ea producere (§. præc.). Ergo &c.

CAPUT X.

DE MISERICORDIA DEI.

§. 813.

Misericordia est promta voluntas ad impedienda & amovenda mala aliena vere talia.

§. 814.

I. *Misericordia est pars bonitatis respectivæ* (§. 545.), *quique bonus est erga alios, etiam misericors est, i. e. promtus ad mala aliena vere talia pro virili impedienda & amovenda.* Qui enim bonus est, promtus est ad promovendam felicitatem alienam: atqui hæc ex æquo promovetur sublatione malorum, quæ cum felicitate incompossibilia sunt, atque bonorum collatione.

§. 815.

II. *Quo excellentioribus remediis, quove pluribus, impedire & amovere aliena mala paratus est, quove ad hoc promtior est, & quo plurium miserabilium respectu; eo magis esse misericors quis censendus est.*

§. 816.

Fieri potest, & vero actu sæpe fit, ut mala tum moralia, tum physica, sint caussæ per accidens magnorum bonorum, & conditiones, sine quibus bona nunquam evenirent, in hypothesi nempe libertatis completæ (§§. 136. 137.); *cuius ope creaturæ rationales, uti bonis*

bonis abuti, ſic bene uti malis huius vitæ pro arbitrio poſſunt (§§. 225. 572.). Vide item §§. 565. 569.

§. 817.

Ad perfectam ergo miſericordiam non pertinet (etiam cum ſpectatis ſolis viribus quis id abſolute poſſet) impedire & amovere etiam ea mala aliena licet ſecundum ſe vere talia, quæ per accidens ita maximorum bonorum fore cauſſæ certo proſpiciuntur, ut ſine ipſis nec tanta bona, nec tanta aliorum felicitas, obtineri omnino poſſe intelligatur. Miſericordia enim reipſa pars & bonitatis reſpectivæ, ac proinde cum iſta pugnare, aut ad oppoſita inclinare voluntatem per ſe haud poteſt (§. 814.). Iam vero bonitatis abſolute ſummæ eſt cum omni promtitudine velle promovere alienam felicitatem reſpective ſummam, quantæ capaces aliis quicunque in actu ſecundo eſſe certo cognoſcuntur, quantamque procurare aliis in facultate eius eſt poſitum, qui ſumme bonus eſt in alios (§. 548.); atque hoc fine non dedecet permittere mala phyſica (§. 562.), & moralia (§. 567.); ſine quibus aliorum felicitas reſpective ſumma in præſens abſolute haud obtinenda certo prævidetur. Ergo neque ad perfectam miſericordiam pertinet &c.

§. 818.

Miſericordia itaque abſolute ſumma eſt, & omnis expers defectus, quæ perfecta promtitudine voluntatis, & quantum eſt in ſua facultate, impedit & amovet omnia ab aliis mala, ſine quibus aliena felicitas reſpective ſumma actu præſcitur eſſe obtinenda.

§. 819.

Deo per eſſentiam miſericordia abſolute ſumma competit. Competit enim illi per eſſentiam bonitas abſolute ſumma (§. 549.), cuius pars eſt miſeri-

cordia

cordia (§. 814.). *Deinde* Deus infallibiliter scit, quænam sint ea mala, sine quibus felicitas respective summa creaturarum rationalium actu esset obtinenda. Idem quoque pro potentia infinita potest ea omnia impedire & amovere, quæ ad eam felicitatem obtinendam haud necessarias conditiones, ac ne caussas quidem per accidens, esse novit. Ergo defectus meræ bonitatis esset, si non cum omni promtitudine illa omnia impedire & amovere vellet, i. e. nisi esset absolute summe misericors. Atqui in Deo nullus bonitatis esse defectus potest (§. 549.): ergo misericordia absolute summa ipsi per essentiam æque ac bonitas absolute summa competit.

§. 820.

I, *Misericordia Dei actu omnia mala physica & moralia impedit, quæ maximæ respective creaturarum rationalium beatitudini consequendæ obfutura prævidit, nec nisi ea permittit, sine quibus, ceu caussis per accidens & certis conditionibus, finem illum ultimum haud consequendum fore reipsa prævidit* (§§. 818. 819.).

II. *De Misericordia Dei iudicari non debet ex malis vitæ præsentis, sed, donec appareat, quantum boni exinde, ceu ex caussis per accidens, sit consecuturum in vita altera certissime secutura, hoc ipso, quod Deus illa non impediat, ex evidenter perspecta aliunde Misericordia Dei concludendum, Deum non nisi ex maximi boni exinde in creaturas rationales redundaturi infallibili, præscientia eadem permisisse.* Patet ex dictis §. 559. seq.

III. *De Dei Misericordia etiam non iudicandum est ex bono, quod ex malis huius vitæ ab eo permissis in unam quamlibet creaturam rationalem singillatim redundaturum est, sed ex bono universo maximo, quod ex eis respectu universitatis creaturarum rationalium ita consequetur, ut tantum boni sine omnium istorum malorum*

permissione, spectata etiam eius proportione ad mala actualia, nunquam esset reipsa extiturum (§. 558.).

IV. *Interim Dei Misericordia etiam a singulis creaturis rationalibus tantum malorum amolitur, quantum sine communis & universalis boni maximi detrimento, quod finis ultimi loco divina bonitas sibi actu propositum habet, impedire & amoliri potest* (§. 594.).

V. *Unde Dei Misericordia æque ac ipsa bonitas per Dei infinitam sapientiam perfecta sanctitate temperatur, id est, ex ipsa infinitæ perfectionis essentiæ divinæ virtute iustitiæ locum relinquere prorsus debet* (§§. 598. 603.).

§. 821.

VI. Cum sola mala moralia Theologice formaliter talia immediate proxime & positive opponantur bono illi maximo, quod pro fine ultimo sibi Deus proposuit (§. 409.); *evidens est, Dei misericordiam maxime effulgere debere in remediis, quæ malis istis moralibus Theologice formaliter talibus a creatura rationali, tum singillatim, tum universe amoliendis & impediendis aptissima sunt* (§§. 815. 819.).

§. 822.

VII. Cum mala moralia Theologice formaliter talia haud dubie omnium maxime oriantur ex necessitate morali, qua solis naturæ viribus relicti in præsentis vitæ statu a bono morali universe abstrahimur, & trahimur ad morale malum (§. 148.): *evidens est, Misericordiam Dei præcipuo quodam modo effulgere debere in remediis, quæ ad minuendam illam moralem necessitatem, id est, ad boni difficultatem elevandam, & infringendam facilitatem ad malum, aptissima nobis subministret.*

§. 823.

VIII. Cum necessitas illa moralis, qua a bono morali Theologico abstrahimur, & trahimur ad

malum ei oppositum, haud dubie oriatur tum ex falsa apparentia, qua inferiori nostro appetitui bona menti extrinseca quæcunque huius vitæ statui propria (§§. 223. 224. Psychol.) etiam tunc sub specie boni valde magni proponuntur, quando reipsa fini nostro ultimo, i. e. similitudini cum Deo, ceu beatitudini nostræ, per actus morales Theologice tales unice obtinendæ (§§. 101. 102. 103.), maxime opponuntur; tum ex obscura prorsus cognitione & insigni ignorantia, qua vel in cognoscendo Deo & æstimando bono illo laboramus, quod ex eius similitudine per actus distinctæ cognitionis & fervidi amoris complacentiæ, i. e. per actus morales Theologice formaliter bonos in nos esset redundaturum (§. 103.), vel etiam in æstimando malo æternæ infelicitatis, quod ex Dei ac divinæ similitudinis contemtu nobis est eventurum (§. 208.); tum vero cum ea necessitas moralis porro augeatur ex ipso frequenti mali moralis exercitio & inde contractis pravis habitibus in ipso inferiore appetitu (§. 149. II.): idcirco *evidens est, Dei Misericordiam maxime effulgere debere in auxiliis & remediis tum universalibus, tum singularibus, quæ creaturis rationalibus in præsentis vitæ statu suppeditet tum ad Dei, ac futuræ alterius vitæ bonorum æque ac malorum, quæ nos expectant, ignorantiam & obscuram cognitionem tollendam, tum ad corrigendum errorem deceptricis illius apparentiæ bonorum extrinsecorum huius vitæ statui propriorum, tum ad pravos inferioris appetitus habitus iam contractos aptissime vincendos.*

§. 824.

Experientia intima teste cuique compertum est, adversus Dei & futuræ vitæ bonorum ac malorum ignorantiam nulla nobis alia remedia mere naturalia vulgo suppetere quam communem omnibus naturæ sensum, qui tum de Dei existentia

iuxta

iuxta ac præcipuis perfectionibus, tum de alterius futuræ vitæ bonis & malis, nos omnes edocet; adversus ipsos vero corruptioris appetitus infimi habitus iam contractos omni apto remedio nos oppido ac prorsus destitui. Solo, inquam, sensus naturæ communis remedio naturali adversus Dei ignorationem ultimam vulgo in præsentis vitæ statu defendimur. Neque enim distinctæ rationis demonstrationes ad Dei ac divinarum rerum certam cognitionem obtinendam vulgo hominibus suppetere, imo istas minime omnium quadrare, illis non potest non esse longe evidentissimum ipso usu, qui res Theologicas accurata methodo demonstratas unquam intellectu percepere; atque istius rei vel ipsum præsentis operis molimen pro demonstratione servire potest. Iam vero sensus naturæ communis ipse remedium est in facillimis quibusdam casibus & occasionibus bene moraliter operandi sufficiens quidem, at de cetero ita obscurum, confusum, tamque innumeris contrariis tum exemplis, tum contradicentibus doctrinis, improborum hominum publice virtuti obstrepentium omni robore, auctoritate, & energia exutum, ut præsumi de absolute summa Dei Misericordia nec debeat, nec deceat, alio remedio necessitati communi ultimæ ab ea haud provisum esse. *Ipsa ergo necessitas nostra summa, qua altioribus Dei & naturæ superioribus auxiliis tum intellectus, tum voluntatis, maximopere indigemus, tum vero inprimis iusta de Misericordia Dei idea, dubitare haud nos sinit; quin Deus actu supernaturalibus auxiliis & intellectus nostri ignorantiæ circa res divinas, & voluntatis nostræ imbecillitati in agendo bono morali Theologico, & malo opposito morali vitando, benigne prospexerit.*

* Ecce tibi necessitatem divinæ revelationis supernaturaliumque auxiliorum moralem ex una parte demonstra-

tam

tam; ex altera vero parte certum indicium exiſtentiæ iſtorum; cuius ope Theiſta, genuina Theologiæ naturalis intellectione imbutus, facillime ad Chriſtianæ religionis veritatem agnoſcendam perducatur; quippe quæ ſola ex omnibus religionibus per orbem totum pervulgatis præſentiſſima, ſimulque ſumme excellentia, remedia dictis noſtris neceſſitatibus a Dei Miſericordia admirabilem maxime in modum actu adhibita eſſe edocet.

§. 825.

I. Deus, ceu abſolute ſumme beatus beatitudine prorſus invariabili, triſtitiam moleſtia quadam affligentem haud concipere poteſt ex malis noſtris quibuscunque (§§. 459. 465.), proindeque *Dei miſericordia ab omni illa imperfectione & moleſtia longiſſime abeſt, qua nos homines amicorum noſtrorum malis commiſerando affligimur: & in ſimplici voluntate benevola conſiſtit, qua promtus eſt Deus ad remedia malis noſtris, quantum illius ſapientiam & ſanctitatem decet, afferenda.*

II. Ob eandem rationem (§. præc.) *Deus, etſi perpetratione cuiuscunque mali moralis Theologice formaliter talis a nobis inſigni contemtu & iniuria afficiatur* (§. 175.), *tamen ſecundum ſe nihil usquam læditur, nec in beatitudiue ſua vel minimum turbatur* (§. 460.).

§. 826.

Qui natura ſua infinite miſericors, i. e. promtus eſt ad impedienda & amovenda mala aliena, is nullo pacto facilis ac præceps eſſe poteſt ad mala aliis, præſertim ultima & inſanabilia, inferenda, etiamſi ipſe ab eis contemtu & iniuria efficiatur; maxime ſi per eſſentiam ita ipſe beatus ſit, ut moleſtiam ex id genus contemtu ac iniuria perſentiſcere capax non ſit, qua ipſe in abſolutiſſima beatitudine ſua vel minimum turbetur. Iam vero

talis.

talis est Deus (§§. 813, 819. 825.). Quoniam ergo subtractio beatitudinis æternæ & pœnarum æternarum inflictio mala ultima sunt & insanabilia rationalis creaturæ; *evidens est, Deum infinite misericordem nullo pacto posse facilem ac præcipitem esse ad beatitudinem æternam ulli creaturæ rationali subtrahendam, & infligendas pœnas æternas, etiamsi ab ea malorum moralium Theologice formaliter talium perpetratione extrema iniuria & contemtu afficiatur* (§. 175.), *illaque id genus pœnam prorsus de condigno mereatur* (§. 733.): proinde *evidens quoque hoc ipso est, Deum sola necessitate iustitiæ suæ, quæ ipsum ex sapientiæ suæ consilio decet misericordiam iuxta ac bonitatem suam* (§. 820. V.) *erga singulares creaturas rationales ob communis boni universitatis earundem studium temperare, ad mala illa ultima & insanabilia creaturis rationalibus singillatim ob sua demerita infligenda urgeri.*

§ 826.

Qui tardus & minime facilis est ad vindicandas iniurias sibi ab alio illatas, *patiens & longanimis*, qui vero etiam omnem iræ affectus perturbationem in eodem casu cohibet, sed pristinam animi malaciam ac serenitatem retinet, quin & benevolentiam omnem erga male de se meritos conservat, *mansuetus* dicitur. *Clemens* denique appellatur, qui facilis est ad culpæ veniam condonandam & pœnas reo etiam bene commerito, cum citra communis boni periculum potest, remittendas, aut cum remitti omnino nequeunt, misericorditer, quantum licet, minuendas.

§. 827.

I. *Patientia, mansuetudo, & clementia gradus magnitudinis sortiuntur pro multitudine & gravitate iniuriarum sive demeritorum* (§§. 715. II. 732.), *&*

pro

pro magnitudine benevolentiæ, quam quis erga male de se meritum insuperhabita istius ingratitudine & malitia conservat.

II. *Patientia & mansuetudo in ferendis alienis iniuriis, iuxta ac clementia in eisdem remittendis, pars est misericordiæ ac bonitatis respectivæ* (§. 813. seq.).

§. 828.

Deus summe patiens est & mansuetus erga creaturas rationales licet male de se meritas. A priori quidem istud patet ex ipsa natura Misericordiæ Dei absolute summæ ex dictis §. 826. Nro. 1., uti & ex eo, quod nec perturbationis capax sit, quæ propria est iræ affectui respectu mali sibi cum vera molestia illati (§. 464.). *A posteriori* idem constat ex summe longanimi illa patientia & mansuetudine, qua Deus innumerabiles homines impios in hoc mundo usque ad vitæ illorum finem non modo tolerat, sed etiam summis & innumerabilibus beneficiis & prosperitatibus cumulat, illorum pœnitentiam expectans, ut ex §. seq. mox patebit: etsi totam scelerum illorum malitiam, præsentemque pravitatem cordis, atque obstinationem, intime perspectam ac præsentem habeat.

§. 829.

Dubitari non potest, quin Deus etiam summe clemens sit & facilis ad ignoscendum illis, quicunque ante vitæ finem de malis suis meritis pœnitentiam sinceram atque efficacem agunt. Evidens enim est, Deum summe misericordem sola necessitate iustitiæ suæ ob boni maioris communis studium adigi ad mala ultima & insanabilia, i. e. pœnas æternas, creaturæ rationali male de se meritæ infligendas (§. 826.). Ubi ubi ergo hæc necessitas Dei bonitatem & misericordiam non temperat, ibi liber huic locus est. Iam vero implacabilis severitas in quovis

vis malo morali Theologice formaliter tali, utut de se gravi, per ultimas pœnas æternas sine remissione puniendo commune bonum universitatis creaturarum rationalium, i. e. temporalem iuxta atque æternam beatitudinem illarum, adeo non promoveret, ut potius desperatio, primo cuique gravi piaculo admisso succedens, non modo ipsos impios ad ultima scelera obfirmaret, ac bonorum sortem in vitæ præsentis statu malis ultimis aggravaret, sed hoc ipso etiam in summum amittendæ probitatis & constantiæ, atque adeo & iacturæ beatitudinis, periculum adduceret (§§. 168. 169. 170. 822.); cum ex adverso clementiæ divinæ fiducia improbos a malitia extrema, & probos a desperatis istorum insectationibus præservet. Dubitari ergo non potest, quis &c.

* Tantum quidem de Dei etiam erga male meritos Misericordia sperare nos rationis, recta & clara Dei notitia illustratæ, lumen hortatur. At quantillum hoc est, si cum prodigiis illis id comparetur, quæ de eadem Christiana religio certitudine falli nescia nos edocet.

CAPUT XI.
QUÆ SIT ESSENTIA DEI, QUÆ ATTRIBUTA: QUISVE MODUS DEUM COGNOSCENDI.

§. 830.

Primum, quod in Deo concipimus, & ex quo cetera omnia, quæ eidem inesse cognoscimus, tanquam ex ratione sufficiente deducimus, est vis intellectiva infinita. Cum enim in demonstratione existentiæ & notionis Dei a posteriori incepimus, sive ex mundi corporei (§. 38.), sive ex animæ nostræ rationalis (§§. 41. 42.), ceu Dei effectuum, intuitu ad Dei ceu caussæ efficientis notionem progressi, utrobique ultimo ad entis vi intellectiva infinite perfecta præditi notionem

tionem iuxta atque existentiam pervenimus (§.48.), neque deinceps aliquod in Deo prædicatum concepimus, quod istius ratio esset, aut eodem prius quocunque modo. Pariter a priori demonstrantes Deum primo eius infinitudinem demonstravimus (§. 57.); qualitatem autem perfectionis eiusdem rursus ex perfectione essentiali animæ nostræ intulimus esse intellectivam vim infinitam (§§. 62. 64. 67.); quin usquam aliquid vi ista prius in Deo conciperemus. Itaque vis intellectiva infinita primum est omnium, quod in Deo concipimus. *Hoc primum.* Porro sicuti voluntas in anima nostra vis intellectualis eidem essentialis attributum est (§. 400. seqq. Psychol.); ita quoque ex Dei intellectu infinito voluntatem Dei se ipso delectantis infinite perfectam a priori intulimus (§§. 68. 69.). Tum vero possibilitate entium finitorum ex ipsa Dei infinitudine ostensa (§§. 71. 72.), Deo vim quoque agendi ad extra infinitam (§. 75.) id est, omnipotentiam (§. 491.), cum voluntate benevolentissima agendi ad extra (§. 369. II.), ex sola infinitudine perfectionis divinæ essentialis eam inferendo (§§. citt.), vindicavimus, ceu rationem sufficientem existentiæ rerum omnium extra Deum (§. 509.). Iam vero tota ista tam voluntas agendi ad extra, quam ipsa omnipotentia, ad effectum ultimum alium non collimat, quam ad beatitudinem rationalium creaturarum in perfecta Dei cognitione seu intellectione, & amore inde nato, unice consistentem (§§. 369. II. 108. 103.), nec quidquam voluntate illa & vi agendi ad extra Deus efficit, nisi quod aptitudine quadam creaturis rationalibus ad Dei perfectam illam intellectionem promovendis serviat (§. 95.). Tam ergo voluntas illa agendi ad extra, quam ipsa vis activa omnipotentiæ, in vi intellectiva Deo essentiali infinite perfecta, i. e. ad omnem possibilem

intellectionem efficiendam, tum intra, tum extra Deum, se activa virtute sua extendente, ceu in ratione sua sufficiente iam continetur. Iam vero ex eadem divini intellectus infinita perfectione deinceps omniscientiam & sapientiam, ex voluntatis vero divinæ ceu primarii attributi item perfectione infinita sanctitatem, bonitatem, iustitiam, providentiam, misericordiam, ratiocinando constanter a priori intulimus tanquam ex ratione sua sufficiente: præter quæ porro nihil de Deo nobis ultra cognoscere est datum. Cuncta ergo cetera, quæ Deo inesse cognoscimus, ex vi intellectiva Dei infinita ceu ex ratione sufficiente deducimus: *quod erat alterum.*

§. 831.

I. *Dei ergo essentia in vi intellectiva infinita consistit, proindeque Deus definiri potest, quod sit Spiritus infinite perfectus.* Essentia enim cuiusque rei in eo consistit, quod est primum in ipsa, & simul ratio sufficiens, cur cetera omnia quæ porro insunt in eadem, aut actu insint, aut saltem cur inesse possint (§§. 48. 49. Ont.). Atqui per §. præc. vis intellectiva infinita in Deo sic primum est &c. &c. *Alterum* ex §. 490. patet.

* Si velis Dei essentiam esse, quod sit ens a se; nota, infinito alioquin proprium esse, ut sit ens a se. Interim per rationem entis a se quidem discrimen *existentiæ* divinæ ab existentia creaturarum, at non tam distincte qualitas *essentiæ* divinæ exprimitur. Quodsi malis omnium perfectionum cumulum dici essentiam divinam, nota, non omnes perfectiones formaliter ad essentiam pertinere, sed alias attributorum instar se habere, ut mox dicetur.

§. 832.

II. *Ceteræ perfectiones omnes divinæ, puta, omniscientia, sapientia, omnipotentia, divinæ voluntatis sanctitas,*

ctitas, bonitas respectiva, iustitia, providentia, misericordia, attributorum instar se habent in Deo. Omnes enim, cur insint Deo, in infinitæ perfecta vi intellectiva rationem habent sufficientem (§. 49. Ont. & §. 830.).

§. 833.

III. *Omnia Dei decreta, prædefinitiva, & permissiva, ad creationem, conservationem, & gubernationem mundi huius spectantia, ceu libera* (§§. 237. seq. 431.), *uti & scientiæ contingentes, nempe mediæ directæ, & scientiæ visionis absolutæ contingentes, tam soli Deo liberæ quam liberæ etiam creaturis* (§§. 278.), *ut modorum analoga se habent in Deo.* Omnia enim hæc Deo insunt ab æterno immutabiliter (§§. 23. 48. I. IV. item §§. 352. 354. 478. seq.), attamen variabiliter hoc ipso, quod contingenter ex determinatione vel Deo, vel creaturæ libera. Vide §. 118. not. Ontol.

§. 834.

IV. *Conscientia seu intellectio sui ipsius reflexa, sicut & amor sui reflexus in Deo* (§§. 66. 68.), *nec per modum essentialium determinationum, nec per modum attributorum, se habent, nec ut modorum analoga; sed ad conscientiam directam instar principiatorum ad suum principium se habent* (§. 197. Ont.). Neque enim prima sunt, quæ in Deo concipiuntur, sed per vim intellectivam & conscientiam directam a priori naturæ determinantur determinatione prorsus necessaria (§§. 66. II. III. IV. 69. 70.). Iam hoc neque attributis convenit, quæ solum nostro cognoscendi modo ab essentialibus distinguuntur, & his formaliter, non natura, id est, existendi ordine, posteria sunt, nec utique ab illis ceu a principio suo physico ad existentiam actione determinantur; neque modorum analogis, quæ haud necessario, sed variabiliter insunt (§. 49. Ont.); prorsus tamen id cum

principii & principiati notionibus §. 197. Ont. datis convenit.

* Ex his obscurum quoddam summi Mysterii SS. Trinitatis, quod distinctius christiana docet religio, nos habere vel sola ratione magistra indicium, iam §. 70. not. adnotavi.

§. 835.

Deus est substantia. Habet enim quasdam determinationes primas constantes, simulque variabilium capax est (§§. 830. 833.), quod substantiæ proprium est (§. 58. Ont.).

§. 836.

Deus vivit ab æterno, eiusque vita in continuo immutabili actu intellectus & voluntatis, directo, & reflexo, necessario partim, partim contingente, partim etiam libero, consistit. Vita enim in actione immanente consistit (§. 208. not. Ont.). Iam vero tam directa quam reflexa Dei conscientia, qua Deus obiecta necessariæ suæ scientiæ, simplicis intelligentiæ nimirum, & scientiæ visionis necessariæ (§§. 353. 286. 292.), intuetur; item amor complacentiæ Dei tam directus quam reflexus, idemque necessarius (§. 69.); scientiæ quoque mediæ directæ, contingentes quidem in Deo, at non ipsi Deo liberæ; ac demum decreta agendi ad extra, contingentia simul ac Deo libera, meræ sunt actiones immanentes, i. e. vitales, in Deo, simulque ab æterno immutabiliter ac perpetuo existentes. Deus itaque vivit ab æterno &c. &c.

§. 837.

Ens unum dicitur *speculum rei alterius*, si earum determinationum, quæ ipsi insunt, cognitio sit principium cognitionis, seu scientiæ, rei alterius (§§. 16. 204. not. Ont.

§. 838.

§. 838.

Mens humana ſpeculum eſt corporis proprii. Intuitus enim idearum ſenſibilium, ſeu conſcientia prima, qua mens conſcia eſt impreſſionum, quas corpus viribus motricibus elementorum ſuorum in ipſam facit, principium eſt cognitionis tam de ipſis viribus elementorum corpus componentium, quam de modo compoſitionis æque ac mutationum omnium corporis organorum (§. 15. Pſych.). Iam vero ideæ ſenſibiles ipſius mentis intrinſecæ determinationes ſunt. Ergo cognitio determinationum menti intrinſecarum principium eſt cognitionis corporis proprii, adeoque mens corporis proprii verum ſpeculum eſt.

§. 839.

Corpus cuiusque proprium ſpeculum eſt mundi. Cum enim ope idearum ſenſibilium a corpore proprio immediate acceptarum cognoſcimus mutationes corporis noſtri, quas iſtud actione corporum quorumcunque totum hunc mundum componentium perpetuo ſubit in ſingulis organis omnium ſenſuum externorum, idemque ab omnibus corporibus extraneis totoque mundo reliquo huius cognitionis ope diſcernimus (§. 15. Pſych.); quid totus mundus præſens agat in corpus noſtrum, qualis natura elementorum ipſum componentium, qualis horum compoſitio ſit in extraneis corporibus, quas iſta perpetuo mutationes ſubeant, inde dignoſcimus, & proin ex effectuum indole cauſſæ efficientis ſtatum intrinſecum & naturam inferimus. Rurſus ergo cognitio determinationum intrinſecarum corporis noſtri principium eſt cognitionis omnis noſtræ de mundo corporeo, adeoque corpus noſtrum pro mundi ſpeculo ſervit nobis.

§. 840.

Tam anima nostra, quam mundus totus speculum Dei est. Cognitio enim animæ nostræ atque mundi istius totius demonstrationis existentiæ Dei a posteriori sub ratione etiam entis intellectivi infinite perfecti principium fuit, ex qua notione omnis reliqua nostra de Deo cognitio velut ex principio deducta fuit (§. 15. seqq.). Vide iam pridem dicta §. 409. not. 2. Psychol.

§. 841.

Tota cognitio Dei, quam seu ex anima nostra, seu ex mundo hoc universo, tanquam divinitatis speculis, haurimus, abstracta est, nec Dei infinitudinem attingit. Quidquid enim in anima & toto mundo perfectionis invenimus, ceu in effectibus, Deo ceu caussæ efficienti seorsim ab imperfectionibus tribuimus. Iam vero hoc non est nisi abstrahere perfectiones creatas & creaturarum proprias a suis limitibus (§. 57. Log.), sicque abstractas sibi repræsentare ut Deo proprias. Iam vero, sicuti perfectiones omnes creaturis propriæ finitæ sunt, ita nec cognitio ista abstracta Deo perfectiones creaturarum tribuens, per se & qua talis, Dei infinitudinem ullo pacto attingit.

§. 842.

Ratio tamen humana ope facultatis fingendi infinitatem Dei utcunque obscure attingit, atque hæc ipsa divinæ infinitatis cognitio præcipuum & necessarium principium est omnis perfectioris paullo nostræ de Deo cognitionis. Cum enim perfectiones creatas a limitibus suis abstractas Deo tribuimus (§. præc.), ceu illarum caussæ efficienti, necdum Deum, omnibus licet creaturarum perfectionibus instructum, cur existat, & cur talis potius quam alius sit, ratione intelligimus; donec loco limitum omnium, quæ creaturis insunt, realitates etiam his oppositas simul

omnes

omnes Deo ceu enti infinito affingamus primum (§. 107. Psych.) tum vero etiam in Deo esse compossibiles (§. 55.), ac demum reipsa coëxistere (§§. 57. 48.), tum a priori, tum a posteriori demonstremus. Ratio ergo ope facultatis fingendi Deum ut infinitum, i. e. infinitatem Dei, aliquo modo attingit: *quod primum.* Interim tota ista divinæ infinitatis cognitio excessum infinitæ perfectionis divinæ supra congeriem totius perfectionis abstractæ a creaturis non alia sub nota quam realitatum, id est, sub communi summo entis genere, attingit, proindeque ceu nihil distinguens obscurissima est (§§. 81. 83. Log.): *quod alterum.* Nihilominus absque infinitatis divinæ cognitione nec unitatem Dei (§§. 52. 58.), nec omniscientiam (§§. 271. 344. 345.), nec potentiam infinitam (§§. 75. 492.), nec infinitam bonitatem (§. 549.) demonstrare possemus. Et cum ex istis perfectionibus, imo ex sola vi intellectiva infinite perfecta qua tali, omnes aliæ perfectiones divinæ qua tales, i. e. qua infinitæ, demonstrentur (§. 830.); evidens est, illam licet utcunque confusam infinitatis Dei in genere cognitionem præcipuum maximeque necessarium omnis perfectioris de Deo cognitionis nostræ principuum esse.

*** Atque ex præsente propositione meritum demonstrationis Dei sub ratione immediata entis infiniti, quæ a priori adornata est §. 53. seqq., æstimare licet; quippe quæ, cum multo simplicior, multoque etiam minus subtilis sit, quam divinæ infinitatis a posteriori demonstratio, §. 48. data, in præcipui principii cognitionem evidentem via facillima nos ducit, cui totius theologiæ naturalis scientia inædificatur.**

CAPUT XII.

DE ATHEISMO ET ALIIS AGNATIS ERRORIBUS.

ARTICULUS I.

DE ATHEISMO.

§. 843.

Atheus est, qui iudicat, non existere Deum, hoc est, ens infinite perfectum, ac mundi huius totius auctorem.

§. 844.

I. *Atheo suppetere debet aliqua Dei notio:* secus iudicio negativo a Deo tanquam subiecto non posset removere existentiam ceu prædicatum.

II. *Dei notionem aut impossibilem iudicat Atheus, aut non continere rationem sufficientem existentiæ suæ propriæ.* Alterutrum enim ad falsitatem realem iudicii affirmativi requiritur (§§. 170. 171. 177. I. Log.).

III. *Si Dei notionem impossibilem iudicat, aut contradictionem illi inesse ostendere debet, aut saltem iudicare, ipsius possibilitatem item non posse ostendi.*

§. 845.

Atheus vulgo non negat in notione Dei, quam habet, rationem existentiæ eiusdem contineri, sed negat, eam notionem esse possibilem, ac solum idealem esse aut iudicat, aut supponit. Tenet enim, mundum hunc existere a se ipso, ac propterea Deo opus non esse: ergo rationem entis a se Dei, ceu entis mundo multo perfectioris, notioni inesse posse, si aliunde possibilis illa sit, prudenter negare non potest. Itaque per II. §. præc. negat vulgo, Dei notionem esse possibilem.

§. 846.

Atheus demonstrare non potest, Dei notionem esse impos-

impossibilem, sed praecise ex supposito, quod mundus iste sibi ipsi, ceu ens a se, sufficiat, supponit quoque absque demonstratione, Dei notionem esse arbitraria determinatione formatam, & hoc ipso, quod possibilis esse non demonstretur, non esse attendendam. Nuspiam enim demonstrationem aliquam Atheos iactare legimus de impossibilitate notionis divinae, sed solam Dei necessitatem ex eo negant, quod mundus ipse sibi sufficiat.

§. 847.

Praecipua ergo capita, quae adversus Atheum demonstrare oportet, haec duo sunt, mundum a se ipso non existere, & Dei notionem possibilem esse. Primi enim demonstratio necessitatem illi imponit, aut pariter demonstrandi impossibilitatem notionis Dei, aut eius existentiam vi demonstrationis apogogicae (§. 15.) admittendi, etsi de possibilitate ipsa distincta demonstratione ipsi non constet. Alterius vero simul demonstratio omne ipsi effugium eripiet, simulque in clara luce evidentiae ac demonstrationis a priori ponet (§. 280. not. 2. Log.).

§. 848.

Atheus aut sensum communem naturae, quem (cum Dei notione non careat §. 44. I.) *de existentia Dei haud dubie habet, praecise repudiat, quia eiusdem veritatem demonstrare non potest, aut pro demonstratis habet, quae nos esse impossibilia demonstravimus de casu puro* (§. 61. not. 2.), *de regressu rectilineo, vel circulari* (§. 17. seqq.), *& de concursu caussarum fortuito &c. &c.*

§. 849.

Omnis Atheus aut mala voluntate, aut tenui iudicio laborat. Quodsi enim pro demonstratis habeat, quae evidenter impossibilia sunt, tenui iudicio laborat. Sin absque demonstratione etiam ideali sensum communem naturae repudiet, rursus aut tenui-

tate iudicii ſaltem id facit, quo iſtius criterii veritatem infallibilem non penetrat (§. 287. Log.), aut ſola voluntatis malitia (§. 5.).

§. 850.

Poſſunt dari Athei. Fieri enim poteſt perfacile, ut aliqui demonſtrationum noſtrarum evidentiam non intelligant ex Logices præcipue defectu; fierique ſimul poteſt, ut iidem pro libertate ſua ſenſum communem naturæ repudient (§. 283. VII, Log.), aut eius infallibilitatem non agnoſcant: ergo hoc ipſo iidem Athei eſſe poſſunt (§. 848.).

§. 851.

Poſſunt ergo a fortiori dari, qui de exiſtentia Dei dubitent. Sicut enim, qui Atheus eſt, Deum non negat neceſſitate aliqua; ita & ſuſpendere aſſenſum negativum, i. e. dubitare, poteſt.

§. 852.

Impoſſibile non eſt etiam hominem cetera rationis compotem aliquando tempore ita ignorare Deum, ut omni diſtinctiore ſaltem Dei notione careat. Dei enim notio innata non eſt (§. 113. Log.), ſed reflexione ſuper mundi iſtius univerſi & animæ noſtræ natura & origine acquiritur; cum ſimul compoſitione limites a mundi & animæ noſtræ perfectionibus removentes utriusque auctori perfectionem infinitam tribuimus. Enimvero fieri utique poteſt, ut quis inter ſylvas aut in barbara rudique gente adoleſcens, ac cetera rationis ſat compos, omni iſtiusmodi reflexione ſuperſedeat. Ergo nec impoſſibile eſt &c. &c.

§. 853.

Attamen fieri non poteſt, ut quis vel mediocri reflexione propoſitæ ſibi ſemel quæſtioni de ſupremi numinis exiſtentia intendat, nec tamen ſenſu communi naturæ eiusdem exiſtentiam ex ſolis confuſis Dei & exiſtentiæ notio-

notionibus edoceatur. Tametſi enim demonſtrationum Cap. I. a nobis propoſitarum acumen attingere pauciſſimi capaces ſint ex vulgo hominum; tamen, ut ex Art. III. Cap. I. conſtat, vel confuſæ notiones cuique vel mediocriter attento ex obvia mundi & animæ ſuæ contemplatione Dei exiſtentiam ita certam reddunt, ut dubitare prudenter nequeat; modo aliunde ſenſus communis naturæ criterium robore ſuo reſpectu ipſius non exuatur. Vide dicta §. 824. & §. 287. Log.

§. 854.

Notio Dei exiſtentis a Politicis conficta non eſt plebis indomitæ coërcendæ cauſſa. Ens fictum etenim eſt, cui ratio entis aut exiſtentiæ tribuitur, licet eidem repugnet; item quod ſubſtat ideæ deceptrici (§§. 44. 45. I. Ont.). Atqui oppoſitum utriusque tum nos demonſtravimus, tum ſenſus communis naturæ docet, qui non fingit, ſed infallibili criterio veritatis per ſe præditus eſt (§. 287. Log.).

* Non negaverim, aliquando Politicos fuiſſe, qui ipſi aut Athei fuerint, aut de exiſtentia Dei dubitarint, & nihilominus Dei exiſtentiam veluti vindicis malorum populo iactaverint, ceu ad domandam iſtius ferociam aptiſſimam. Aſt per accidens hoc eſt, nec demonſtrationis veritatem, nec veram entis cuiusque exiſtentiam, ſola rudium quorumdam ignoratio tollere poteſt utique.

** Sed quoniam Atheorum unicum ferme aut præcipuum ſaltem argumentum Apogogicum eſt, quo contra Dei exiſtentiam pugnare indirecte ſolent, ſcilicet exiſtentia malorum phyſicorum & moralium in hoc mundo; ex quo inferunt, iſtum ab auctore Deo, ente perfectiſſimo, eſſe haud poſſe: idcirco opus eſt, huic quoque Atheo prætextum prorſus eripere. Sit ergo

§. 855.

Deo etiam ut enti optimo & perfectiſſimo non conveniebat creaturis rationalibus occaſionem eius gloriæ eripere

pere, quæ ex proprio merito in eas redundaret, quo libertatis sibi relictæ adminiculo ipsæ tum Deo auctori suæ summam redderent gloriam, tum beatitudinem propriam æternam consequerentur. Demonstratio huius thesis data est (§§. 136. 132. 606. 607. 739.

§. 856.

Supposito hoc principio, quo Deus beatitudinem merito proprio a rationalibus creaturis acquirendam pro fine creationis ultimo libere constituerit, prout sapienter potuit (§. præc.), *necesse erat statum mundi atque vitæ humanæ malis physicis & moralibus expositum felicissimo illi statui perfectæ beatitudinis præmittere, in quo libertati ac merito locus esset* (§§. 561. seqq.), *imo omnia istius vitæ bona, inferiori maxime appetitui respondentia, consultum erat amaritudine quadam infici, ne illorum aviditate immoderata ducti a studio & consectatione assidua futuræ vitæ bonorum excellentissimorum avocaremur.* Lege maxime dicta a §. 570. & toto illo Art. III. Capitis VII. Item §§. 498. 499. 401.

§. 857.

Atheus ergo *loco eius, ut ex malorum istius vitæ existentia Dei ceu entis perfectissimi existentiam neget, perspecta semel evidenti istius summi & excellentissimi enti demonstratione a posteriori iuxta atque a priori, inferre nobiscum ex ipsa illius perfectione infinita deberet alterius cuiusdam futuræ vitæ existentiam ab eodem ente & sapientissimo iuxta ac iustissimo mundi gubernatore constitutam, in quo & bonis præmii loco æterna beatitudo ab immensa illius entis bonitate, & malis pœnæ loco æterna infelicitas ab eiusdem iustitia reddenda sit.* Vide istius illationis evidentem demonstrationem §§. 179. 182. 186. 190. seqq. 203. seqq. item §. 450. §. 668. 733.

* Ex adverso, quicunque ad istam illationem Atheum non manuducunt, sed cum Ill. Wolfio præcise, argumento reipsa mere Apogogico, ex infinita Dei perfectione

mundi

mundi iſtius ſummam perfectionem inferunt, quibuscunque malis non impediendam, nihil prorſus adverſus Atheum in hac parte efficiunt. Tota enim Wolfii argumentatio hæc eſt. 1. *Deus, ens infinite perfectum, non poteſt eligere ex pluribus poſſibilibus, niſi quod eſt ex illis omnibus optimum: ergo cum hunc mundum elegerit, is omnium poſſibilium optimus eſt.* 2. *Mala huic mundo propria cum bonis eiusdem ita innectuntur, ut nec bona ſine eisdem malis exiſterent, nec ſublatis malis idem mundus exiſteret. Ergo cum optimus idem omnium poſſibilium ſit; ut Deus optimum faceret, ipſa mala permittere debuit: ergo quod actu permiſerit, quo minus Deus ipſe optimus ſit, & eſſe credatur; obſtare non poteſt.* At huic argumentationi facillime Atheus ita reſpondet. *Longe evidentiſſimum eſt, omnia huius mundi mala accidentalia eſſe ipſarum ſubſtantiarum reſpectu, quæ ipſum componunt: tolli ergo ſalvis ſubſtantiis illis mala omnia poſſunt ſecundum ſe, proindeque mundus, aut certe mundi ſtatus, præſente melior evidenter poſſibilis eſt* (vide §. 498.). 2. *Quoniam ergo, ipſo Wolfio maxime aſſirmante, ens perfectiſſimum, ſi exiſteret, mundum optimum creare debuiſſet, nec tamen mundus optimus reipſa creatus fuerit, ens perfectiſſimum, quod Wolfius oſtentat, exiſtere reipſa haud poteſt.* Vide §. 551. Quidquid ergo Ill. Wolfius Theol. Nat. P. II. §. 497. & ſeqq. ad ſui excuſationem afferre contendit, optime egiſſe cauſſam adverſus Atheos gloriari non poteſt, libertate inprimis ſublata, negatoque, alterius vitæ prœmia & pœnas ſolo rationis lumine poſſe probari.

§. 858.

Mundus materialiter optimus dicitur, qui phyſica & metaphyſica bonitate tanta actu eſt præditus, qua maior in ullo poſſibilis non eſt (§§. 109. 111.). *Mundus formaliter optimus* appellatur, qui fini ſecundum ſe omnium poſſibilium optimo (§. 533.) reipſa conſequendo medium eſt omnium poſſibilium aptiſſimum (§. 534.).

§. 859.

§. 859.

Mundus iste adspectabilis, secundum huius vitæ omnem statum spectatus, non est materialiter optimus. Malis enim physicis innumeris scatet, id est, reipsa accidentalibus respectu essentiæ substantiarum simplicium, ex quibus idem componitur; quæ proinde miraculis saltem tolli a Deo ente omnipotente possent (§§. 122. & §. 259. seq.), & in alio etiam naturaliter abesse possent, vel ope alterius compositionis, vel mediantibus nobilioribus substantiis componentibus (§. 497.). Itaque alius mundus, aut certe mundi status physice melior possibilis est (§. 498.), adeoque hic præsens materialiter optimus haud est.

§. 860.

Mundus iste formaliter optimus est. Finis enim creationis ultimus secundum se omnium possibilium optimus est, ceu infinitæ Dei sapientiæ & bonitati conformis (§§. 555. 533. seqq.): nec minus media, tam bona nimirum, quam mala huius vitæ, quæ Deus in hoc mundo ad illum finem consequendum adhibuit, itidem sapientiæ Dei ac bonitate perfecte respondent (§§. 556. 589.), proindeque ad finem illum aptissima sunt (§§. 534. seq.). Ergo per §. 858. hic ipse mundus formaliter optimus est.

* *Neque dicas* 1. melior finis esset, si beatitudo libero merito ab omnibus obtenta, 2. vel beatitudo saltem sine omni merito præcise per modum boni physici instar meræ gratiæ a Deo omnibus collata, pro fine ultimo constituta fuisset. *Nam resp.* Primi possibilitas supposito, quod Deus, dominio suo physico cedens, libertatem semel indulgere libere velit, iam non a Deo dependet, sed a libertate creaturarum (§. 641.). Vide §. 379. *Alterum* falsum esse ex §. 855. & eius demonstrationibus ibidem citatis constat.

ARTI-

ARTICULUS II.

DE ANTHROPOMORPHISMO, MATERIALISMO, & SPINOSISMO.

§. 861.

Anthropomorphiſmus eſt error, quo Deus fingitur ad modum hominis. *Craſſus* eſt, quo Deo corpus humanum tribuitur; *ſubtilis*, quo eidem ut mero ſpiritui limitationes animæ humanæ affinguntur.

* In primitiva Chriſtiana Eccleſia error craſſioris etiam Anthropomorphismi ex præpoſtera S. Scripturæ intellectione non erat infrequens.

§. 862.

Materialismus eſt error, quo non admittitur exiſtentia alterius entis quam corporei, ac proinde, ſi Dei exiſtentia affirmatur, idem corporeus concipitur.

§. 863.

Materialismus plene refutatur, cum mens humana incorporea ac ſimplex eſſe oſtenditur. Cum enim Deum quoque non niſi idcirco corporeum concipiant Materialiſtæ, quod nullum exiſtere ens niſi corporeum præſumant (§. præc.); oſtenſo, mentem humanam ob ipſam vim intellectivam, qua pollet, eſſe ſimplicem & incorpoream, fundamentum omne Materialismi evertitur, & a fortiori Deus, ceu mentis humanæ auctor, & vi intelligendi infinita præditus (§§. 46. 67.), ſimplex eſſe & incorporeus evincitur (§. 60.).

§. 864.

Anthropomorphismus craſſus æque ac ſubtilis oſtenſa Dei infinitudine ex æquo pleniſſime evertitur. Infinitudo enim ex æquo animæ humanæ, ceu entis finiti, limitationes a Deo excludit, ac corpus humanum; quod per eſſentiam partibus realiter diſtinctis, i. e. limites involventibus (§§. 62. 25. 110. III. IV. V. VI.), nec cum ente infinito compoſſibilibus, conſtat.

§. 865.

§. 865.

Spinosismus dicitur hypothesis a Benedicto de Spinoza Amstelodamensi Batavo seculo proximo superiore inventa & propugnata, qua non admittitur existere nisi unica substantia, infinitis attributis essentialibus prædita, quorum duo sint cogitatio & extensio infinita, necessaria tamen modificatione sibi continuo succedente infinitis modis modificabilis; atque hæc unica substantia dicitur esse id ipsum, quod Deum vulgo vocamus. *Deus* ergo *ex mente Spinozæ* est substantia infinite perfecta, i. e. notis essentialibus infinitis constans, quarum duæ tantum nobis sunt perspectæ, nempe quod sit res infinite extensa, & res cogitans. Secundum easdem duas notas divina hæc substantia est modis infinitis, i. e. extensionis specie (e. g. figura) & cogitationis qualitate, in infinitum aliter atque aliter, modificabilis, ut necessaria successione una extensionis modificatio alteri, & una itidem in specie cogitatio alteri, ita succedat, ut singulæ id genus modificationes tum in natura & essentia substantiæ divinæ, tum in modificatione homogenea anteriore, rationem absolute sufficientem & necessariam habeant. Modos istos Dei attributorum essentialium, tenet Spinoza, esse id ipsum, quod nos Dei creaturas, *res finitas,* corpora, & animas humanas, dicimus, ex quorum aggregato mnndus is, quem dicimus, componatur.

§. 866.

I. *Spinoza rebus finitis, i. e. corporibus, & mentibus humanis, substantialitatem abiudicat;* quia meras Dei modificationes eadem constituit.

II. *Spinoza negat distinctionem realem inter Deum & res finitas intercedere, nec nisi modalem distinctionem, tum inter Deum & finita, tum inter unum finitum atque alte-*

alterum, intercedere affirmat, ob eandem rationem (§§. 64. 67. Ont.).

III. *Successionem modorum proprie talium* (*i.e. non tantum analoga modorum*) *in Deo admittit* (§.49.Ont.).

IV. *Necessitatem absolutam atque universalem in Deo æque ac in finitis rebus universis inducit.* Eadem enim lege vi naturæ divinæ tam extensionis quam cogitationis modificationes in Deo ex mente Spinozæ succedunt.

§. 867.

PRINCIPIA SPINOSISMI sequentia sunt. 1.) *Substantiam* Spinoza definit esse id, quod in se est, & per se concipitur. Cuius definitionis sensus reipsa est, substantiam *esse, quæ per se ipsam existit, & per se ipsam* (i.e. sine alia) *concipi potest.*

2.) *Modum* Spinoza definit esse id, quod in alio est, per aliud (i.e. non sine alio) concipitur. Sensus definitionis reipsa est, modum *esse id, quod per aliud existit, nec sine alio concipi potest.*

Infert hinc Spinoza I. *corpora, & mentes humanas, non esse substantias, sed modos tantum entis* (*seu substantiæ*) *infiniti*: quia non per se existunt, nec ut per se existentia concipi possunt.

3.) *Negat* Spinoza *duas substantias eiusdem speciei*, hoc est, eandem essentiam communem habentes, *existere posse;* quia non distinguerentur a se invicem, videlicet ob defectum discriminis; *imo nec posse dari duas substantias diversæ essentiæ;* quia realitates unius identificarentur cum realitatibus alterius, proindeque tollerentur utrinque negationes, discrimen & distinctionem inferentes, nec adeo id genus substantiis distinctionis realis ratio sufficiens inesset (§§. 62. 67. Ont.).

* Præsentis principii Spinozæ fundamentum genuinum subtilitate sua Ill. Wolfii acumen effugisse videtur in Theol. Nat. P. II. §. 697. Neque enim id præcise Spinoza

intulisse videtur ex eo, quod duo entia a se, ceu infinita, dari non possint, quibuscum (ut mox dicemus) substantias confundit (§§. 48. 49. 74. I.); sed ex eo, quod, ceu per se existentes, seu finitæ, seu infinitæ, meris realitatibus constarent, ac per rationem existentiæ sui ipsarum non nisi meras realitates in se determinarent, quæ solæ discriminis, seu distinctionis realis, rationem sufficientem non conficerent.

Infert inde II. *nullam dari Deum inter & res finitas, quas vocamus, distinctionem realem, sed istas Dei respectu modorum instar se habere, & modorum instar etiam inter se differre.*

* Hæc præcipua capita Spinosismi characterem conficiunt. Cetera, quæ porro adnotari possent, vel in his continentur, vel extranea plane sunt.

§. 868.

I. *Spinoza rebus finitis omnem vim activam abiudicat, solique Deo omnem reservat, ceu enti unico, modos suos vi naturalis suæ infinitæ efficaciæ perpetua serie producentis.*

II. *Idem naturam rebus finitis omnem abiudicat, & eius vires Deo proprias facit.* Natura enim in vi activa substantiali consistit, modos producente (§. 748. & §. 284. Cosmol.).

* Refutaturus Spinozam principia illius præcipua evertere debet, ut rem confectam det; quod proin modo aggrediar.

§. 869.

Spinoza substantiam male confundit cum ente a se. Duo enim reipsa diversa sunt, sine alio posse concipi, & sine alio posse existere, quodque evidenter concipi potest sine alio, i. e. omnis finita substantia (§. 71.), fieri potest, ut tamen per se, i. e. a se ipso, non existat (§. 113. Ont. & supra hic §. 73.).

§. 870.

§. 870.

Id itaque quod res finitæ, corpora, & mentes humanæ, non sint entia a se, non obstat, quo minus substantiæ (i. e. res primis quibusdam ac constantibus notis prædita, eademque aliarum variabilium notarum capaces, §. 58. Ont.) esse possint.

§. 871.

Modi, quos Spinoza Deo entique infinito ipsi inesse, huiusque unius actione produci vult (§. 866. II.), *vere finiti essent, & cum defectibus realibus actu coniuncti, proindeque Deus a Spinoza ex ente infinito revera mutatur in finitum.* Succederent enim sibi continua serie absoluta cum necessitate in ipso Deo ceu illorum proprio subiecto (§. cit. II. III.), proindeque ceu veræ realitates nunc existerent in Deo, qui ante non extiterant, sed defecerant in Deo reipsa. Ergo in Deo ipsisque modis Deo actu insitis singulis momentis tot erunt defectus, quot modi deinceps primum succedent. Ergo tam modi, quos Spinoza Deo attribuit, quam ipse Deus, repræsentantur ut finiti, adeoque Deus ex ente.

§. 872.

Substantiæ finitæ, tum a Deo, tum a se ipsis invicem realiter distinctæ, possibiles sunt; & si existant, actu realiter a Deo & se ipsis invicem distinguentur. Possibilitas intrinseca earum iuxta atque extrinseca a priori demonstrata est §§. 71. 72. ubi ostendimus possibilia esse entia finita, id est, substantias constantibus determinationibus essentialibus præditas, & modorum capaces, ita quidem, ut determinationes illæ substantiales ex parte reales essent, ex parte autem (quatenus nimirum finitæ & limitatæ per essentiam ipsam sunt) negativæ; item tales substantias, etsi ad existentiam per se indifferentes sint (§. 113. Ont.), tamen rationem existentiæ sufficientem habere posse in ente infini-

to, præſertim libero; quale ens liberum reipſa Deum eſſe a §. 237. item oſtenſum fuit: *hoc primum.* Quodſi tales ſubſtantiæ finitæ actu a Deo, ente infinito, producantur; evidens eſt, eas per determinationes eſſentiales intrinſecas negativas, i. e. per defectus, quibus limitantur, ab ente ipſo infinito æque ac ſe ipſis invicem ob diverſos eſſentiales limites fore realiter diſtinctas (§§. 62. 67. Ont.): *quod alterum.*

§. 873.

Subſtantiæ finitæ a Deo, ſeu ente infinito, realiter diſtinctæ actu exiſtunt, talesque ſunt animæ rationales hominum, & corpora mundum iſtum componentia. Exiſtunt enim modi vere finiti (§. 871.), extenſiones nimirum, & cogitationes, aliæ atque aliæ, ſibi mutuo ſuccedentes: ergo cum iſti vel ipſo fatente Spinoza non niſi per aliud quoddam ens ſubſtantiale exiſtant, nec ſine alio concipi poſſint (§. 867. n. 2.), præter illos exiſtit ſubſtantia quædam, ceu illorum ſubiectum (§§. 58. 206. Ont.). Atqui ſubſtantia hæc infinita eſſe non poteſt, ſed neceſſario finita eſſe debet; ſiquidem una cum modis etiam defectuum capax eſſe debet (§. 871.): cum ergo modi finiti in ea ſubſtantia actu inſint, eadem finita quoque ſit, & exiſtat actu, oportet. Corpora ergo, & animæ, id eſt, ſubſtantiæ finitæ, quæ ſint ſubiecta cogitationum variarum & extenſionum particularium, quæ ſibi vel ipſo fatente Spinoza in hoc mundo continuo ſuccedunt, actu exiſtunt, ac proin hoc ipſo ob finitam eſſentiam actu realiter ab ente infinito diſtinguuntur.

§. 874.

Spinoza non niſi confuſa extenſionis notione præditus fuit, caruitque eiusdem notione diſtincta. Pro nota enim eſſentiali entis infiniti habuit, quod idem ſit res ſeu ſubſtantia extenſa. Atqui ex dictis §§. 158.

158. 144. Ont. conſtat, eſſe extenſum reale & locale non eſſe notionem, quæ primo concipi in uno aliquo ſimplici ente poſſit, ſed plura iam realiter diſtincta entia, locis diſcreta ſupponere.

* Nimirum Spinoza totus Carteſio deditus erat, ex eiusque principiis extenſionem trinæ dimenſionis corporum eſſentiam conficere, res finitas omni carere vi activa, pro certo habebat. Ex his geminis ſuppoſitis, uti & ex criterio mere ideali Carteſiano (§. 172. not. 2. Log.), fluxiſſe totam erroneam Spinozæ hypotheſin, mediocri reflexione cuivis animadvertere licet.

ARTICULUS III.
DE POLYTHEISMO.

§. 875.

Polytheismus eſt hypotheſis de mundi iſtius a pluribus Diis dependentia, ſeu quoad exiſtentiam, ſeu quoad gubernationem. *Paganismus* dicitur, cum rebus ſenſibilibus Divinitas, & mundi huius gubernatio tribuitur. *Manichæismus*, cum mundi huius exiſtentia & gubernatio dependere ad duobus contrariis principiis creditur, altero bono, unde bona mundi, altero malo, unde mala phyſica & moralia.

§. 876.

Idolum eſt ens ſenſibile, quod fingitur eſſe Deus, cum non ſit. Unde *Dii paganorum ſunt idola.*

§. 877.

I. *Paganismus falſo nititur fundamento, Deum aut finitum eſſe poſſe, aut infinitum poſſe multiplicari.*

II. *Utrumque cum evidenter eſſe falſum demonſtratum a nobis ſit* (§§. 46. 48. 49. 74. I. 52. 58. II. item §. 53. ſeqq.); *Paganismus evidenter falſus eſſe ſatis cognoſcitur.* Vide etiam §. 60.

§. 878.

I. Manichæismus originem habet ab eo unico ſuppoſito, quod mala phyſica & moralia, ceu ex neceſ-

 ſitate

ſitate pari in hoc mundo evenientia, in Deo, qui ſit ens infinite bonum, ſuum habere exiſtendi principium non poſſint.

II. *Manichæismus ergo erroris convincitur, ſi oſtendatur,* 1.) *mala phyſica qua talia principio efficiente haud opus habere, ſed ex originariis ſubſtantiarum finitarum limitibus naturaliter oriri* (§§. 117. 118. 120. ſeq.), 2. *mala vero moralia ex ſolo abuſu libertatis creatæ veræ exiſtentis irrepere* (§§. 143. ſeqq. 163.); 3. *tam phyſica mala, quam moralia a Deo ſalva ſapientia, ſanctitate, & bonitate infinita, voluntarie permitti poſſe* (§§. 561. 565. 567. 571. 572. ſeqq.); 4.) *licet abſolute a Deo impediri potuiſſent* (§§. 259. ſeqq. 139.), 5.) *ac ſufficere, quod Deus mala moralia mediis moraliter ſufficientibus actu impedire ſatagat* (§§. 198. 203. ſeq. 206. ſeqq.); 6. *nec plura permittat, quam ad finem ultimum ſint neceſſaria* (§§. 564. 568. 596.), 7.) *ac demum cuncta infinita ſapientia & bonitate ad ſummum bonum ipſius creaturæ rationalis dirigat* (§§. 571. ſeq.). Id quod totum §§. citt accurate eſt demonſtratum.

ARTICULUS IV.

DE FATALISMO, EPICUREISMO, ET THEISMO.

§. 879.

Fataliſtæ dicuntur, qui rerum in mundo exiſtentium neceſſitatem aſſerunt. *Fatalismus univerſalis* extendit hanc neceſſitatem ad ipſas actiones omnes humanas, negata libertate voluntatis humanæ; *fatalismus particularis* tantum ad res materiales. Porro neceſſitas illa, quam fataliſta adſtruit, vel abſoluta prorſus eſſe poteſt & per ipſam rerum eſſentiam determinata (§§. 9. 697. Ont.), & *fatum Stoicum* appellari ſolet; vel hypothetica tantum, ex hypotheſi videlicet divini decreti libe-

ri

ri orta, quo Deus libere hunc mundum condidit, in quo iſta præciſe eventa naturali neceſſitate phyſica eveniunt, & *ſactum naturale* vocari poteſt. *Fatum* denique *divinum* appello, ſi Dei ſolius actione libera neceſſitas rerum exiſtentiæ inducatur.

§. 880.

I. *Fataliſmus particularis ad fatum naturale reſtrictus a nobis ipſis huc usque aſſertus eſt;* qui ſalva Dei & hominis libertate neceſſitatem hypotheticam eventuum mere naturalium per leges naturæ Dei arbitrio præſcriptas defendimus (§§. 520. 521.).

II. *Fataliſmus univerſalis ad fatum naturale reſtrictus ab iis adſtruitur, quicunque libertatis humanæ actus æque per leges naturæ mentis humanæ determinari volunt, atque mutationes rerum materialium, ſimul tamen Deo veram libertatem relinquunt in mundi iſtius creatione.*

III. *Fataliſmus univerſalis ad fatum divinum reſtrictus ab iis admittitur, qui rerum materialium æque ac humanæ voluntatis mutationes omnes ſolius Dei libera actione determinari in ſpecie & individuo aſſerunt.*

IV. *Fataliſmus denique univerſalis abſolutus, i. e. cum facto Stoico, ab illis inducitur, qui Dei æque ac hominum libertate ſublata, cunctorum exiſtentiam vi ſolius eſſentiæ, Dei, & mundi, determinari volunt.*

* Fato Stoicæ res univerſas ab Ill. Wolfio vel nolente unius erronei principii aſſertione de libertatis natura fuiſſe involutas, ſatis, opinor, a me demonſtratum tum §. 74. not. tum §. 253. ſeqq.

§. 881.

Fatum divinum & naturale a voluntatis humanæ actibus removetur libertatis genuinæ demonſtratione, quam pridem in Pſychologia §. 301. ſeqq. dedimus.

§. 882.

Fatum Stoicum etiam a rebus materialibus removetur demonſtratione libertatis divinæ, quam a §. 237.,

& Providentiæ omnia gubernantis, quam a §§. 743. seqq. & §§. 780. seqq. adornavimus.

§. 883.

Epicureismus est hypothesis, qua negatur Dei sanctitas, ex consilio sapientiæ infinitæ finem ultimum excellentissimum creatione mundi intendens (§§. 542. 535.), nimirum beatitudinem respective summam creaturarum rationalium in Dei similitudine ac participatione beatitudinis increatæ consistentem (§. 101. seq.), & alteri cuidam meliori vitæ certissime futuræ reservatam (§§. 177. 179.), æternumque duraturam (§. 182.), in præsente autem vita ab eisdem bono libertatis usu (§. 190.), & quidem actionibus liberis non nisi theologice formaliter bonis congrue promerendam (§§. 408. 727.). Negat proinde eadem hypothesis etiam divinæ iustitiæ legislatricis omnem efficaciam in obligatione perfecta legis naturalis & necessariæ creaturis rationalibus imponenda ad vitandum malum quoddam morale etiam theologice formaliter tale (§§. 668. 698.), nullam Deo competere iustitiam vindicativam existimat (§§. 736. seqq.), sed beatitudinem creaturæ rationalis unice in voluptatibus corporis & bonis externis huic vitæ propriis perfruendis consistere, proindeque nullam actionibus humanis liberis moralem malitiam inesse propugnat; sicque hominem a Deo veluti indulgentissimo Domino suo unius arbitrio in quærenda qualicunque huius vitæ propria felicitate permitti pro certo habet.

* Sunt hodie complures, qui cum Gassendo Epicurum defendunt Lib. I. Ethic. c. 2. pag. 678. Tom. II. ostendentes, illum non de voluptate corporis, sed animi, fuisse locutum, & ipsummet temperanter vixisse. Fatentur tamen omnes, Epicuri discipulos vulgo etiam a Magistri sui temperantia defecisse, sibique illud pro regula statuisse:

se: quod lubet, licet. Interim nihilominus Epicureismus etiam ad Epicuri temperantiam restrictus haud multo minus noxius & abominatione dignus est; quippe qui malitiam quidem mere naturalem in actionibus humanis liberis admittere videtur, quibus homo unice immodiceque in corporis voluptates spreta cultura animi se effundit; attamen nullam agnoscit divinæ legis obligationem ad veræ virtutis theologicæ formaliter talis actiones frequentandas, multo minus vero vindicis Dei iustitiæ minas quasdam ad malum morale illis e diametro oppositum cavendum.

§ 884.

Epicureismus vere & proprie non refutatur nisi demonstratione tum malitiæ theologicæ obiectivæ & formalis actionum moralium cum bono naturali proprio & alieno per se pugnantium (§. 171. seqq.), *tum vero sanctitatis & iustitiæ divinæ, legibus perfecte obligantibus creaturam omnem rationalem libertate præditam adstringentis ad vitandum malum morale theologice formaliter tale & agendum bonum morale huic oppositum, simulque æternam beatitatem alterius futuræ vitæ in præmium bonorum, & æternam item alterius vitæ infelicitatem in pœnam malorum meritorum, proponentis;* id quod §§. §. præc. citatis accurate præstitum a nobis est.

* Quam infirmum adversus Epicureismi morbum sit remedium in ostentatione obligationis illius, quam Ill. Wolfius naturalem vocat, i. e. in ostentatione malitiæ & bonitatis mere naturalis actionum liberarum, §§. 679. 419. not. abunde ostensum est.

§. 885.

Theismus est vera de Dei existentia & perfectionibus cognitio, qualis nobis tum sensu communi naturæ, tum vero etiam ex rationis naturalis demonstrationibus innotescit. Unde *Theista* proprie non est, nisi is, qui vere de Deo Deique perfectionibus sentit, vel secundum dictamen sensus communis naturæ; quem vel solum infallibili

veritatis criterio, maxime in ſummi momenti quæſtionibus ad hominis finem ultimum, i. e. veram beatitudinem, facientibus, ſervire iam §. 287. Log. oſtenſum eſt; vel etiam ſecundum genuinas rationis profundius illuſtratæ demonſtrationes. Idem porro Theiſta *Naturaliſta* eſt, ſi vera Dei cognitione, ex ſolo naturæ lumine hauſta, unice acquieſcens, omnem Dei revelationem aliam repudiet. Sin præterea poſitivam aliam Dei revelationem adſtruat, niſi ſingularis eſſe velit, aut *Chriſtianus*, aut *Judæus*, aut *Mahumetis ſectator* ſit, oportet; quippe ultra quam tergeminam Theiſtarum ſpeciem nulla eſt hodiedum, quæ unum verum Deum ſimul agnoſcat, ſimulque Dei revelationem, vel ad omnes univerſe homines, vel ad unam ſaltem gentem integram pertinentem, oſtentare ſoleat.

* Extra dubium videtur, Mahumetis aſſeclas Epicureiſmo admodum eſſe vicinos, nec niſi obſcura admodum Dei divinarumque perfectionum cognitione præditos; quippe qui cœlum & beatitudinem, multo magis brutis animantibus quam rationalibus creaturis convenientem, ex magiſtri ſui diſciplina ſibi ſomniare ſolent.

** Theiſtam ergo toto, quem iſto opere exantlavimus, labore præformavimus, ſed genuine ita de Deo, ac digne de ſupremo numine, ſentientem, ut quam maxime aptus, optimeque comparatus, idem ſit ad Dei revelationem quoque devoto animo recipiendam; quandocunque hæc illi ſub characteribus fuerit propoſita, quorum dignitas cum excellentia ideæ conveniat, quam ex Theologiæ Naturalis contemplationibus idem de ſuprema illius Entis Sapientia, Sanctitate, Bonitate, Juſtitia, Providentia, & Miſericordia præconcepit. Id quod ſoli Chriſtianæ religioni proprium eſſe, facillimum eſt cum omni evidentia intelligere.

O A. M. D. G.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DESIGNANT.

B.

D.

ctualis,

L.

M.

nantur

etiam

P.

O. A. M. D. G.